Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/questionesdisput0001frma

FR. MATTHAEI AB AQUASPARTA O. F. M.

S. R. E. CARDINALIS

# QUAESTIONES DISPUTATAE SELECTAE

FR. MATTHAEI AB AQUASPARTA O. F. M.

S. R. E. CARDINALIS

# QUAESTIONES DISPUTATAE SELECTAE

## TOM. I.

## QUAESTIONES DE FIDE ET DE COGNITIONE.

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
PROPE FLORENTIAM
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

1903.

29604

Proprietas litteraria.

# PRAEFATIO

« Matthaeus de Aquasparta, ut legitur in Anal. Francisc. [1], ex familia de Bentevengis intra an. 1235-1240 oriundus et frater germanus Bentevengae episcopi Tudertini et insignis doctor Parisiensis, iuvenis intravit Ordinem et erat alumnus conventus Tudertini ac magister Parisiis et Bononiae. Anno 1281 secundus lector sacri Palatii nominatus et sub festo Pentecostes (25 Maii) 1287 electus Generalis, dein 1288 in vigilia Pentecostes (15 Maii) ob specialem vitae rationem et doctrinae excellentiam a Nicolao IV. cardinalis presbyter tituli S. Laurentii in Damaso ac postea 1291 episcopus Portuensis et S. Rufinae assumtus est, qua talis etiam Legatus in Lombardia et Romandiola fuit et Protector Ordinis Servitarum. Obiit Romae IV. kalendas Octobris (i. e. 29 Septembris) 1302 et in ecclesia Aracoelitana sepultus fuit [2] ».

De eius doctrina et variis operibus hic referre iuvabit quae in libro *De humanae cognitionis ratione* (Proleg. pag. XIV seq.) diximus: « Magna fama doctrinae et eloquentiae suo tempore floruit. Scripsit plura opera, quorum nullum typis vulgatum est (exceptis quinque quaestionibus disputatis, quas in eodem libro primo publicavimus). Complures horum librorum enumerantur in libro *Firmamentum trium Ordinum* [3] et a Trithemio, qui de ipso dicit, ‚quod fuit in divinis Scripturis eruditissimus et in saeculari philosophia iuxta morem huius temporis magnifice doctus. Composuit ingenii excellentis praeclara opuscula, quibus nomen suum longe lateque notificavit'. — Accuratius recensentur scripta eius a Sbaralea (Supplem. ad Scriptores). Sunt autem:

---

[1] Tom. III. pag. 407 in nota ad pag. 406.

[2] De variis scriptoribus, qui de Matthaeo ab Aquasparta tractant, cfr. Analecta Francisc., loc. cit. in fine notae.

[3] Parte I. fol. 44. r.

*Postilla super Iob*, incipiens: ‚*Haec omnia liber vitae et testamentum Altissimi et agnitio veritatis*', quae antiquitus fuit Assisii in bibliotheca conventus S. Francisci.

*Postilla super Psalterium*; incipit: ‚*Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*'; est incompleta, excurrens usque ad Psalmum L: *Miserere mei Deus*, et finiens: ‚*acceptabile praeparans holocaustum*'. — Huius operis autographum adhuc exstat Assisii in eadem bibliotheca, sign. 67.

*Postillae super duodecim Prophetas, Danielem, Matthaeum et Apocalypsim*, sed incomplete.

Item, in *Epistolam ad Romanos.*

*Sermones dominicales* et *feriales*; incipiunt: *Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius* etc.

A pluribus ei attribuuntur *Indices in libros Sententiarum S. Bonaventurae.*

Scripsit etiam *Commentarium in librum Sententiarum.* Autographum huius operis in I. Sent. adhuc exstat *Tuderti*, biblioth. S. Fortunati, sign. 122 [1]. In parte interiore primi folii, tegumento nunc affixi, bis legitur *manu sua*, ut primus observavit cl. P. Ehrle S. I. (Zeitschrift für Kath. Theol., Innsbruck 1883. I. pag. 26). Scriptura est cursiva, lectu difficillima, et fere similis scripturae S. Thomae, cuius imaginem publicavit cl. Uccelli in novissima sua editione *Summae contra Gentes.* Ipse autem codex suis proprietatibus, lituris, additionibus manifeste confirmat, ipsum esse autographum. — Item, *Assisii* in iam laudata biblioth. est autographum eiusdem Commentarii in II. Sent., ab antiqua manu inscriptum: ‚Secundus fratris Matthaei cardinalis cum parte quarti'.

Sed inter omnia Fr. Matthaei opera notandae sunt *Quaestiones disputatae*, quarum maximam partem habuit in Curia Romana; alias vero Bononiae. Autographum harum Quaestionum exstat *Assisii* in biblioth. conventus S. Francisci, quod eadem manu et scriptura cursiva exaratum est, ut Commentarius in Sententias. Codex non habet numerum, sed inscribitur tantum: ‚Aquaspart. Quaestion. Disputat.'. Super singulas istas quaestiones scriptum est: ‚Ave Maria gratia plena, benedicta tu' etc. — Quaestiones in Curia Romana disputatae inveniuntur etiam in

[1] Cfr. Inventario pag. 46.

egregio codice bibliothecae *Tudertinae*, membr. saec. XIII. sign. 44 [1]. Ipse habet folia 315 et continet sequentes 155 quaestiones disputatas vel quodlibeta seu quasdam breves quaestiones »:

1. Omnis scriba doctus in regno caelorum etc., fol. 1. *(Tractatus de excellentia S. Scripturae).*
2. Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, fol. 5. *(4. v.). (Sermo de studio S. Scripturae).*
3. Utrum dolor, qui fuit in anima Christi quantum ad partem superiorem, remiserit gaudium fruitionis, fol. 7. *(6. v.).*
4. Utrum Christus alias fuisset mortuus, si non fuisset occisus, fol. 7.

*De fide:*

1. Utrum aliquid possit certificdinaliter sciri, fol. 10. *(9. v.).*
2. Utrum credere aliquid, quod nec sensu percipi nec ratione convinci potest, sit necessarium ad salutem, fol. 13. *(12. v.).*
3. Utrum sit salus tantum in una et sola fide et lege christiana, fol. 15.
4. Utrum obiectum fidei sit verum tantum, fol. 20.
5. Utrum ea, de quibus est fides, possint ratione probari, fol. 23.
6. Utrum fides maneat vel evacuabitur in patria, fol. 27. *(26. v.).*
7. Utrum Angelus vel homo in primo statu habuerit fidem vel fuerit necessaria, fol. 31. *(30. v.).*
8. Utrum in affectu vel in intellecto aut in utroque sit fides ut in subiecto, fol. 32. *(33. v.).*

*De cognitione:*

1. Utrum ad cognitionem rei requiratur ipsius rei existentia, an non eus possit esse obiectum intellectus, fol. 36.
2. Utrum quidquid certificdinaliter cognoscitur cognitione intellectuali cognoscatur in aeternis rationibus, fol. 40. *(39. v.).*
3. Utrum cognoscendo accipiat seu recipiat species a rebus, fol. 44.
4. Utrum intellectus humanus intelligat singularia, fol. 45. *(48. v.).*
5. Utrum anima cognoscat semetipsam et habitus, qui in ea sunt, per essentiam suam, an per actus tantum, fol. 52.
6. Utrum intellectus coniunctus possit intelligere substantias separatas, fol. 57. *(56. v.).*

[1] Cfr. supra pag. 39.

7. Utrum intellectus in statu viae possit tantum elevari per donum gratiae, quod videat Deum per essentiam, fol. 61.
8. Utrum intellectus possit elevari ad videndam divinam essentiam sine alienatione ab actibus sensitivis, fol. 65. (*64. v.*).
9. Utrum raptus pertineat magis ad intellectum vel affectum, fol. 68. (*67. v.*).
10. Utrum intellectus quantum ad suum actum ligetur per corporis infirmitatem, fol. 71.

*De anima separata:*

1. Utrum anima separata de sui natura possit aliquod corpus movere, fol. 75.
2. Utrum anima separata possit movere se de loco ad locum, fol. 79. (*78. v.*).
3. Utrum moveatur de loco ad locum subito vel successive, fol. 83. (*82. v.*).

*Quaestio de quolibet; et primo quaeritur:*

*De Deo:*

1. Utrum omni intellectu creato circumscripto, essent in Deo plura essentialia attributa, fol. 86.
2. Utrum relationes personales maneant, aut transeant in substantiam in divinis sicut cetera praedicamenta, fol. 87. (*86. v.*).

*De Angelis:*

1. Utrum aevum, quod est mensura Angelorum, sit mensura simplex, indivisibilis et manens tota simul, an continua et successiva, fol. 87. (*86. v.*).
2. Utrum locus Angeli possit esse superficies tantum, fol. 88. (*87. v.*).
3. Utrum substantia Angeli sit, ubi est sua virtus, fol. 88.

*De creatura humana:*

1. Utrum aliquod bonum apprehensum sub ratione optimi necessario appetatur a voluntate, fol. 89. (*88. v.*).
2. Utrum habitus, qui sunt in anima, sint divisibiles secundum essentiam, fol. 89.
3. Utrum Paulus post raptum habuit tantam caritatem, quantam habuit in raptu, fol. 90. (*89. v.*).

*De contractibus et actibus humanis:*

1. Utrum liceat emere redditus vel pensiones ad vitam, fol. 90.
2. Utrum aliquis simplex excusetur, si in agendis dubiis, illicitis tamen, assentiat alicui doctori authentico, fol. 91.

*De damnatis:*

1. Utrum damnati magis deberent velle non esse, quam sic esse, fol. 91.
2. Utrum, si poneretur in optione damnatorum, mallent non esse, quam in cruciatu illo perpetuo esse, fol. 91.

*De cognitione animae separatae:*

1. Utrum anima separata acquirat aliquam cognitionem ab inferioribus, fol. 92.
2. Utrum distantia localis impediat cognitionem animae separatae, fol. 97. (*96. v.*).

*De poena animae separatae:*

1. Utrum anima separata vere patiatur ab igne infernali, fol. 100.
2. Utrum vermis conscientiae, an ignis gehennae erit gravior poena in inferno animabus separatis, fol. 106.
3. Utrum animae parvulorum decedentium cum solo originali puniantur aliqua poena sensibili vel exteriori, fol. 109.
4. Utrum poena infernalis sit aeterna, fol. 113.

*De anima beata:*

1. Utrum creatura rationalis possit beatificari in alio bono quam in bono increato, fol. 119. (*118. v.*).
2. Utrum anima separata possit perfecte beatificari sine corpore, fol. 122.
3. Utrum beatitudo sit aequalis in omnibus animabus beatis, fol. 128.
4. Utrum omnes animae rationales ex sui natura aequaliter sint aptae ad beatitudinem, hoc est, utrum sint aequales in naturalibus, fol. 133.
5. Utrum secundum mensuram et gradum in bonitate et nobilitate naturae erit mensura et gradus in sublimitate gloriae, fol. 138.
6. Utrum beatitudo sit actus intellectus, vel affectus, fol. 142.
7. Utrum intellectus beatus videbit Deum per essentiam, fol. 148. (*147. v.*).
8. Utrum divina essentia sit obiectum visionis intellectus beati, fol. 152. (*151. v.*).

*De ieiunio:*

1. Utrum afflictio vel maceratio carnis sit actus virtutis, fol. 157.
2. Utrum maceratio carnis per abstinentiam a cibo et potu sit actus vel opus perfectionis, fol. 162. (*161. v.*).

3. Quaeritur, sub qua virtute morali continetur maceratio carnis, fol. 167.

*Quaestio de quolibet, ubi aliqua quaeruntur de Creatore, aliqua de creatura:*

*De Deo:*

1. Utrum primum bonum sit ipsa ratio boni absolute, fol. 170.
2. Utrum potentia generandi, quae est in Patre, contineatur sub omnipotentia, fol. 172. (*171. v.*).
3. Utrum Spiritus sanctus distingueretur a Filio, si non procederet ab eo, fol. 172. (*171. v.*).

*De corpore Christi:*

1. Quaeritur, quale corpus dedit Christus in coena discipulis suis, fol. 173. (*172. v.*).
2. Utrum substantia panis possit converti in substantiam corporis Christi, fol. 173.
3. Utrum corpus Christi sit vere sub Sacramento, fol. 174. (*173. v.*).

*De beata Virgine:*

1. Utrum beata Virgo Maria fuerit concepta cum originali, fol. 174.
2. Utrum conceptio beatae Virginis debeat celebrari, fol. 175. (*174. v.*).

*De pura creatura:*

1. Utrum materia omnium habentium materiam sit una, fol. 175.
2. Utrum anima separata sit per se in specie vel per se speciem constituat, fol. 176. (*175. v.*).

*De actibus et operibus animae rationalis:*

1. Quaeritur, quid fuit primo a Prophetis cognitum, fol. 176.
2. Utrum illi qui tenentur ad horas canonicas persolvendas, teneantur dicere in choro ex utraque parte, fol. 177. (*176. v.*).
3. Quaeritur, quid in arca fuit repositum, fol. 177.
4. Utrum usus mulorum sit licitus, fol. 177.
5. Quaeritur, unde sit, quod aspis obturat aurem ad vocem incantantis, fol. 177.

*De productione rerum:*

1. Utrum sit ponere aliquod primum ens, quod sit causa aliorum entium, fol. 178.
2. Utrum omnis entitas secundum rem et secundum veritatem sive per essentiam sit in primo ente, fol. 182. (*181. v.*).
3. Utrum sit tantum unum ens, quod sit aliorum causa et principium, fol. 186.

4. Utrum a primo et summo ente rerum universitas sit producta per creationem sive de nihilo, fol. 192. (*191. v.*).

*Quaestio de quolibet, ubi quaeruntur aliqua de Deo et aliqua de creatura.*

*De Deo:*

1. Utrum Deus ex sua omnipotentia possit facere, materiam esse sine omni forma, fol. 196. (*195. v.*).
2. Utrum divina praescientia stet cum libero arbitrio, vel auferat arbitrii libertatem, fol. 197. (*196. v.*).

*De creatura intellectuali:*

1. Utrum intellectus creatus per prius feratur in essentiam divinam quam in personas, fol. 198.
2. Utrum aevum sit mensura simplex, vel continua permanens, fol. 199. (*198. v.*).
3. Utrum vegetativa et sensitiva cedant, adveniente rationali, fol. 200. (*199. v.*).
4. Utrum anima in somnis adeo ligetur per actum vegetativae et sensitivae, quod non possit cohibere actum virtutis vegetativae quantum ad ultimum complementum, fol. 201. (*200. v.*).
5. Utrum anima separata ferat secum corpus vel corporalia, fol. 202. (*201. v.*).
6. Quaeritur, in quo fundetur aptitudo in corpore humano ad immortalitatem, fol. 202.

*De exercitio humano:*

1. Utrum aliqua persona debeat arceri ab actu advocationis, fol. 202.
2. Utrum advocatus teneatur fovere causam pauperum, fol. 203. (*202. v.*).
3. Utrum sit licitum advocato causam iniustam fovere et tueri, fol. 203. (*202. v.*).
4. Utrum advocatus, fovens causam iniustam et per suum patrocinium aliam partem damnificans, teneatur ad restitutionem, fol. 203.
5. Utrum aliquis non solvens decimas praediales excusetur propter consuetudinem in aliquibus terris vel locis observatam, fol. 203.
6. Utrum liceat habere plura beneficia ecclesiastica, fol. 204. (*203. v.*).

7. Utrum per sculpturam factam in lapide in aliqua constellatione aliqua virtus lapidi augeatur, fol. 204.
8. Utrum per talem imaginem sculptam possit anima hominis immutari, fol. 204.

*De creatione rerum:*

1. Utrum ab uno principio possit esse immediate rerum multitudo, fol. 205. (*204. v.*).
2. Utrum Deus potuit communicare creaturae potentiam creandi, fol. 209.

*De quolibet:*

*De Deo:*

1. Utrum Deus per omnipotentiam suam possit facere, quod unum corpus sit localiter in pluribus locis, fol. 214. (*213. v.*).
2. Utrum Deus potuit scire primum instans, in quo potuit mundum creare, fol. 215.

*De Angelis:*

1. Utrum sit unum aevum omnium aeviternorum, fol. 216. (*215. v.*).
2. Utrum aliqui Angeli ab aliis purgentur, illuminentur et propagentur, fol. 216.
3. Utrum daemones in corporibus assumtis possint generare, fol. 217. (*216. v.*).
4. Utrum gaudium accidentale Beatorum sit continuum, fol. 217. (*216. v.*).

*De hominibus:*

1. Utrum intellectus humanus possit Deum cognoscere, fol. 218. (*217. v.*).
2. Utrum origo bonarum cogitationum sit a nobis, fol. 218.
3. Utrum conscientia erronea liget, fol. 219. (*218. v.*).
4. Utrum poenitentia restituat hominem in statum pristinum, fol. 219.

*De quibusdam casibus:*

1. Quaeritur quantum ad neophytorum informationem, fol. 220. (*219. v.*).
2. Quaeritur de Religionis professione, fol. 220.
3. Quaeritur de ecclesiastica iurisdictione, fol. 221. (*220. v.*).
4. Utrum abusus, qui inducit consuetudinem, excuset a peccato, fol. 221.
5. Quaeritur de rerum ecclesiasticarum alienatione, fol. 222. (*221. v.*).

6. Quaeritur de alienorum restitutione, fol. 222.
7. Quaeritur de testium depositione, fol. 223. (*222. v.*).
8. Utrum natura elevans descenderet ad centrum, si tolleretur creatura de medio, fol. 223. (*222. v.*).

*De productione rerum:*

1. Utrum productio rerum necessario secundum rem praesupponat productionem divinarum personarum, fol. 223.
2. Utrum primum principium possit aliquid de novo producere sine sui immutatione, fol. 226.
3. Utrum Deus potuit mundum ab aeterno producere, fol. 230.

*De providentia divina:*

1. Utrum Deus regat mundum providentia, fol. 235. (*234. v.*).
2. Utrum divina providentia mundum ordinatius regeret, si non permitteret mala, fol. 239.
3. Utrum Deus potuit facere creaturam rationalem, quae peccare non possit, fol. 243. (*242. v.*).
4. Utrum Deus omnibus creaturis immediate provideat, fol. 247. (*246. v.*).

*De quolibet:*

1. Utrum Deus sit ipsum esse vel ipsum ens absolute, fol. 252.
2. Utrum praedestinatio habeat aliquam causam, fol. 253.
3. Utrum Deus iuste agat animam innocentem associando carni infectae, fol. 254.
4. Utrum Pater sit Pater, quia generat, an generat, quia Pater, fol. 255.
5. Utrum Filius Dei fuisset incarnatus, si homo non fuisset lapsus, fol. 256.
6. Utrum assentire alicui vero sit actus subditus voluntati, fol. 257. (*256. v.*).
7. Utrum appetere episcopatum sit bonum vel malum, fol. 257.
8. Utrum possit esse peccatum in voluntate, nisi praecedat error in ratione, fol. 258.
9. Utrum possit esse peccatum mortale in cogitatione vel delectatione morosa absque consensu partis superioris, fol. 259.
10. Utrum « *dimitte nobis debita nostra* » intelligatur de mortalibus an venialibus, fol. 260.

*De providentia:*

1. Utrum actus humani disponantur per virtutem corporum caelestium, fol. 261. (*260. v.*).

2. Utrum actus humani disponantur per influentias angelicas, fol. 267. (*266. v.*).

*De gratia:*

1. Utrum sit possibile, aliquem cadere a statu gratiae in culpam, fol. 272. (*271. v.*).
2. Utrum a defectu culpae possibile sit quemquam resurgere ad statum iustitiae sine auxilio gratiae, fol. 276. (*275. v.*).
3. Utrum ad susceptionem gratiae requiratur dispositio in voluntate vel in libero arbitrio, fol. 280.
4. Utrum liberum arbitrium naturaliter sine auxilio gratiae gratis datae possit se disponere ad gratiam gratum facientem, fol. 284. (*283. v.*).
5. Utrum sine gratia gratum faciente liberum arbitrium possit ultimum finem consequi, fol. 287.
6. Utrum gratia ponat aliquid in anima gratificata, fol. 292. (*291. v.*).
7. Utrum gratia habeat in anima esse fiens, vel manens, fol. 295. (*294. v.*).
8. Utrum gratia a solo Deo infundatur, fol. 298.

*De quolibet:*

1. Utrum bonum addat aliquid ad ens, fol. 302.
2. Utrum sit aliqua natura, quae non incipiat, sed desinat, fol. 303.
3. Utrum dolor Christi stetit tantum in sensualitate vel in parte inferiori rationis, fol. 303.
4. Utrum anima decedens in gratia possit per se sine angelico ministerio ascendere in caelum, fol. 304. (*303. v.*).
5. Utrum iustitia sit virtus generalis, fol. 304.
6. Utrum praeceptum de observantia sabbati admittat dispensationem, fol. 305. (*304. v.*).
7. Utrum abnegare propter Christum propriam voluntatem sit perfectionis, fol. 305.
8. Utrum per votum professionis in Religione minus arcta absolvatur quis a voto obligationis ad Religionem magis arctam, fol. 306.
9. Utrum Iudaei et alii infideles sint de foro Ecclesiae, fol. 306.
10. Utrum matrimonium contractum per verba de praesenti dissolvatur per ingressum Religionis, fol. 307. (*306. v.*).

11. Utrum confessor teneatur habere attentionem circa ea quae sibi peccatores confitentur, fol. 307 [1].
12. Utrum sit gradus in peccatis, fol. 307.
13. Utrum maius peccatum sit cognoscere filiam spiritualem quam carnalem, fol. 308. (*307. v.*).
14. Utrum intentans pudicitiam alicuius et postmodum consummans cum ea peccatum peccet dupliciter, fol. 308. (*307. v.*).
15. Utrum sequens eventus augeat peccatum, fol. 308.
16. Utrum iudex ecclesiasticus pro criminibus possit exigere poenam pecuniariam, fol. 308.
17. Utrum Ecclesia possit innocentem punire pro impio, fol. 309. (*308. v.*).

*De gratia:*

1. Utrum gratia sit idem per essentiam quod virtus gratuita, fol. 309.
2. Utrum gratia existat in potentiis animae vel in essentia, fol. 312.
3. Utrum mors Christi fuerit miraculosa an naturalis, fol. 316. (*315. v.*).

« Magna earum pars est etiam *Neapoli*, biblioth. Nationalis cod. membr. saec. XIII. sign. VII. C. 47, et in *Museo Britannico*, cod. membr. sign. 358, Burneanae collectionis, fol. 33 r. col. I.

« Praeter praedictas quaestiones aliae viginti disputatae eiusdem auctoris sunt de *incarnatione*, de *legibus* et de *anima*, et hae habentur in codice membr. biblioth. Assisiensis, sign. 14. Nonnullae sunt etiam *Florentiae* in biblioth. Laurent. cod. membr. in 4. saec. XIV. sign. Aedil. 164. fol. 112; una etiam est ibid. cod. membr. sign. 123, olim 512.

« Ex his Quaestionibus octo *de fide* et decem de *cognitione humana* a nobis in hoc volumine editae sunt. Operae pretium est conferre quaestionem quintam : utrum anima cognoscat semetipsam et habitus, qui in ea sunt, per essentiam etc., cum eadem quaestione apud Scotum [2], ut perspiciatur, multa ex Matthaei opusculo in illam quaestionem Scoti transiisse.

« Huius auctoris opera magni momenti [3] sunt pro illustranda doctrina S. Bonaventurae, cuius operibus frequentissime utitur.

---

[1] Hoc membrum addidimus ex textu.

[2] De rerum principio q. 15.

[3] Cfr. etiam quae diximus in Praefat. libri *De humanae cognitionis ratione.*

Ipsa non ignobilem locum inter Scholasticorum lucubrationes occupare ac pleraque eorum prelo dignissima esse nobis exploratum est. Quapropter non exiguam partem Quaestionum a Fr. Matthaeo disputatarum iam transcripsimus. Quodsi iudicium doctorum virorum huic nostrae sententiae suffragabitur, in animo habemus adhuc alias quaestiones, saltem magis selectas, prelo subiicere.

« In edendis his Quaestionibus, praecipue autographum, ut par est, secuti sumus. Cum autem alii codices, quos adhibuimus, plerumque in iis tantum locis inter se dissentiant, in quibus autographum a librariis legi non potuit, vel ubi aliquo vitio laborare videbatur, eadem difficultas, auctorem recte interpretandi, etiam nobis superanda erat, nec semper feliciter successit. Tamen saepe apographa ex originali corrigere potuimus. Quando autem lectio autographi dubia remansit, vel manifesto mendo laboravit, usi sumus lectione aliorum codicum, quae melior videbatur.

« Codices a nobis collati sunt:

A. . . . Cod. Assisiensis, autographum sign. 134.
B. . . . » Tudertinus 44.
C. . . . » Neapolitanus, biblioth. Nationalis VII. C. 47.
D. . . . » Musei Britannici 358, Burn. Coll. (tantum pro 1. et 3. quaest. de cognitione).

« Cod. D., male et mendose exaratus, fere eundem textum repraesentat ac cod. C ».

Hisce quaestionibus tanquam prooemium praemisimus eiusdem Matthaei tractatum *de excellentia* S. Scripturae et sermonem *de studio* S. Scripturae; in appendice vero habetur tractatus *de processione Spiritus S.*

Ad Claras Aquas, die 16 Ian. 1903.

PP. EDITORES.

# TRACTATUS

## DE EXCELLENTIA SACRAE SCRIPTURAE.

*Omnis scriba doctus in regno caelorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera* [1].

1. Volentibus ingredi in sacram Scripturam occurrit verbum propositum, in quo eius excellentia super omnes alias scientias commendatur quantum ad quatuor, in quibus omnes alias scientias antecedit [2]: primo, quantum ad causam *efficientem;* secundo, quantum ad causam *finalem;* tertio, quantum ad causam *materialem;* quarto, quantum ad causam *formalem.* Quantum ad causam efficientem habet *inviolabilem auctoritatem,* quantum ad causam finalem habet *incomprehensibilem utilitatem,* quantum ad causam materialem habet *imperscrutabilem profunditatem,* quantum ad causam formalem habet *capabilem brevitatem* et *facilitatem.*

Causa autem *efficiens* introducitur duplex istius doctrinae: *primaria et principalis,* quae intelligitur in nomine *patrisfamilias,* per quem significatur universalis administrator totius universitatis; et *causa secundaria et ministerialis,* quae intelligitur nomine *scribae docti,* sibi conformis et consimilis. Si igitur quaeras: Quis *auctor* istius doctrinae? *Deus* eam condidit et eduxit seu *protulit de thesauris suis.* Si quaeras: Quis *doctor* et administrator? *Scriba doctus,* ipsi Deo conditori conformis. Omnes igitur alias scientias et doctrinas *auctoritate* praecellit, quia, ut dicit Augustinus IV. de Doctrina christiana [3], ista scien-

---

[1] Matth. 13, 52. — Iste tractatus sicut sermo sequens est ex codd. A et B.

[2] B primitus habebat *excellit.*

[3] Cap. 6. n. 9, ubi Scriptura « divinitus inspirata » dicitur (cfr. etiam ibid. c. 16. n. 33.); ibid. III. c. 27. n. 38: « Spiritus sanctus in auctoribus Scripturae

tia non est humana industria composita, sed divina mente fusa. Aliae enim scientiae repertae sunt per humanam investigationem, sed ista est infusa per revelationem et inspirationem, quia, ut dicit Petrus [1], *non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirante, locuti sunt sancti Dei homines.* Idem Doctor II. de Civitate Dei [2]: « Scriptura divina non fortuitis animorum motibus, sed plane summae dispositione providentiae super omnes omnium gentium litteras omnia sibi genera ingeniorum humanorum divina excellens auctoritate subiecit ».

Causa autem *finalis,* ex qua habet *incomprehensibilem utilitatem,* notatur *in regno caelorum.* Si enim quaeras: Quis est istius scientiae *finis?* dico, quod perducit et dirigit ad *regnum, cuius non est finis* [3]. Nulla alia scientia, nulla doctrina, ubi esset vera beatitudo, docere potuit; quod manifestum est ex diversitate opinionum apud Philosophum [4] de felicitate seu de fine boni, et ideo nulla praecepta vitae dedit. Sola autem haec est, quae illuc dirigit et per praecepta salutaria perducit. Unde Augustinus XVIII. de Civitate Dei [5]: « Quid agit, aut quo vel qua, ut ad beatitudinem perveniatur, humana se porrigit infelicitas, si divina non ducit auctoritas »?

Causa *materialis,* ex qua habet *imperscrutabilem profunditatem,* intelligitur nomine *thesauri,* ex quo *nova et vetera* proferuntur. Nomine enim thesauri sapientia designatur; Sapientiae septimo [6] de sapientia dicitur: *Infinitus enim thesaurus est hominibus* etc. Sed in isto thesauro est abyssalis profunditas; Psalmus: *Ponens in thesauris abyssos.* — Hanc abyssalem profunditatem explicat Augustinus in Epistola ad

---

operans »; item XI. de Civ. Dei, c. 3, ubi « a Deo condita » legitur. — De s. Scripturae ingentibus praeconiis videsis etiam serm. 38. ad Fratres in eremo (inter opera August.).

[1] II. Petr. 1, 21, ubi Vulgata *inspirati* pro *inspirante.*

[2] Cap. 1.

[3] Luc. 1, 33: Et regni eius non erit finis; cfr. Dan. 3, 100. et Symbolum Nicaenum.

[4] I. Ethic. c. 4. seqq.

[5] Cap. 41. n. 1, ubi etiam de philosophicarum opinionum dissensionibus diffusius loquitur.

[6] Vers. 14; deinde sequitur Ps. 32, 7.

Volusianum [1], dicens: « Tanta est christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere; non quod ad ea quae necessaria sunt saluti, tanta in eis perveniatur difficultate, sed cum quisque fine tenuerit, sine qua pie recteque non vivitur, tam multa tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opacata intelligenda proficientibus restant, tantaque non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus, quae intelligendae sunt, latet altitudo sapientiae, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam in loco habet: *Cum consummaverit homo, tunc incipiet* ».

Causa vero *formalis*, ex qua habet *capabilem facilitatem* vel *brevitatem*, designatur in hoc quod dicit: *nova et vetera*. Divisio enim totius Scripturae sacrae satis est in novum et vetus Testamentum. Augustinus I. super Genesim ad litteram [2]: « Omnis Scriptura divina bipartita est, secundum id quod Dominus significavit dicens, scribam eruditum in regno Dei similem esse patrifamilias proferenti *de thesauro suo nova et vetera*, quae duo Testamenta dicuntur »; inter quae tanta est concordia, ut quidquid dicatur in uno, dicatur in alio, sed quod in uno implicite, in alio explicite, ita quod est *quasi rota in medio rotae*.

## I.

2. Dicit ergo: *Omnis scriba doctus in regno caelorum similis est homini patrifamilias* etc. Omisso ad praesens de *causa* istius doctrinae *secundaria et ministeriali*, quia de hoc fortassis alias dicetur, et de *causa formali*, quae spectat ad divisionem librorum, dicamus aliquid breve de aliis tribus, et primo de *causa efficiente primaria* et principali, quae, ut dictum est, intelligitur nomine *patrisfamilias*, qui eam protulit de thesauris suis et eam inspiravit et revelavit. — Istius pa-

---

[1] Epist. 137. (alias 3.) c. 1. n. 3, in cuius fine citatur Eccli. 18, 6.

[2] Cap. 1. n. 1. — Locus s. Scripturae est Ezech. 10, 10; cfr. ibid. 1, 16, et Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 6. n. 12. seqq., ubi de *rota in rota*.

trisfamilias *auctoritas* est *inviolabilis*, quoniam eius *sapientia non potest falli*, quia eius *potentia non potest impediri*, quia eius *iustitia non potest obliquari* seu depravari. Ideo tradidit leges *certissimas*, leges *altissimas*, leges *iustissimas*. Propter *sapientiam infallibilem* eius auctoritas habet *certitudinem*, cui nihil potest admisceri *falsum* seu erroneum; propter *potentiam insuperabilem* habet *altitudinem*, cui nihil potest admisceri *vanum*; propter *iustitiam inobliquabilem* habet *rectitudinem*, cui nihil potest admisceri *pravum* seu iniquum.

3. Primo ergo dico, quod *auctoritas* istius patrisfamilias, qui est auctor istius scientiae, habet *certitudinem*, cui nihil potest admisceri *falsum* vel erroneum propter eius *sapientiam infallibilem*; et ideo non tantum pater, immo pater et *magister*. Ipse enim novit *omnia ab aeterno*, novit *semetipsum* et *in semetipso novit omnia simul* sine interruptione et successione; et ideo in nullo potest *falli*, quia *nihil potest ignorare*. Unde Augustinus XI. de Civitate Dei [1]: « Deus, inquit, nihil discit ex factis; nihil enim fieret, si ei esset incognitum »; et post: « Nullo modo scientia Dei variatur, ut aliud in ea faciant quae nondum sunt, aliud quae iam sunt, aliud quae fuerunt. Non enim more nostro ille ante vel quod futurum est prospicit, vel quod praesens est aspicit, vel quod praeteritum est respicit, sed alio quodam modo a nostrarum cogitationum consuetudine longe alteque diverso. Ille quippe non ex hoc in illud cogitatione mutata, sed omnino incommutabiliter videt, ita ut illa quidem, quae temporaliter fiunt, et futura nondum sint et praesentia iam sint et praeterita iam non sint; ipse vero haec omnia stabili ac sempiterna praesentia comprehendat ». Et quoniam « in eo non tantum omnium factorum, sed fieri possibilium stabiles ac sempiternae vivunt rationes », ut dicit Augustinus I. Confessionum [2], « tanquam in luce », ut dicit Dionysius, ideo ipse est *principium omnis illuminationis et eruditionis*. Propter

---

[1] Cap. 21.

[2] Cap. 6. n. 9: « Tu es et Deus es Dominusque omnium, quae creasti; et apud te rerum omnium instabilium stant causae, et rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines, et omnium irrationabilium et temporalium sempiternae vivunt rationes ». — Sequitur Dionys., de Div. Nom. c. 5. § 8. seqq., ubi de exemplaribus rerum in Deo tanquam in sole existentibus sermo est; et c. 7. § 2.

quod dicit Iacobus Apostolus [1]: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio.* — *Omne datum optimum*, bonorum naturalium; *et omne donum perfectum*, charismatum spiritualium; *desursum est, descendens* scilicet *a Patre* aeterno, qui est principium, fons et origo omnium illuminationum intellectualium. *Apud quem non est transmutatio;* quod exponens Augustinus in eodem [2] dicit: « Non aliter nunc, aliter antea, aliter postea; quoniam non sicut nostra, ita eius quoque scientia trium temporum, praesentis videlicet et praeteriti vel futuri varietate mutatur, *apud quem non est transmutatio nec momenti obumbratio.* Neque enim eius intentio de cogitatione in cogitationem transit, in cuius incorporeo contuitu simul adsunt cuncta, quae novit; quoniam tempora ita *novit* nullis suis temporalibus notionibus, quemadmodum temporalia *movet* nullis suis temporalibus motibus ».

Inviolabilis est igitur auctoritas istius doctrinae propter *certitudinem*, cui nihil potest admisceri *falsum* seu erroneum, quia *auctoris sapientia* omnino est *infallibilis*.

4. Secundo, *auctoritas* istius patrisfamilias habet *altitudinem*, cui non potest admisceri aliquid *vanum* propter eius *potentiam insuperabilem;* et ideo non tantum pater, immo pater et *dominus*, ac per hoc ista est *scientia altissima*. « Ipse enim *potest*, quidquid posse potentiae est, et hoc solum non potest, quod posse non est posse », ut dicit Anselmus in Proslogio [3] et

---

[1] Cap. 1, 17.

[2] Scil. XI. de Civ. Dei, c. 21; ibi citatur Iac. 1, 17, in quo loco August., sicut alibi v. g. in l. de Natura boni contra Manichaeos, c. 24. et serm. 11. [nunc 26] c. 14. n. 13. vocem *momenti* pro *vicissitudinis* contra Vulgatam et Syram lectionem exhibet, et sensus est, Deum ne momentaneam quidem, i. e. nec minimam pati sui luminis obumbrationem. — Edit. Maurin. verbis *Non aliter* praefigit: *Nec aliter oculis, aliter mente; non enim ex animo constat et corpore* et dein pro *notionibus*, quod bene habet edit., codd. *motionibus*, fortasse per incuriam amanuensis.

[3] Cap. 7: « Sed et omnipotens quomodo es, si non omnia potes? Aut si non potes corrumpi nec mentiri nec facere, verum esse falsum; ut quod factum est, non esse factum: quomodo potes omnia? Aut haec posse non est potentia, sed impotentia. Nam qui haec potest, quod sibi non expedit et quod non debet potest; quae quanto magis potest, tanto magis adversitas et perversitas possunt in illum, et ipse minus contra illas. Qui ergo sic potest non potentia potest, sed

Augustinus V. de Civitate Dei. Stultum igitur est omnino divinae potentiae praefigere limitem, ut usque ad aliquem limitem possit et ultra non possit; omnino omnipotens est, quidquid vult, potest cui *non est impossibile omne verbum*, et in creaturarum productione et in naturarum transmutatione et miraculorum operatione, in generis humani reparatione et in Sacramentorum institutione, in peccatorum iustificatione potest super omnem naturam, super omnem creatam intelligentiam. Unde dicit Augustinus ad Volusianum [1]: « Fateamur, Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse, ita quod in rebus mirabilibus tota ratio facti est potentia facientis ». Quando ergo Scriptura aliqua narrat, quae impossibilia sunt secundum naturam aut incomprehensibilia secundum investigationem humanam, omnino deferendum est Scripturae ac pie assentiendum et subiiciendum inintellectum divinae potentiae, quae plus potest facere, quam possimus intelligere. Unde cum Augustinus II. super Genesim ad litteram [2] quaereret de aquis supercaelestibus, dicit: « Quoquo modo et quales aquae ibi sint, esse eas ibi, minime dubitemus; maior est quippe Scripturae huius auctoritas quam omnis humani ingenii capacitas »; ut merito fidei et humilitatis mereamur revelationem veritatis. Ideo dicit Salvator [3]: *Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis.* Omnino hic abscondit quae vera sunt a sapientibus et prudentibus secundum carnem, quia *animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei*, sed humilibus fideliter assentientibus revelavit.

---

impotentia... Ergo, verius es omnipotens, quia potes nihil per impotentiam, et nihil potest contra te ». — August., loc. cit. c. 10. n. 1: « Neque enim et vitam Dei et praescientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus, necesse esse, Deum semper vivere et cuncta praescire; sicut nec potestas eius minuitur, cum dicitur mori fallique non posse. Sic enim hoc non potest, ut potius, si posset, minoris esset utique potestatis. Recte quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori et falli non potest. Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult; quod ei si accideret, nequaquam esset omnipotens. Unde propterea quaedam non potest, quia omnipotens est ». Cfr. etiam Bonav., l. pag. 754, q. 2. in corpore et ibid. nota 10. — Locus s. Scripturae inferius cit. est Luc. 1, 37.

[1] Epist. 137. (alias 3.) c. 2. n. 8. in fine.

[2] Cap. 5. n. 9. in fine.

[3] Matth. 11, 25. (cfr. Luc. 10, 20); deinde sequitur I. Cor. 2, 14.

Omnino ergo *inviolabilis* est *auctoritas* istius scientiae propter *altitudinem*, cui non potest admisceri aliquid *vanum*, quoniam auctoris *potentia* est *insuperabilis*.

5. Tertio, *auctoritas* huius patrisfamilias habet *rectitudinem*, cui non potest admisceri *iniquum* vel pravum propter *iustitiam inobliquabilem*; et ideo non tantum pater, immo pater et *iudex*; ac per hoc ista est sapientia *rectissima*. Adeo enim est *iustus*, ut nullo modo possit esse *iniustus* nec *iustitiam possit amittere*, quia *est ipsa iustitia*. Et ideo solum in hac scientia, cuius ipse auctor est, dantur *praecepta perfectae iustitiae*. Augustinus II. de Civitate Dei [1], postquam praemisit, quomodo aliae sectae non habent praecepta, quibus aut praecipiantur honesta, aut prohibeantur vitiosa, dicit: « Legant nostra (praecepta) et per Prophetas et per sanctum Evangelium et per apostolicos Actus et per Epistolas tam multa contra avaritiam atque luxuriam ubique populis ad hoc congregatis, quam excellenter, quam divine, non tanquam ex philosophorum concertationibus strepere, sed tanquam ex oraculis et Dei nubibus intonare. Cuius praecepta de iustis et probis moribus, si simul audirent atque curarent *reges terrae et omnes populi, principes et omnes iudices terrae, iuvenes et virgines, senes cum iunioribus*, omnis aetas capax et uterque sexus et quos Baptista Ioannes alloquitur exactores ipsi atque milites, et terras vitae praesentis ornaret sua felicitate respublica, et vitae aeter-

[1] Cap. 19, ubi de corruptione Romanae reipublicae, priusquam cultum deorum Christus abstulerat, loquens sic ait: Ecce, Romana respublica (quod non ego primus dico, sed auctores eorum unde haec mercede didicimus, tanto ante dixerunt ante Christi adventum) paulatim mutata, ex pulcherrima atque optima pessima atque flagitiosissima facta est. Ecce, ante Christi adventum, post deletam Carthaginem maiorum mores non paulatim, ut antea, sed torrentis modo praecipitati, adeo iuventus luxu atque avaritia corrupta est. Legant nobis contra luxum et avaritiam praecepta deorum suorum populo Romano data. Cui utinam tantum casta et modesta reticerent ac non etiam ab illo probrosa et ignominiosa deposcerent, quibus per falsam divinitatem perniciosam conciliarent auctoritatem. Legant etc.; et post *intonare* edit. pergit: Et tamen luxu atque avaritia saevisque ac turpibus moribus ante adventum Christi rempublicam pessimam ac flagitiosissimam factam non imputant diis suis; afflictionem vero eius, quamcumque isto tempore superbia deliciaeque eorum perpessae fuerint, religioni increpitant christianae. Cuius etc. — De *praetermissis* sectis cfr. ibid. c. 2. seqq. — Loc. s. Script. inferius cit. est Ps. 148, 11. seq. et dein respicitur Luc. 3, 13.

nae culmen beatissime conscenderet regnatura ». Omnis autem ista *lex iusta* non nisi ex libro lucis illius, quae *Veritas* dicitur, manat, ut dicit Augustinus XIV. de Trinitate [1]; secundum quem librum habet *unicuique retribuere secundum opera sua.* Quod optime significatum est in Matthaeo [2], ubi dicitur: *Simile est regnum caelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam,* et sic qualibet hora diei; *sero autem facto, dixit dominus vineae procuratori suo: Voca operarios et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos.* Et cum aequaliter redderet omnibus, murmurabant adversus patremfamilias, dicentes: *Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et aestus. Ille autem dixit: Amice, non facio tibi iniuriam; tolle quod tuum est, et vade. An non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Quod exponens Gregorius super Evangelia [3], dicit, quod « iste paterfamilias Conditor noster est, qui regit quos condidit. Hic habet vineam, id est universalem Ecclesiam, quae ab Abel iusto usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot Sanctos protulit, quasi tot palmites misit. Hic paterfamilias qualibet hora diei operarios ad excolendam vineam misit, quia qualibet aetate mundi vel generis humani, seu cuiuslibet hominis ad erudiendam plebem fidelium praedicatores mittere non destitit ». « A novissimo autem denarium reddere paterfamilias coepit, qui ad paradisi requiem prius latronem quam Petrum vocavit; et aequalem denarium perceperunt, quia aequalem vitae aeternae retributionem sortiti sunt cum his qui ab initio mundi fuerant vocati, hi qui in fine mundi ad Dominum venerunt. Primos autem pondus diei et aestus portasse est diutius in carne vixisse et in mundo longiora tentamenta carnis tolerasse. Murmurasse autem est recte pro percipiendo regno vixisse, et tamen diu a regno

---

[1] Cap. 15. n. 21: « Ubinam sunt istae regulae scriptae, ubi quid sit iustum, et iniustus agnoscit, ubi cernit habendum esse quod ipse non habet? Ubi ergo scriptae sunt nisi in libro lucis illius, quae Veritas dicitur »? Ibi alluditur ad Ioan. 14, 6: Ego sum via, veritas et vita; et deinde citatur Apoc. 22, 12; cfr. etiam Eccli. 11, 28. — Codd. *illius, qui* pro *illius, quae.*

[2] Cap. 20, 1. seqq., deinde v. 8. et demum v. 11. seqq.

[3] Scilicet I. Homil. super Evang. homil. 19. n. 1. et dein n. 3. et 4.

percipiendo fuisse dilatos. Quasi ergo post murmurationem denarium acceperunt qui post longa inferni tempora ad gaudia regni pervenerunt. Unde et de eisdem paterfamilias dicit: *Volo et huic novissimo dare sicut et tibi.* Et quoniam ipsa regni perceptio eius est bonitas voluntatis, recte subiungit: *An non licet mihi quod volo facere?* Tunc enim conquerendum esset, si non daret quod deberet, non si dat quod non debet. Ideo additur: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Nemo se de opere, nemo de tempore extollat, cum hac expleta sententia Veritas [1] clamet: *Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi.* Ecce enim, etsi iam scimus, quae vel quanta bona egimus, adhuc, supernus Iudex qua subtilitate haec examinet, ignoramus ».

Omnino igitur *inviolabilis* est *auctoritas* huius scientiae propter *rectitudinem*, cui nihil potest admisceri *iniquum*, quoniam auctoris eius *iustitia* omnino est *inobliquabilis.*

## II.

6. Non tantum istius scientiae est magna *auctoritas* quantum ad causam *efficientem*, sed est non minor *utilitas* quantum ad causam *finalem*, quae intelligitur nomine *regni;* in Sapientia [2]: *Concupiscentia sapientiae ducit ad regnum perpetuum.* In quo quidem regno est *rectificatio* omnium iudiciorum, *tranquillatio* omnium imperiorum, *adimpletio* omnium desideriorum. — Nam ibi et rectificantur *iudicia rationis* in contemplatione *primae Veritatis*, ac per hoc *Sancti* fulgent *sapientia.* Iudicia autem omnium artificum in omni facultate errare possunt, quamdiu sunt in vita ista; ut autem pervenerint ad *contuitum Veritatis*, per quam facta sunt omnia [3], et in qua videbunt omnium tam cognoscendorum quam fiendorum rationes, tanto replebuntur *lumine sapientiae*, ut omnino errare non possint; de quo regno Apostolus [4]: *Deinde finis; cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum*

---

[1] Matth. 20, 16. [2] Cap. 6, 21.

[3] Alluditur ad Ioan. 1, 3: Omnia per ipsum facta sunt; cfr. supra pag. 4, nota 2.

[4] I. Cor. 15, 24. — Sequitur August., loc. cit. c. 8. n. 16. seq., in quo textu primo citatur I. Tim. 2, 5, dein I. Cor. 13, 12, ubi in Vulgata deest *et* post *speculum.*

*et omnem potestatem et virtutem.* Quod exponens Augustinus I. de Trinitate, dicit: « *Cum tradiderit regnum Deo et Patri,* id est, cum iustos et Sanctos, in quibus nunc regnat ex fide viventibus *mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus,* perducturus est ad speciem, id est ad contemplationem Dei et Patris, quam visionem dicit idem Apostolus *facie ad faciem,* tunc *evacuabit omnem principatum et omnem potestatem et virtutem,* id est, ut necessaria non sit dispensatio similitudinum per angelicos principatus, potestates et virtutes. Quod antequam fiat, *videmus nunc per speculum et in aenigmate,* hoc est in similitudinibus, *tunc autem facie ad faciem.* De qua item visione dicit Ioannes [1]: *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus; scimus* autem, *quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est* ». Sed, sicut dicit Gregorius II. Moralium [2]: « Et quid est quod nesciant qui scientem omnia sciunt »? haec est scientia Sanctorum, quae erit in illo regno; in Sapientia: *Iustum deduxit Dominus per vias rectas et ostendit illi regnum Dei et dedit illi scientiam Sanctorum,* ratione cuius, ut dicitur in Matthaeo, *fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum.* De hac scientiae plenitudine Augustinus XXII. de Civitate Dei [3]: « Rerum omnium quam certa, quam speciosa scientia sine aliquo errore vel labore, ubi Dei sapientia de ipso suo fonte potabitur cum summa facilitate, sine omni difficultate »!

7. Secundo, in illo regno tranquillantur *imperia facultatis* in adeptione *regiae sublimitatis* et in subiectione summae maiestatis; ac per hoc in illo regno eminent *potentia* sive *excellentia.* Nunc autem imperia non possunt esse tranquilla nec pacata propter repugnantiam temporis, sensualitatis et rationis, carnis et spiritus, voluntatis et intellectus, sed tunc perfecte erunt tranquilla, quando veniemus ad illud regnum, in quo, ut dicit Anselmus [4], « Sancti erunt omnipotentes suae voluntatis

---

[1] I. Ioan. 3, 2.

[2] Cap. 3. n. 3: « Quid enim de his quae scienda sunt nesciunt qui » etc. sed verbotenus IV. Dialog. c. 23; de quo cfr. Bonav., VIII. pag. 46, nota 10. in fine. — Sequuntur Sap. 10, 10. et Matth. 13, 43.

[3] Cap. 24. n. 5. circa finem.

[4] Proslog. c 25; cfr. etiam Meditat. 21, ubi idem recurrit. — Inferius sequuntur Isai. 9, 7. et Luc. 2, 32. ac Dan. 7, 14.

sicut Deus suae; ubi poterunt quidquid volent, quia nihil volent quod non possint »; in quo mens perfecte erit Deo subiecta, et sensualitas rationi, et caro sensualitati; de quo regno Isaias: *Multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis; super solium David et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia amodo et usque in sempiternum.* — *Pacis non erit finis* propter aeternitatem aut immensitatem, quoniam verus Salomon pacificus regnabit super illud et *sedebit super solium David* patris sui; sicut et in Luca beatae Mariae, Angelo annuntiante, promittitur: *Dabit,* inquit, *ei Dominus Deus sedem David, patris sui, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis;* et Daniel: *Potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur.* Et ideo Sancti, qui conregnabunt cum Christo tanquam coheredes illius regni, erunt pacatissimi, sicut de filiis supernae Ierusalem in Psalmo [1] dicitur: *Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te; qui posuit fines tuos pacem.* Quod exponens Augustinus in XIX. de Civitate Dei, dicit: « Quando fuerint *confortatae serae portarum* eius, iam in illam nullus intrabit, nec ab illa ullus exibit. Ac per hoc fines eius eam debemus hic intelligere pacem, quam volumus demonstrare finalem. Nam et ipsius civitatis mysticum nomen, id est Ierusalem, *visio pacis* interpretatur ».

8. Tertio, in illo regno omnia implentur *desideria voluntatis* in perfruitione summae bonitatis, ac per hoc in illo regno *gaudent perfecta laetitia.* Nunc autem nostra desideria impleri non possunt, nec desiderium habendi nec excellendi nec sciendi nec oblectandi. Quando autem ad amplexum illius veri et perfecti boni veniemus, « quo fruentes beati erimus », ut dicit Augustinus [2], tunc *implebitur in bonis desiderium* nostrum, sicut in Psalmo [3] dicitur. Nempe illud non est bonum extrinsecum, sed intrinsecum; non corporale, sed spirituale; non infimum,

---

[1] Psalm. 147, 2. — Sequitur August., loc. cit. c. 11.

[2] II. de Lib. Arb. c. 13. n. 36: « Beatus est quippe qui fruitur summo bono ». Cfr. I. Retract. c. 1. n. 4; VIII. de Civ. Dei, c. 3. et 8. et XI. c. 13. ac XIX. c. 4. 10. 11.

[3] Psalm. 102, 5. — Quoad seqq. cfr. August., I. de Sermone Domini in monte, c. 5. n. 13, ubi dicit: « Animadvertat quisque... *intrinsecus* esse beatitudinem nostram ». Cfr. etiam Bonav., V. pag. 541, n. 9.

sed sublime; non in parte, limitatum, secundum quid, imperfectum, per participationem, sed bonum totale, immensum, simpliciter, perfectissimum, per essentiam; ideo non est bonum hoc aut illud nec alio bono bonum, sed bonum omnis boni. « Quodsi possemus, omnibus bonis detractis, quae non sunt per se bona, perspicere, ipsum Deum videremus, et si amore inhaereremus, continuo essemus beati », ut eleganter ostendit Augustinus VIII. de Trinitate [1]. De isto regno Lucas: *Dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Haec mensa est aeternarum epularum, in qua, si quaeras: quis potus? respondet Psalmus: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos;* si quaeras: quis cibus? *Panis habens in se omne delectamentum et omnem saporis suavitatem;* Lucas: *Beatus, qui manducat panem in regno Dei.* Exponit autem Dionysius in Epistola ad Titum [2] istum recubitum et mensam, dicens, quod *recubitus* significat ipsam perfectam *quietem;* Sanctorum *cibum* aut alimentum, forte, manens et stabilis *perfectio; potus* autem et ebrietas incommensurabilis, adimpletio mentis et sensus *excessus.* Cui concordat Augustinus XXII. de Civitate Dei: « In illa societate Sanctorum res, qua sustententur beatique sint, Deus ipse illis est tanquam vita victusque communis ». Ibi igitur implebuntur desideria, ubi erunt perfecta gaudia, quando servi *intrabunt in gaudium Domini sui.*

Haec tria sub una auctoritate claudit Apostolus [3], subtiliter definiens regnum Dei, dicens: *Non est regnum Dei esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu sancto.* « *Iustitia* enim nihil aliud est nisi divina influentia deiformis, rectificans *iudicia; pax,* divina influentia, pacificans et tranquillans *imperia; gaudium,* divina influentia, adimplens et iucundans *desideria* [4] ».

---

[1] Cap. 3. n. 5: « Si ergo potueris, illis detractis (i. e. bonis, quae possunt alias dici etiam non bona), per se ipsum perspicere bonum, perspexeris Deum. Et si amore inhaeseris, continuo beatificaberis ». — Sequuntur Luc. 22, 29. seq.; Ps. 35, 9; Sap. 16, 20. et Luc. 14, 15, ubi Vulgata *manducabit* pro *manducat.*

[2] Epist. 9. § 4. et 5. — Sequitur August., loc. cit. c. 1. n. 2, et citatur Matth. 25, 21. 23.

[3] Rom. 14, 17.

[4] Cfr. Bonav., V. pag. 540, n. 4.

## III.

9. Non tantum istius scientiae est magna auctoritas et magna utilitas, sed et magna *profunditas*, quae intelligitur in *thesauro*, de quo paterfamilias profert nova et vetera. Istum autem thesaurum sapientiae, quia ab alio est, ideo oportet *peti et postulari;* sed quia in abdito et absconso est, oportet *inquiri;* sed quia suavis et delectabilis est, oportet eum *degustari*. Petitur autem et postulatur per vehementiam affectualis *desiderii*, inquiritur et quasi effoditur per diligentiam intellectualis *scrutinii*, sed degustatur per experientiam supermentalis *solatii*.

10. Primo igitur thesaurus sapientiae *petitur* et postulatur a Deo per vehementiam *affectualis desiderii*. Sapientia enim adeo est donum nobile, adeo excellens, ut nulli detur nisi petenti; propter quod Iacobus [1]: *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo*. Sed nullus digne postulat, nisi qui vehementer desiderat et desiderans in oratione postulat. Dicit enim Augustinus II. de Sermone Domini in monte, quod « orationis intentio cor nostrum serenat et purgat capaciusque efficit ad recipienda divina munera, quae nobis spiritualiter infunduntur. Non enim ambitione precum exaudit nos Deus, qui semper paratus est dare suam lucem nobis non visibilem, sed intelligibilem et spiritualem ». Propterea in Sapientia [2]: *Optavi, et datus est mihi sensus; invocavi, et venit in me spiritus sapientiae*, quae *infinitus thesaurus est*, sicut ibidem dicitur; et in Numeris: *Domine Deus, audi clamorem populi huius et aperi eis thesaurum tuum, fontem aquae vivae*. In *clamore* vehementia desiderii et fervor orationis exprimitur; per *thesaurum aquae vivae*, cuius ipse Deus est fontanum principium, sapientia designatur, qua potantur mentes fidelium, iuxta illud Ecclesiastici: *Aqua sapientiae salutaris potavit illum*.

11. Secundo, sapientiae thesaurus *investigatur* et inquiritur per diligentiam *intellectualis scrutinii*. Quemadmodum enim thesaurus effoditur de occultis venis, ita *sapientia trahitur de*

---

[1] Cap. 1, 5. — Sequitur August., loc. cit. c. 3. n. 14, ubi in textu originali *excipienda* pro *recipienda*.

[2] Cap. 7, 7, post quem v. 14. Deinde sequuntur Num. 20, 6. et Eccli. 15, 3.

*occultis*, ut dicitur in Iob [1]. Eruitur autem *de occultis* per solertem *investigationem;* in Proverbiis dicitur de sapientia: *Si quaeris eam, quasi pecuniam et quasi thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini et scientiam Dei invenies.* Ista autem *effossio* non est aliud nisi diligens et solers investigatio; an non quaedam effossio est, quando de sensu litterali multi sensus mystici, qui latebant, ad modum thesauri eliciuntur, et cum, quod est mirabile, eadem, quae quasi operta et obscure in aliquibus latent, in aliis manifeste et evidenter apparent, idem in promptis, quod in reconditis habentia? Rationem autem huius assignat Augustinus II. de Doctrina christiana [2], dicens: « Magnifice et salubriter Spiritus sanctus ita Scripturas sanctas notificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus fastidia detergeret. Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur ». Et tamen, ut in eodem capitulo dicit, « quibusdam locis, quid vel falso suspicentur homines, non inveniunt, ita obscure quaedam dicta caliginem densissimam obducunt. Quod totum provisum esse divinitus, non dubito, ad edomandam labore superbiam et intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescunt ». In IV. autem assignat quadruplicem rationem, scilicet « ad exercendas et elimandas quodam modo mentes legentium, ad rumpenda fastidia atque acuenda studia discere volentium, celandos quoque, sive ut ad pietatem convertantur, sive ut a mysteriis excludantur, animos impiorum ». Quam rationem de Mystica Theologia Dionysius [3] assignat. Solers igitur et diligens *investigatio* atque perscrutatio ad thesauros sensuum spiritualium de ista minera litterae educendos debet invigilare studentium. Unde et in Iob dicitur: *Quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer, cum invenerint sepulcrum.* « Quanto enim aliquid difficilius quaeritur, tanto delectabilius invenitur », ut Augustinus [4] dicit et Gregorius V. Moralium.

---

[1] Cap. 28, 18. — Deinde sequitur Prov. 2, 4. seq.

[2] Cap. 6. n. 8, dein n. 7; et demum IV. c. 8. n. 22, ubi in edit. *secludantur* pro *excludantur*.

[3] Cap. 1. § 1. seqq. — Inferius sequitur Iob 3, 21. seq.

[4] Enarrat. in Ps. 103. serm. 2. n. 1: « Unde quod difficilius quaeritur solet dulcius inveniri »; cfr. XV. de Trin. c. 2. n. 2: « Nam et quaeritur, ut inve-

12. Tertio, iste thesaurus *custoditur* et quasi degustatur per experientiam *supermentalis solatii*, et in ista experientia perficitur notitia, ut dicit Augustinus [1]; et in I. de Trinitate [2] dicitur, quod « tactus tanquam finem facit notionis », eo quod tactus est sensus experimentabilis. Est autem sapientia non tantum a *sapere*, sed a *sapore* dicta [3]; ideo de ipsa dicitur Proverbiorum ultimo [4]: *Gustavit et vidit, quia bona est negotiatio eius.* Nullus enim rem perfecte sapidam cognoscit nisi experiendo et degustando; unde in Proverbiis, ubi littera communis habet: *Thesaurus desiderabilis et oleum in habitaculo iusti*, alia translatio habet: *Thesaurus desiderabilis requiescet in ore sapientis.* Quam exponit tam Augustinus quam Gregorius, quod sapientia et verba sacrae Scripturae non debent ita in memoriam traiici, ut ad gustum spiritualem non revocentur, sed debent ruminari. Animalia enim munda erant in Lege,

---

niatur dulcius, et invenitur, ut quaeratur avidius ». — Locus Gregorii est ibi c. 4. n. 6.

[1] In codd. citatur quidem 83 Qq. q. 37, sed ibi solum explicatur, melius de Filio Dei dicendum esse, eum semper natum, quam semper nasci; q. 35. n. 1. autem dicitur: « Bonum, quod non amatur, nemo potest perfecte habere vel nosse. *Quis enim potest nosse, quantum sit bonum, quo non fruitur* »? Cfr. etiam IX. de Trin. c. 12. n. 18, ubi dicitur: « Partum mentis antecedit appetitus quidam, quo id quod nosse volumus quaerendo et inveniendo nascitur proles ipsa notitia; ac per hoc appetitus ille, quo concipitur pariturque notitia, partus et proles recte dici non potest, idemque appetitus, quo inhiatur rei cognoscendae, fit amor cognitae, dum *tenet atque amplectitur* placitam prolem, id est notitiam, gignentique coniungit »; vide ibid. c. 1. n. 1, XI. c. 7. n. 12. et XV. c. 26. n. 47.

[2] Cap. 9. n. 18. in medio.

[3] Ut dicit Bernard., serm. 85. in Cant. n. 8; cfr. Bonav., I. pag. 13, nota 5. et III. pag. 612, nota 3.

[4] Scil. c. 31, 18. et dein 21, 20, in quo textu alia translatio (Septuaginta scil.) legit *super os* pro *in ore*, quod etiam August., Enarrat. in Ps. 36. serm. 3. n. 5. et in Ps. 141. n. 1. exhibet, ubi istum textum explicat. — Gregor. autem, IV. Moral. c. 31. n. 61; II. Homil. in Ezech. homil. 6. n. 2. et I. Homil. in Evang. homil. 10. n. 6, illud verbum Prov. 21, 20. (sec. LXX, etiam August. sic legit) ita exponit, ut nomine *thesauri* (vel auri, ut ipse dicit) sapientia designetur. — De ipsa re, scil. *ruminatione*, vide eiusdem Gregorii Exposit. in Cant. 7, 9. n. 14, ubi dicit: « Idcirco in Lege (Lev. 11, 3. et Deut. 14, 6.) scribitur, quia animal, quod non ruminat, immundum habetur; quia quisquis bona, quae audit sive legit, non recogitat, vacans a sanctis cogitationibus, necessario immundas cogitat »; et I. Homil. in Ezech. homil. 3. n. 4, ubi de *fissione ungulae*, i. e. discretione. Cfr. etiam August., Serm. 149. de Verbis Act. c. 3. n. 4, et Bonav., V. Collat. in Hexaëm. collat. 19. n. 18.

quae findebant ungulam et quae ruminabant. Fissio ungulae discretionem significat, ruminatio vero, qua cibus iactatus in stomachum ad gustum revocatur, et ex illa dulcedine cibi animal conquiescit, utique frequentem recogitationem et rememorationem cum delectatione designat, in qua delectatione animus spiritualiter conquiescit, quia, ut dicit Salomon, *thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis.* Sed multi sunt, qui statim alimentum cibi aut evomendo reiiciunt ad modum canum [1], aut in memoriam traiiciunt, sed velut animalia immunda nunquam ad os reducunt, sed quasi in secessum emittunt. Debent ergo verba sacrae Scripturae, quae sunt cibus et alimentum animae, frequenter ad gustum de memoria tanquam de ventre revocari et quadam spirituali delectatione in eius dulcedine quietare. Quanto enim amplius degustatur et de memoria reducitur, tanto magis postea in memoria firmatur.

## IV.

13. Istius scientiae non tantum est magna auctoritas, magna utilitas et magna profunditas, sed etiam magna *facilitas*, quae intelligitur, cum dicitur, quod de thesauris proferuntur *nova et vetera*, per quae duo Testamenta intelliguntur; in quibus est magna facilitas tum propter brevitatem, tum propter ordinem, tum propter concordiam, quia, ut dictum est [2], quod in uno implicite, in alio explicite, quod in uno figurate, in alio expresse continetur. Dicitur autem *novum Testamentum* propter nova *praecepta*, propter nova *Sacramenta*, propter nova *promissa:* primo, propter *nova praecepta*, quia in veteri data fuerunt praecepta *timoris*, sed in novo dantur praecepta *amoris.* Ideo dicit Augustinus contra Adimantum [3], quod « brevis est differentia Legis et Evangelii: timor et amor ». Propter quod in Ioanne dicitur: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* — Secundo novum dicitur propter *nova Sa-*

[1] Alluditur ad Prov. 26, 11. et II. Petr. 2, 22. [2] Supra pag. 14.

[3] Manichaeum scil., c. 17. n. 2. circa finem: « Haec est brevissima et apertissima differentia duorum Testamentorum: timor et amor; illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet, utrumque tamen unius Dei misericordissima dispensatione prolatum atque coniunctum »; cfr. Bonav., III. d. 40 q. 1. et V. pag. 203, nota 3. — Sequitur Ioan. 13, 34.

*cramenta*, quoniam in veteri fuerunt instituta Sacramenta plura et difficiliora et minus virtuosa, prout competebat servientibus sub timore; sed « in novo instituta minora et pauciora et actu faciliora et virtute efficaciora », prout dicit Augustinus contra Faustum [1]. Propter quod dicitur [2]: *Si enim sanguis hircorum aut vitulorum emundatos sanctificat, quanto magis sanguis Christi!* et postea: *Ideo novi testamenti mediator est.* Omnia enim Sacramenta habent efficaciam a sanguine Christi; « in effluxione enim sanguinis et aquae de latere Christi morientis in cruce significantur Sacramenta, ex quibus formatur Ecclesia, quemadmodum de latere Adae dormientis formata est Eva », ut dicit Augustinus [3]. Et ideo idem Apostolus [4] dicit: *Hic calix novum testamentum est in sanguine meo.* — Tertio novum Testamentum dicitur propter *nova promissa*, quoniam in Testamento veteri promittebantur carnalia et temporalia et terrena, qualia hominibus animalibus competebant, sed in novo tanquam spiritualibus promittuntur spiritualia, caelestia et aeterna. Propter quod dicitur [5]: *Ecce, dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Iudae foedus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, ut*

---

[1] XIX. c. 13: « Alia (i. e. Sacramenta novae legis) sunt instituta virtute maiora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora tanquam iustitia fidei revelata »; cfr. Bonav., III. pag. 891, nota 3.

[2] Hebr. 9, 13. seq., ubi Vulgata: Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto etc. Deinde sequitur v. 15.

[3] In Ioan. Evang. tr. 9. n. 10: « Dormienti Adae fit Eva de latere; mortuo Christo, lancea percutitur latus, ut profluant Sacramenta, quibus formetur Ecclesia »; ibid. tr. 120. n. 2: « Hic secundus Adam, inclinato capite, in cruce dormivit, ut inde formaretur ei coniux, quod de latere dormientis effluxit »; ibid. tr. 15. n. 8: « Quoniam de Christo in cruce dormiente futura erat Ecclesia de latere eius, de latere scilicet dormientis, quia de latere in cruce pendentis lancea percusso Sacramenta Ecclesiae profluxerunt »; Enarrat. in Ps. 40. n. 10: « Quando fabricata est Eva? Dum dormiret Adam. Quando de latere Christi Sacramenta profluxerunt? Cum dormiret in cruce »; cfr. etiam Enarrat. in Ps. 55. n. 11; in Ps. 126. n. 7; in Ps. 118. n. 2; serm. 218. (alias 76. de diversis) n. 14; serm. 336. (alias 1. de Tempore) c. 5. n. 5; et Bonav., l. pag. 2, nota 19. [4] 1. Cor. 11, 25.

[5] Ier. 31, 31. seq. et dein v. 33. — De istis novae legis promissionibus cfr. Bonav., III. d. 40. q. 1. et q. 2. in corp.; item IV. d. 23. dub. 6. (pag. 764), ac August., X. de Civ. Dei, c. 25. et IV. c. 33: « Et hoc est sacramentum veteris Testamenti, ubi occultum erat novum, quod illic promissa et dona terrena sunt ».

*educerem eos de terra Aegypti;* et post: *Dabo legem meam in visceribus eorum et in corde eorum scribam eam et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum.* Nova igitur sunt promissa, quia patribus promisit terram, nobis autem non tantum caelum, sed semetipsum.

14. Doctor ergo istius scientiae, qui nomine *scribae* intelligitur ad similitudinem *patrisfamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera,* docere debet novum et vetus Testamentum. « Et in veteri adumbratur novum et novum non est nisi veteris revelatio », ut dicit Augustinus XVI. de Civitate Dei [1]; et ideo unum consummatur per aliud. Tamen, quia, ut idem dicit [2], novum prius est *dignitate,* vetus prius *tempore;* ideo praemittitur hic novum ante vetus; sed quoniam in unoquoque *prius quod carnale est, non quod spirituale,* ideo in ordine Scripturae praemittitur vetus; et sic prima divisio totius Scripturae sacrae, quae est forma tractatus, est in novum et vetus Testamentum, ita tamen, quod prius vetus et postea novum.

15. Vetus autem quadripartitum est; continet enim *praecepta legalia, Patrum exempla, Prophetarum oracula* et *monita* sive *documenta sapientialia.* Et ideo libri veteris Testamenti sunt in quadruplici differentia. Quidam sunt *legales,* continentes *praecepta regulantia;* quidam *historiales,* continentes *exempla moventia;* quidam *prophetales,* continentes *oracula illustrantia;* alii *sapientiales,* continentes *documenta* et *monita dirigentia* et informantia.

16. *Legales* sunt quinque, scilicet *Genesis,* in quo agitur de populi multiplicatione et electione, cui debuit lex dari; *Exodus,* in quo agitur de legislatione; *Leviticus,* in quo agitur de ritu sacrificiorum, de divino cultu et Sacramentorum institutione; *Numeri,* in quibus agitur de illius populi progressu et ordinatione; *Deuteronomium,* in quo agitur de legis recapi-

---

[1] Cap. 26. n. 2: « Parentum mutantur et nomina, omnia resonant novitatem, et in Testamento veteri obumbratur novum. Quid est enim quod dicitur Testamentum vetus nisi occultatio novi? Et quid est aliud, quod dicitur novum, nisi veteris revelatio »?

[2] XX. de Civ. Dei, c. 4: « Quamvis enim vetera priora sint *tempore,* nova tamen anteponenda sunt *dignitate,* quoniam illa vetera praeconia sunt novorum ». — Inferius alluditur ad I. Cor. 15, 46, ubi Vulgata: Non prius quod spirituale est, sed quod animale.

tulatione; unde Deuteronomium quasi « *secunda lex*, in quo, secundum Hieronymum [1] et Isidorum, Legis praesignatio est, quae sic habet ea quae priora sunt, ut tamen nova sint omnia, quae in eo replicantur ».

17. *Historiales* sunt decem, quoniam historia aut respicit *totius illius populi statum communem*, aut *alicuius personae notabilis statum singularem*. Libri respicientes *totius populi statum communem* sunt quinque: primus, *Iosue*, in quo de ingressu in terram promissionis et distributione terrae populo agitur, in quibus Ecclesiae et caelestis Ierusalem regna praefigurantur; secundus, *liber Iudicum*, in quo de profectu illius populi et multiplici variatione statuum agitur; tertius, *liber Regum*, in quo agitur de promotione et exaltatione in regno; quartus, *Paralipomenon*, in quo de exaltatione in sacerdotio; quintus, *libri Esdrae* et *Nehemiae*, in quibus de reparatione agitur post ruinam; agitur enim in eis de reparatione templi et civitatis; qui propter brevitatem et conformitatem in unius voluminis angustiam coarctantur. — Libri autem respicientes *personarum notabilium statum singularem* similiter sunt quinque: primus, *Iob*, qui fuit sub lege naturae exemplum patientiae; secundus, *Tobias*, qui eiusdem patientiae exemplum exstitit in lege scripturae; tertius, *Iudith*, exemplum pudicitiae; secundum Hieronymum [2] et Augustinum pudicitiae et castitatis merito amputavit caput Holofernis; quartus, *Esther*, exemplum clementiae, quae pro liberatione populi, cum esset regina, non fuit elata per superbiam, sed per clementiam et misericordiam inclinata; quintus, *libri Machabaeorum*, in quibus datur exemplum constantiae; qui usque ad mortem pro patriis legibus certaverunt, ac per hoc figuram Martyrum in Ecclesia praefigurant.

---

[1] Epist. 53. (alias 103.) ad Paulinam n. 8:... « secunda lex et evangelicae Legis praefiguratio, nonne sic ea habet, quae priora sunt, ut tamen nova sint omnia in veteribus » ? Et Isidor., VI. Etymolog. c. 2. n. 7: « Deuteronomium Graeco sermone appellatur, quod Latine interpretatur *secunda lex*, id est repetitio et evangelicae Legis praefiguratio, quae sic ea habet, quae » etc.

[2] Epist. 79. (alias 9.) ad Sabinam n. 11: « Iudith et Anna.. orationibus et ieiuniis thesaurum pudicitiae conservabant. Unde et altera (Iudith) in typo Ecclesiae diabolum capite truncavit ». — Et August., serm. 48. in appendice (alias 228. de Tempore) n. 2. et 3; cfr. etiam ibid. serm. 49. n. 1.

18. Libri *sapientiales* sunt quinque. Quatuor enim continent *informationes speciales*, unus *informationem universalem*. Primus, *Proverbiorum*, in quo traduntur documenta informantia ad exercitium et profectum virtutis; secundus, *Ecclesiastes*, in quo traduntur documenta informantia ad contemptum vanitatis, quibus disponitur mens ad degustationem suavitatis, quae est in amplexu caritatis, de quo agitur in *Canticis Canticorum*, et ad contemplationem veritatis in *libro Sapientiae*, ubi docetur, sapientiam cognosci in viis suis; ac per hoc primi duo pertinent ad exercitium actionis, alii duo ad otium contemplationis. Quintus est *Ecclesiasticus*, continens documenta ad *universalem informationem* et quasi omnia superiora complectens.

19. Libri *prophetales* sunt sex. Prophetia enim tripliciter explicari potest: aut per *medium orationis*, in quo lumen gratiae impetratur, et sic est unus *liber Psalmorum*, propter veritatem gratiae Spiritus. — Aut per *modum praedicationis*, in qua veritas manifestatur, et sic sunt quatuor: primus, *Isaias*, qui principaliter praedicit incarnationis mysterium, unde et saepe nominat Christi adventum; secundus, *Ieremias*, qui principaliter praedicit passionis remedium, unde in fine subiungit Lamentationes et in se ipso passionem Domini figuravit; tertius, *Ezechiel*, qui praedicit principaliter resurrectionis tropaeum, unde et resurrectionem et templi reaedificationem explicat evidenter; quartus, *Daniel*, qui praedicit principaliter retributionis iudicium, unde et describit antichristi adventum et finale iudicium et ea quae circa haec versantur. — Aut per *modum testificationis*, in quo lumen fidei corroboratur; sic est unum volumen *duodecim Prophetarum*, qui suis testimoniis fidem confirmant in veteri Testamento, sicut *duodecim Apostoli* in novo, et est numerus testium non solum sufficiens, sed abundans; qui omnes propter consensum in uno volumine continentur. — Patet igitur sufficienter divisio librorum veteris Testamenti.

20. Post vetus autem solvitur novum, quod quia in veteri continetur sicut *rota in rota* [1], ideo conformiter dividitur. Continet enim et *praecepta dominica* et *exempla apostolica* et *documenta canonica* et *oracula prophetica*. Et praecepta domi-

[1] Cfr. supra pag. 3, nota 2.

nica, quae in Evangeliis continentur, respondent *libris legalibus*. Evangelia autem sunt quatuor tantum, quoniam agunt de Christo, qui est « gigas geminae substantiae [1] » quantum ad naturam et geminae potentiae quoad officium, quia Deus et homo, rex et sacerdos; ideo primum est Evangelium *Matthaei*, qui agit de eius humanitate; secundum *Marci*, qui agit de regia potestate; tertium *Lucae*, qui agit de sacerdotali dignitate; quartum *Ioannis*, qui agit de eius Divinitate. — Exempla apostolica respondent *libris historialibus*, quae in uno volumine *apostolicorum Actuum* continentur propter unitatem corporis mystici et caritatis vinculum commendandum; propter quod dicitur in eodem libro [2], quod *multitudinis credentium erat cor unum et anima una*. — Documenta canonica respondent *libris sapientialibus*, quae in duobus Epistolarum voluminibus continentur, scilicet *Pauli* et *Canonicarum*, quarum Epistolae Pauli continent informationes speciales, et ideo ad speciales ecclesias et personas diriguntur; Epistolae autem Canonicae continent informationes generales, et ideo ad omnes communiter transmittuntur et nomen commune sibi retinent, ut Canonicae nuncupentur. — Oracula prophetica respondent *libris prophetalibus*, quae continentur in uno libro *Apocalypsis;* respiciunt enim statum finalem Ecclesiae, in quo est quies et consummatio. Et ideo iste liber finem et consummationem tribuit toti Scripturae; et quia consummatio est in unitate, ideo unus tantum est liber.

21. Numerus igitur librorum veteris et novi Testamenti sunt triginta quatuor: viginti sex in veteri et octo in novo. Quamvis enim aliqui ex libris veteris Testamenti non habeantur in Hebraeo canone secundum Hieronymum [3], eos tamen in auctoritate recepit Ecclesia; ut autem dicit Augustinus [4], magis sequenda est sententia, quam in huiusmodi librorum auctoritate tenet Ecclesia Spiritu sancto repleta, quam ea quam tenuit arida synagoga. Et quoniam Testamentum novum perfectius et aper-

---

[1] Ut dicit August., contra sermonem Arianorum, c. 8. n. 6. in fine; cfr. Bonav., VII. pag. 379, nota 9.

[2] Cap. 4, 32.

[3] In Praefatione sive Prologo, galeato dicto, ad I. Regnorum (Regum).

[4] II. de Doctr. christ., c. 8. n. 12, ubi de receptione librorum canonicorum auctoritate Ecclesiae. Idem, serm. 89. (alias 9.) n. 1, synagogam vocat *aridam* arborem.

tius et facilius est, ideo libri Testamenti novi pauciores et breviores sunt. — Et sic patet, quod convenienter commendata est et descripta sacra Scriptura in verbo proposito [1] : *Omnis scriba doctus in regno caelorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.*

---

# SERMO

## DE STUDIO SACRAE SCRIPTURAE.

*Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum* [2].

1. Volenti studere in aliqua scientia quatuor sunt necessario attendenda, scilicet qualis debeat esse *discipulus*, quis *doctor*, quae *facultas* et quae *utilitas*. Quae nobis consideranda proponuntur in verbo proposito volentibus accedere ad divinam scientiam, quae theologia proprie nuncupatur. « Est enim theologia, ut dicit Augustinus VIII. de Civitate Dei [3], sermo vel ratio de Deo ».

Primo enim ostenditur, quis theologiae *auditor idoneus*, quis *doctor primarius* et praecipuus, quae *facultas*, quae *utilitas*, ac per hoc describitur primo quantum ad *idoneitatem* ex parte *discipuli;* si enim quaeras, quis huius scientiae auditor idoneus; non bestia vel brutum animal, sed *homo rationalis* et intellectualis: *homo*, inquit. Secundo, quantum ad auctoritatem ex parte *magistri;* si enim quaeras, quis doctor praecipuus; *Deus gloriosus* et sublimis: *quem tu*, inquit, *erudieris et docueris*. Tertio, quantum ad continentiam ex parte *materiae;* si enim quaeras, quae facultas, aut quae doctrina; *lex* Domini: *de lege*, inquit, *tua*. Quarto, quantum ad efficaciam ex parte *finis;* si enim quaeras, quae utilitas; *beatus*, inquit. Quid enim utilius, aut quid desiderabilius quam esse beatum!

---

[1] Matth. 13, 52. — Cfr. Bonav., V. p. 202, nota 10. et pag. 421, nota 3, et August., II. de Doctr. christ. c. 8. n. 13. [2] Psalm. 93, 12.

[3] Cap. 1 : « Quo verbo Graeco (scil. theologia) significari intelligimus de Divinitate rationem sive sermonem ».

## I.

2. Dicit ergo: *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine* etc. Auditor et discipulus in hac scientia debet esse *homo*, non animal brutum aut bestia. Triplex autem conditio facit *hominem* istius scientiae *idoneum auditorem*, quae homini convenit a natura, scilicet *humilitas animi* cum fidei pietate, *aviditas desiderii* cum studii sedulitate, *puritas* seu serenitas *intellectualis oculi* cum mentis tranquillitate.

3. Prima conditio, quae facit hominem idoneum discipulum et auditorem in hac scientia, est *humilitas animi* cum fidei pietate, ut videlicet discipulus vel auditor in hac scientia sit *subiectus et pius*, ut audiat cum omni reverentia. Oportet enim, discipulum intrare scholas et se magistro humiliter subiicere, audiendo autem non contradicere, sed pie et fideliter assentire, quoniam doctrina haec altissima est, ostium autem sanctae scholae demissum, et magister magnae auctoritatis. *Ostium* enim Christus est, qui de se in Ioanne dicit [1]: *Ego sum ostium: qui semetipsum humiliavit, formam servi accipiens.* Ideo si quis erecta cervice praesumat intrare, allidet caput ad limen. Primo ergo ingressu superbos repellit, humiles recipit et admittit. Unde Augustinus ad Dioscorum [2]: « Nullam aliam viam ad capessendam veritatem invenies, quam quae inventa est ab eo qui gressuum nostrorum tanquam Deus videt infirmitatem; ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, et quoties interrogares, sic dicerem ». Ideo dicitur [3]: *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis.* Humiliter autem ingredientem, secundum

---

[1] Cap. 10, 9. et deinde sequitur Phil. 2, 7, ubi Vulgata *exinanivit* pro *humiliavit* (quod verbum tamen occurrit v. 8.).

[2] Epist. 118. (alias 56.) c. 3. n. 22: « Huic te, mi Dioscore, ut tota pietate subdas velim, nec aliam tibi ad capessendam et obtinendam veritatem munias, quam quae munita est ab illo qui gressuum nostrorum tanquam Deus vidit infirmitatem » etc. post *dicerem* edit. pergit: « non quo alia non sint praecepta, quae dicantur, sed nisi humilitas omnia, quaecumque bene facimus, et praecesserit et comitetur et consecuta fuerit, et proposita, quam intueamur, et apposita, cui adhaereamus, et imposita, qua reprimamur, iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia ».

[3] Matth. 11, 25.

Augustinum II. de Doctrina christiana [1], « mitescere opus est pietate nec contradicere divinae Scripturae, sive intellectae, si aliqua vitia nostra percutit, sive non intellectae, quasi nos per nos ipsos aliquid melius sapere possimus », sed potius captivare *intellectum* suum *in obsequium Christi* [2], « omnem abigere terrenarum caliginem rationum, ut ab emundatae fidei oculis omnis mundanae sapientiae fumus abscedat; divina est auctoritas, cui credimus; divina et doctrina, quam sequimur », ut dicit Leo [3]. Si quid enim falsum est, ibi reprobatur; si quid verum, ibi approbatur; si quid autem contrarium inveniatur, nullo modo dubitetur esse falsissimum. Propter quod dicitur [4] in Isaia, secundum aliam translationem: *Nisi credideritis, non intelligetis.* « Humanae enim mentis acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei nutrita vegetetur [5] »; mysteria enim Scripturae, nisi fides credat, sermo non explicat. Propter quod dicitur homini investigare volenti mysteria Dei [6]: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* E contrario autem de illo vero humili et pio discipulo veritatis, Simeone, dicitur [7]: *Homo erat in Ierusalem iustus et timoratus, exspectans redemptionem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo: iustus,* per humilitatem et obedientiam; *timoratus,* per pietatem et reverentiam; *exspectans redemptionem,* per aeternam sapientiam; et ideo *Spiritus sanctus erat in eo,* per inhabitantem gratiam.

4. Secunda conditio, quae facit hominem idoneum discipulum et auditorem in hac scientia, est *aviditas desiderii* cum stu-

---

[1] II. c. 7. n. 7, ubi edit. post *non intellectae* clarius continuat: quasi nos melius sapere meliusque praecipere possimus, sed cogitare potius et credere, id esse melius et verius, quod ibi scriptum est, etiam si lateat, quam id quod nos per nosmetipsos sapere possumus.

[2] Respicitur II. Cor. 10, 5: In captivitatem redigentes omnem intellectum etc.

[3] Serm. 27. (alias 26.), in Nativitate autem Domini serm. 7. c. 1, de mysterio nativitatis Domini nostri loquens ait: « Cum ergo ad intelligendum sacramentum nativitatis Christi, qua de matre Virgine est ortus, accedimus, abigatur procul terrenarum caligo rationum, et ab illuminatae fidei oculis mundanae sapientiae fumus abscedat » etc.

[4] Cap. 7, 9; alia translatio est secundum Septuaginta; Vulgata: Si non credideritis, non permanebitis. Cfr. Bonav., III. d. 24. q. 3. et VII. pag. 4, nota 8.

[5] Ut dicit August., l. de Trin. c. 2. n. 4. Cfr. Bonav., I. d. 2. in textu Magistri c. 1, et in Comment. dub. 2.

[6] Rom. 9, 20.

[7] Luc. 2, 25, ubi Vulgata *consolationem* pro *redemptionem.*

dii sedulitate, ut sit discipulus istius doctrinae *avidus et studiosus*, ut audiat cum omni complacentia et diligentia. Post ingressum enim in scholam et assensum his quae dicuntur a magistro, oportet ferventer et anxie desiderare, desiderando diligenter investigare, quoniam fervens desiderium parit diligens studium; quoniam haec scientia *pretiosissima* est, ita quod *nescit homo pretium eius* [1]; et *profundissima: Alta profunditas, quis investigabit eam?* Ideo donum sapientiae non datur nisi ferventer desiderantibus et prae eius amore omnia contemnentibus et despicientibus; in Sapientia [2]: *Optavi, et datus est mihi sensus; invocavi, et venit in me Spiritus sapientiae, et praeposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius.* Et propterea Daniel, *quia vir* fuit *desideriorum* [3], accepit per revelationem intelligentiam mysteriorum. Quia autem profundissima, non invenitur nisi a studiosis et diligenter investigantibus; propterea dicitur [4]: *Beatus homo, qui audit me et qui vigilat ad fores meas quotidie et observat ad postes ostii mei: qui audit,* cum reverentia; *et vigilat,* cum vigilantia; *et observat,* cum magna diligentia. De studio autem pariter et desiderio dicitur [5]: *Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro; quem qui invenit homo abscondit et prae gaudio illius vadit et vendit universa, quae habet, et emit agrum illum: ager,* Scriptura sacra; *thesaurus,* sapientia, sed *abscondita,* quia in Scripturae mysteriis obvoluta; *quem qui invenit homo,* avidus et studiosus, *prae* desiderio *vendit universa, quae habet, et emit agrum.* Gregorius [6]: « Agrum, venditis omnibus, comparat qui voluptatibus carnis renuntians, cuncta sua terrena desideria per disciplinae caelestis custodiam calcat », quoniam, ut dicitur in Proverbiis [7], *beatus homo, qui invenit sapientiam;* et post: *Melior est acquisitio eius negotiatione argenti et auri.*

5. Tertia conditio, quae facit hominem idoneum auditorem istius scientiae, est *puritas oculi* cum mentis tranquillitate, ut scilicet discipulus veritatis sit *sanctus, purus et tranquillus,* ita quod audiat cum magna tranquillitate et cordis munditia. Post

[1] Iob 28, 13. et deinde sequitur Eccle. 7, 25.
[2] Vers. 7. seq.
[3] Cfr. Dan. 9, 23; 10, 11. et 19.
[4] Prov. 8, 34.
[5] Matth. 13, 44.
[6] I. Homil. in Evang. homil. 11. n. 1.
[7] Cap. 3, 13. et dein v. 14.

ingressum enim et assensum, post desiderium et studium oportet oculum mentis purgare et serenare et tranquillare mentem; *beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* [1]. Oculus autem intellectualis *sordidatur* interdum pulvere inanis gloriae, *obnubilatur* caligine phantasmatum sensualium, *maculatur* tabe delectationum carnalium, *perturbatur* tumultuatione passionum. Ideo *purificatur* per *intentionis simplicitatem;* quo nullo studio placendi hominibus, sed solum amore intellectualis pulcritudinis studeret sapientiae. Et iste est oculus simplex et mundum cor; « idem enim est mundum cor quod simplex cor [2] ». — *Purificatur* per *castitatem;* radius enim aeternae veritatis non nisi animis mundis illabitur, quoniam, ut dicitur in Sapientia [3], *in malevolam animam non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis,* sed *in animas sanctas se transfert,* quippe *candor est lucis aeternae et speculum sine macula, Dei maiestatis et imago bonitatis illius.* Propter quod Apostolus, sapientiae studiosus, dicit [4]: *Volo, omnes homines esse sicut me ipsum,* id est continentes et castos. — *Serenatur* per *mentis sublimitatem* in tantum, ut nubes phantasmatum non possint illuc conscendere; *quoniam animalis homo non percipit ea quae spiritus Dei sunt; stultitia enim est illi, et non potest intelligere* [5]. — Sed *tranquillatur* et pacatur *subactione* et ordinatione *passionum.* Mens enim turbata verum intueri non potest, quiescendo autem fit sapiens; unde Boethius in fine I. de Consolatione [6]:

« Tu quoque si vis lumine claro
Cernere verum, tramite recto
Carpere callem; gaudia pelle,
Pelle timorem spemque fugato
Nec dolor adsit. Nubila mens est
Vinctaque frenis, haec ubi regnant ».

---

[1] Matth. 5, 8.

[2] Ut dicit August., I. de Sermone Domini in monte, c. 2. n. 8. et II. de eodem: « Pertinet ad oculum mundum non intueri in recte faciendo laudes hominum et ad eas referre quod recte facis, id est, propterea recte facere aliquid, ut hominibus placeas... Non habet simplex, id est mundum cor, nisi qui transcendit humanas laudes et illum solum intuetur, cum recte vivit, et ei placere nititur, qui conscientiae solus inspector est »; et ibid. c. 22. n. 76.

[3] Cap. 1, 4. dein sequitur c. 7, 27. ac 26.

[4] I. Cor. 7, 7, ubi Vulgata *vos* pro *homines.*

[5] I. Cor. 2, 14.

[6] Metrum 7.

*Homo sanctus in sapientia manet sicut sol* [1]; *homo sanctus*, purus et quietus, *manet* stabiliter in scientia, *sicut sol*, sed *stultus*, qui agitatur passionibus, *ut luna mutatur*. Purificato autem et serenato caelo intellectuali et quietata mente, potest discipulus sapientiae rapi cum Paulo [2] *usque ad tertium caelum*, id est usque ad intellectualem visionem; sed nescit, *utrum in corpore, an extra corpus*, quia, ut dicitur in Exodo [3], *non videbit me homo et vivet*, sive quia non nisi post hanc vitam videbimus, sive quia in tantum videmus, in quantum carnalibus affectibus morimur, ut, reputantes mundum nobis mortuum, nos quoque huic mundo moriamur et dicamus quod ait Apostolus [4]: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*. — Ecce, istius doctrinae auditor idoneus.

## II.

6. Sed quis *doctor praecipuus?* Subdit: *Quem tu, Domine, erudieris et docueris*, ut *eruditio* referatur ad incipientes et minus capaces, sed *doctrina* ad provectiores. Sed de excellentia istius *magistri* supervacuum videtur dicere; ideo de *modo* docendi, quo eius doctrina redditur authentica et confirmatur, aliquid dicendum est. Docet autem operationum *prodigiis*, revelationum *spiraculis* et Sanctorum *testimoniis et ministeriis*.

7. Primo ergo docet per *prodigia operum* tam naturae quam gratiae quam iustitiae; et per *opera* conditionis, administrationis et reparationis, ita quod in omnibus divina sapientia nobis occurrit et se tanquam artifex repraesentat. Ubique enim eius vestigia, licet alibi magis, alibi minus, sparsa colligimus; nulla enim est tam exigua creatura, in qua non sit modus, species et ordo [5], ac per hoc ducit nos ad sapientiam. Ideo dicit sanctus Iob [6]: *Interroga iumenta, et docebunt te; volatilia caeli,*

---

[1] Eccli. 27, 12.
[2] II. Cor. 12, 2. seq.
[3] Cap. 33, 20.
[4] Gal. 6, 14.
[5] Cfr. August., de Natura boni, c. 3: « Haec ergo tria: modus, species, ordo tanquam generalia bona sunt in rebus a Deo factis, sive in spiritu, sive in corpore ». Similia dicit V. de Civ. Dei, c. 11, ubi tractat de universali providentia Dei, cuius legibus omnia continentur. Vide Bonav., I. d. 3. p. I. dub. 3. et II. d. 35. a. 2. q. 1. seqq.
[6] Cap. 12, 7. seq.

*et indicabunt tibi; loquere terrae, et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris;* omnia enim haec manus Domini fecit; et Salomon [1]: *Vade ad formicam, o piger, et considera vias eius et disces sapientiam.* Sed quia « naturae opera, quamvis invisibilia, quotidiana viluerunt et perseverantia consuetudinis perdiderunt admirationem; ideo ad eruditionem fidelium aliqua praeter naturae usitatum cursum opera fecit, quae maxime ducunt in admirationem et proprie vocantur miracula [2] », quae longum esset recitare; sed tamen pulcrum et utile est considerare de his operibus; in Sapientia [3]: *Subest tibi, cum volueris, posse, et per talia opera docuisti populum tuum.* Qui autem non erudiuntur per opera, eruditi sunt interdum per *flagella;* Ieremias: *Castigasti me, Domine, et eruditus sum tanquam iuvenculus indomitus;* ideo in Psalmo [4] dicitur: *Disciplina tua ipsa me docebit.*

8. Secundo docet per *spiracula* sive oracula *revelationum,* et hoc sive per *sensibiles,* vel per *imaginarias visiones,* sicut

---

[1] Prov. 6, 6, ubi Vulgata *disce* pro *disces.*

[2] Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 24. n. 1: « Miracula, quae fecit Dominus noster Iesus Christus, sunt quidem divina opera et ad intelligendum Deum de visibilibus admonent humanam mentem. Quia enim ille non est talis substantia, qui videri oculis possit, et miracula eius, quibus totum mundum regit universamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt, ita ut pene nemo dignetur attendere opera Dei mira et stupenda in quolibet seminis grano; secundum ipsam suam misericordiam servavit sibi quaedam, quae faceret opportuno tempore praeter usitatum cursum ordinemque naturae, ut non maiora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerunt »; et ibid. tr. 9. n. 1. ac Epist. 120. (alias 222.) ad Consentium, c. 1. n. 5. Et X. de Civ. Dei, c. 12: « Quamvis miracula visibilium in naturarum videndi assiduitate viluerint, tamen, cum ea sapienter intuemur, inusitatissimis rarissimisque maiora sunt. Nam et omni miraculo, quod fit per hominem, maius miraculum est homo »; ac XXI. c. 4. n. 4: « Quibus autem non ostenditur (scil. potentia lapidis adamantis), fortasse nec credunt; aut si credunt; inexperta mirantur; et si contigerit experiri, adhuc quidem mirantur insolita, sed assiduitas experiendi paulatim subtrahit admirationis incitamentum ». — Vide et Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 12: « Quotidiana Dei miracula ex assiduitate viluerunt », et VI. Moral. c. 15. n. 18, ubi Iob 5, 9: *Qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero* tractans dicit, neminem ad omnipotentis Dei mirabilia perscrutanda sufficere, et concludit: « Mirari negligimus, quia ea quae incomprehensibili indagatione mira sunt, humanis oculis usu viluerunt »; et diversis exemplis ex vita quotidiana allatis, in fine ait: « Mira sunt itaque omnia, quae mirari homines negligunt, quia ad considerandum usu torpescunt ».

[3] Cap. 18. seq. et dein sequitur Ier. 31, 18. [4] Psalm. 17, 35.

erudivit Prophetas; aut per *internas unctiones*, quomodo erudivit Apostolos, simplices, laicos et idiotas; Apostolus [1]: *Nobis revelavit Deus per Spiritum suum;* et beatus Petrus: *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines,* « quos ideo humiliter natos, illitteratos, inhonoratos elegit, ut quidquid magnum essent et facerent, ipse in eis esset et faceret [2] ». De hoc modo docendi dicitur in prima Ioannis [3]: *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed unctio eius docet vos de omnibus.* Hanc unctionem promisit Salvator discipulis [4]: *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia;* et decimo sexto: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Hanc gaudet se Ieremias Propheta in persona Ecclesiae recepisse [5]: *De excelso misit ignem in ossibus meis et erudivit me.*

9. Tertio docet per *testimonia Sanctorum,* qui pro ista veritate subscripserunt sanguine et morte iuraverunt. Ipsi testimonium perhibent, qui viderunt et audierunt et contrectaverunt, sicut Ioannes dicit [6]: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae.* Sed valde mirabilius est indicium veritatis certioris, quod per tam contemptibiles testes credidit mundus. Unde Augustinus XXII. de Civitate Dei [7]: « Ineruditos liberalibus disciplinis et omnino quantum ad istarum artium doctrinas impolitos, non peritos grammatica, non armatos dialectica, non inflatos rhetorica, piscatores Christus cum retibus fidei ad mare huius saeculi paucissimos misit atque ita et ex omni genere tam multos pisces et tanto mirabiliores quanto rariores, etiam ipsos philosophos cepit »; et post: « Mirabile est, homines ignobiles, infimos, paucissimos, imperitos rem tam incredibilem tam efficaciter mundo et in illo etiam doctis persuadere potuisse ». Non tantum autem per aliorum testimonium, sed erudivit populum per ipsum *Verbum incarnatum;* Apostolus [8]: *Olim*

---

[1] I. Cor. 2, 10. et dein sequitur II. Petri 1, 21.
[2] Sicut dicit August., XVIII. de Civ. Dei, c. 49.
[3] Cap. 2, 27.
[4] Cap. 14, 26. et deinde v. 13.
[5] Thren. 1, 13.
[6] I. Ioan. 1, 1.
[7] Cap. 5.
[8] Hebr. 1, 1. seq.

*Deus, loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio suo;* quod fuit summae gratiae: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos* [1] etc.; qui docebat et verbis et signis et exemplis. Unde ille Legisperitus dicebat [2]: *Magister, scimus, quia verax es et viam Dei in veritate doces.* Propter signa enim doctrina erat admirationi; unde Marcus [3]: *Stupebant super doctrina eius, dicentes:* Quaenam doctrina haec nova, *quia in potestate imperat etiam spiritibus immundis?* Nec tantum per Verbum ipsum incarnatum et Apostolorum et Martyrum testimonium, sed per *doctorum ministerium;* Apostolus [4]: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii.* Isto igitur tertio modo docendi redditur doctrina authentica, dum confirmatur et prodigiis et oraculis et testimoniis. — Ecce, quis vel qualis discipulus et quis doctor seu magister primarius in hac scientia.

## III.

10. Sed quae *facultas* seu continentia? *Erudieris de lege tua.* Continet igitur legem Domini ista doctrina. Lex autem divina, contenta in sacra Scriptura, est lex perfectae *veritatis,* perfectae *caritatis,* perfectae *suavitatis;* lex, inquam, *perfectae veritatis,* illuminans intellectum dupliciter: primo, quoad *praecepta;* secundo, quoad *iudicia.* Et (primo) de veritate *documentorum* in Proverbiis [5]: *Mandatum lucerna est, et lex lux;* lux, inquam, propter veritatem, cui nulla tenebra falsitatis aut erroris admisceri potest; Psalmus [6]: *Iustitia tua in aeternum, et lex tua veritas.* Sed quia hic veritas non tantum traditur per verba aperta, verum etiam per verba mystica, ideo dicitur in Psalmo: *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.* — Secundo est lex perfectae veritatis quantum ad *iudicia;* Apostolus [7]: *Quicumque in lege peccaverunt per le-*

---

[1] Tit. 2, 11. seq. [2] Matth. 22, 16.
[3] Cap. 1, 22. et 27. [4] Eph. 4, 11. seq.
[5] Cap. 6, 23.
[6] Psalm. 118, 142. et sequitur deinde ibid. v. 18. [7] Rom. 2, 12.

*gem iudicabuntur*; propter quod in Deuteronomio [1]: *Nisi custodieris et feceris omnia verba legis huius, augebit Dominus plagas tuas.* Non solum autem in lege veteri, sed etiam in lege nova iudicia continentur; Apostolus [2]: *Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione duobus aut tribus testibus moritur; quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverint et spiritui gratiae contumeliam fecerint.*

11. Secundo, lex divina est lex *perfectae caritatis*, et hoc dupliciter: primo, quantum ad *praecepta* ad caritatem *informantia* seu ordinantia; secundo, quantum ad *promissa* ad caritatem *inflammantia*. Et de continentia legis quantum ad *praecepta ordinantia* sive informantia ad caritatem dicit Matthaeus [3]: *Interrogavit quidam legis doctor tentans eum: Magister, quod est maximum mandatum in lege? Et ille respondit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum; secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetae;* et Paulus [4]: *Omnis lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Plenitudo ergo legis est dilectio,* ut dicitur ad Romanos [5]. Ut enim dicit Augustinus I. de Doctrina christiana [6], « lex non praecipit nisi caritatem et non culpat nisi cupidinem ». — De continentia vero legis quantum ad *promissa* ad caritatem *inflammantia* dicitur in Proverbiis [7]: *Fili mi, ne obliviscaris legis meae, et praecepta mea custodiat cor tuum; longitudinem enim die-*

---

[1] Cap. 28, 58. seq.

[2] Hebr. 10, 28. seq., ubi Vulgata *conculcaverit* et *fecerit* pro *conculcaverint* et *fecerint*.

[3] Cap. 22, 36-40; cfr. Marc. 12, 28. et Luc. 10, 25.

[4] Gal. 5, 14; cfr. Lev. 19, 18. et Matth. 22, 39. ac Rom. 13, 8.

[5] Cap. 13, 10.

[6] Cap. 35. n. 39: « Haec summa est, ut intelligatur legis et omnium divinarum Scripturarum plenitudo et finis esse dilectio rei, qua fruendum est, et rei, quae nobiscum ea re frui potest, quia ut se quisque diligat, praecepto non opus est ». Cfr. tamen III. de Doctr. christ. c. 10. n. 15, ubi sententia fere verbotenus: « Non autem praecipit Scriptura nisi caritatem nec culpat nisi cupiditatem ».

[7] Cap. 3, 1. seq.

*rum et annos vitae et pacem apponent tibi.* Lex enim tam vetus quam nova non promittit nisi *pacem,* quoniam inter omnia desiderabilia bona pax est bonum magis optabile. Unde Augustinus XIX. de Civitate Dei [1]: « Tantum, inquit, est bonum pacis, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inveniri ». Sed lex vetus promisit *pacem temporalem,* lex nova *pacem aeternam,* utraque tamen *pacem;* Psalmus [2]: *Pax multa diligentibus legem tuam.* Et quoniam lex per ista promissa inflammat ad caritatem, ideo dicitur *ignea* lex [3]; in Deuteronomio: *In dextera eius ignea lex.*

12. Tertio, lex divina est lex *perfectae suavitatis* delectantis spiritualem gustum, et haec dupliciter: quantum ad *divina charismata* et quantum ad *divina praeconia.* Et de continentia legis quantum ad *divina charismata* dicitur [4]: *Lex spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me a lege peccati et mortis.* Per *spiritum vitae* intelliguntur *charismata gratiarum,* quae continentur in Sacramentis legis divinae. Hic spiritus est *dulcissimus;* Ecclesiasticus [5]: *Spiritus enim meus super mel dulcis;* ideo Psalmus: *Lex Domini immaculata, convertens animas;* et post: *Iudicia Domini vera iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum.* — De continentia vero legis quantum ad *divina praeconia,* Psalmus [6]: *Attendite, populе meus, legem meam;* et post: *Narrantes laudes Domini et virtutes eius et mirabilia eius, quae fecit.* Et quia lex Dei ista continet, subiungit: *Et suscitavit testimonium in Iacob et legem posuit in Israel. Quanta mandavit Patribus nostris, nota facere ea filiis suis, ut et cognoscat generatio altera!* Quoniam autem omnia sacrae Scripturae verba nihil aliud sonant quam divinae laudis praeconia, ideo Ecclesiasticus [7]: *Multa dicimus et deficimus in verbis, consummatio autem sermonum ipse*

---

[1] Cap. 11. [2] Psalm. 118, 165.
[3] Cap. 33, 2. [4] Rom. 8, 2.
[5] Cap. 24, 27. et deinde sequuntur Ps. 18, 7. et 10. seq.
[6] Psalm. 77, 1. et 4. seqq.
[7] Cap. 43, 29, ubi Vulgata *dicemus* et *deficiemus* pro *dicimus* et *deficimus;* deinde sequitur v. 32. (in quo textu Vulgata *quantumcumque potueritis* loco *quantum potestis*) et v. 33.

*est in omnibus;* et subdit: *Glorificantes Dominum, quantum potestis; supervalebit enim adhuc, et admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantum potestis; maior enim est omni laude.* In nomine ergo *legis* exprimitur universalis continentia sacrae Scripturae, quae versatur circa ista sex: aut documenta, aut iudicia, aut praecepta, aut promissa, aut charismata, aut praeconia, prout est lex veritatis, caritatis et suavitatis.

## IV.

13. Postremo ostenditur et manifestatur, quae *utilitas* seu quae *efficacia*, cum dicit: *Beatus, quem tu erudieris et docueris, Domine.* « Beatus autem est, secundum Augustinum XIII. de Trinitate [1], qui habet quidquid vult et nihil vult male »; Boethius vero in III. libro de Consolatione [2]: « Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus »; quoniam im-

---

[1] Cap. 5. n. 8. in fine: « Beatus igitur non est, nisi qui et habet omnia, quae vult, et nihil vult male »; cfr. c. 6. n. 9. et c. 7. n. 10. ac Epist. 130. (alias 121.) ad Probam, c. 5. n. 11: « Ille igitur beatus est, qui omnia, quae vult, habet, nec aliquid vult, quod non decet »; ac idem legitur de Beata Vita, n. 10; I. de Moribus Ecclesiae cathol. c. 3. n. 4: « Beatus, quantum existimo, neque ille dici potest, qui non habet quod amat, qualecumque sit; neque qui habet quod amat, si noxium sit; neque qui non amat quod habet, etiamsi optimum sit. Nam et qui appetit quod adipisci non potest, cruciatur; et qui adeptus est quod appetendum non est, fallitur; et qui non appetit quod adipiscendum esset, aegrotat. Nihil autem istorum animo contigit sine miseria, nec miseria et beatitudo in homine uno simul habitare consueverunt: nullus igitur illorum beatus est. Quartum restat, ut video, ubi beata vita inveniri queat, cum id quod est hominis optimum, et amatur et habetur. Quid enim est aliud, quod dicimus frui, nisi praesto habere quod diligis? Neque quisquam beatus est, qui non fruitur eo quod est hominis optimum; nec quisquam, qui eo fruitur, non est beatus. Praesto ergo esse nobis debet optimum nostrum, si beate vivere cogitamus ». Isidor., II. Sententiarum c. 2. n. 1. dicit: Quia *sine fide impossibile est Deo placere* (Hebr. 11, 6.), « vere beatus est qui et recte credendo bene vivit et bene vivendo fidem rectam custodit »; et X. Etymolog. sub verbo *Beatus* (n. 22.): « Beatus dicitur, quasi bene *auctus*, scilicet ab habendo quod vellet et nihil patiendo quod nollet. Ille autem vere beatus est, qui habet omnia quae vult bona et nihil vult male: ex his enim duobus beatus homo efficitur ». — Seneca autem epist. 45. post med. dicit: « Beatus non is est, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit, sed ille cui bonum omne in animo est, erectum et excelsum et mutabilia calcans ».

[2] Prosa 2, ubi in textu *congregatione* pro *aggregatione*.

possibile est esse nisi in aliquo uno bono, in quo omnia aggregantur; hoc autem est bonum summum: ergo beatum esse non est aliud nisi summum bonum videre, summum bonum possidere, de summo bono gaudere.

14. Primo igitur beatus est qui summum bonum *videt perspicue*. Beatitudo pro *isto statu* consistit in *visione aenigmatica*; Lucas [1]: *Beati oculi, qui vident quae vos videtis*. Quomodo autem videatur, explicat Apostolus [2]: *Videmus nunc per speculum* et *in aenigmate, tunc autem facie ad faciem*. Beatitudo autem pro *illo statu* consistit in *visione aperta*, quod significatum est III. Regum [3]: *Dixit regina Saba Salomoni: Beati viri tui et beati servi tui, qui stant coram te semper et audiunt sapientiam tuam*; dicuntur *beati stare*, per mentis elevationem, *coram Deo*, per apertam contemplationem, sed *audiunt*, per illuminationum et revelationum susceptionem. Ad hanc visionem beatificam suspirabat Tobias [4]: *Beatus ero, si*

---

[1] Cap. 10, 23; in codd. vero citatus est Matth. 13, 16, ubi tamen tantum legitur: Vestri autem beati oculi, quia vident.

[2] I. Cor. 13, 12, ubi in Vulgata deest vocula *et* ante *in*. — De utraque visione dicit August., II. de Diversis Quaest. ad Simplicianum, in praefatione: « Quamvis ex eo quod transivimus ad Christum, auferatur velamen (II. Cor. 3, 16.), tamen videmus nunc in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Velamen quippe omnimodo intercludit aspectum, aenigma vero, tanquam speculum, sicut idem Apostolus (I. Cor. 13, 12.) ait: *Videmus nunc per speculum in aenigmate*, nec evidentissimam detegit speciem, nec prorsus obtegit veritatem ». — De triplici visione, scil. corporali, spirituali et intellectuali, qua etiam Beati fruuntur, cuius supra pag. 28, n. 8. commemoratio facta est, vide August., XII. de Gen. ad litt., per totum, praesertim c. 7. n. 16. seqq. et c. 36. n. 69; et I. de Trin. c. 8. n. 16. seq., ubi dicit: « Haec nobis contemplatio promittitur actionum omnium finis atque aeterna perfectio gaudiorum »; et n. 18: « Hoc est enim plenum gaudium nostrum, quo amplius non est, frui Trinitate-Deo, ad cuius imaginem facti sumus »; ac III. contra duas Epistolas Pelagianorum, c. 7. n. 18: « Nihil est ista revelatione (scil. visione Dei) sublimius »; cfr. etiam Epist. 146. (alias 112.) de Videndo Deo ad Paulinam; supra pag. 9, nota 2. ac Bonav., V. pag. 374, n. 10. seqq.

[3] Cap. 10, 8.

[4] Cap. 13, 20. et dein sequitur Apoc. 21, 23. — August., in Ioan. Evang. tr. 35. n. 9: « Quando ergo Dominus noster *Iesus Christus venerit et*, sicut dicit Apostolus Paulus (I. Cor. 4, 5.), *illuminaverit occulta tenebrarum et manifestaverit cogitationes cordis, ut laus sit unicuique a Deo*, tunc praesenti tali die lucernae non erunt necessariae, non legetur nobis Propheta, non aperietur codex Apostoli, non requiremus testimonium Ioannis, non ipso indigebimus Evangelio. Ergo omnes Scripturae tollentur de medio, quae nobis in huius saeculi nocte

*fuerint reliquiae seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem;* illam claritatem, de qua Ioannes in Apocalypsi: *Civitas illa non eget sole neque luna, ut luceant in ea, quia claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est Agnus.*

15. Secundo, beatus est qui summum bonum *possidet* seu tenet *perpetue* sine timore amittendi. Unde Augustinus definit beatitudinem XI. de Civitate Dei [1]: « Beatitudo est, ut homo et bono incommutabili, quod Deus est, sine ulla molestia perfruatur et in aeternum in eo se esse mansurum, nec ulla dubitatione cunctetur, nec ullo errore fallatur ». Ideo in Psalmo dicitur: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.* Istud *habitare* est secure possidere; unde in Proverbiis [2]: *Lignum vitae est his qui apprehenderint eam, et qui tenuerit eam beatus.*

16. Tertio, beatus est qui in illo et de illo bono *gaudet iucunde;* unde de coetu Beatorum dicitur in Psalmo [3]: *Beatus populus, qui scit iubilationem.* Ille *populus scit iubilationem,*

---

tanquam lucernae accendebantur, ne in tenebris remaneremus: istis omnibus sublatis, ne quasi nobis luceant indigentibus et ipsis hominibus Dei, per quos haec ministrata sunt, nobiscum lumen illud verum clarumque videntibus; remotis ergo his adiumentis, quid videbimus? Unde pascetur mens nostra? Unde obtutus ille laetabitur? Unde erit illud gaudium, quod *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (I. Cor. 2, 9; cfr. Isai. 64, 4.)? Quid videbimus! Obsecro vos, amate mecum, currite credendo mecum! Patriam supernam desideremus, supernae patriae suspiremus, peregrinus nos esse hic sentiamus. Quid tunc videbimus? Dicat nunc Evangelium (Ioan. 1, 1.): *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Unde tibi ros inspersus est, ad fontem venies; unde radius per obliqua et per anfractuosa tibi ad cor tenebrosum missus est, nudam ipsam lucem videbis, cui videndae ferendaeque mundaris ».

[1] Cap. 13. — Sequitur Ps. 83, 5.

[2] Cap. 3, 18. — Cfr. auctor libri de Triplici Habitaculo (inter opera August.) c. 5: Possidetur Deus, « cuius aeternitas sine initio et sine fine est »; et August., epist. 118. (alias 56.) ad Dioscorum c. 3. n. 13: « Si autem adieceris et didiceris hoc idem de animo quod de animo (scil. in neutro esse summum bonum nec aliquam partem summi boni esse in neutro); quid aliud iam nisi Deus occurret, in quo summum hominis bonum constitutum sit? non quo alia bona non sint, sed *summum* id dicitur, quo cuncta referuntur; *eo* enim fruendo quisque beatus est, propter quod cetera vult habere, cum illud iam non propter aliud, sed propter se ipsum diligatur. Et ideo finis ibi dicitur, quia iam quo excurrat et quo referatur, non invenitur. Ibi requies appetendi, ibi fruendi securitas, ibi tranquillissimum gaudium optimae voluntatis ».

[3] Psalm. 88, 15.

qui illo bono summo fruitur ad delectationem; Lucas [1]: *Beatus, qui manducat panem in regno Dei. Pane* enim in *regno Dei* vescitur, qui summo bono delectabiliter fruitur, qui est *panis habens in se omne delectamentum et omnem saporis suavitatem* [2].

17. Sic ergo manifestatur in verbis propositis, quis istius *scientiae auditor idoneus*, quis *magister* sive doctor *praecipuus*, quae *facultas* et quae *utilitas;* ac per haec describitur et quoad *idoneitatem* ex parte *discipuli* et quoad *auctoritatem* ex parte *magistri* et quoad *continentiam* ex parte *materiae* et quoad *efficaciam* ex parte *finis*. Ipse igitur verus et summus Magister sic nos auditores idoneos huius doctrinae efficiat et effectos de lege sua erudiat, ut per legis observantiam et sacrae lectionis studium pervenire mereamur ad finem intentum, quod est aeternae beatitudinis praemium. Quod ipse nobis praestare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen [3].

---

[1] Cap. 14, 15, ubi Vulgata *manducabit* pro *manducat*.

[2] Sap. 16, 20, ubi Vulgata habet *omnis* pro *omnem*. — Cfr. auctor libri de Triplici Habitaculo, c. 4: « Vile enim valde est elementis frui in comparatione fruendi et gaudendi ipso Deo et visibilibus delectari et corporalibus... Nihil est comparandum delectationi et gaudio, quod nascitur ex invisibilibus et incorporeis et ex societate Angelorum et iustorum omnium et ex certa scientia et cognitione ipsius divinae naturae et ex Dei ipsius *facie ad faciem* visione... cuius deliciae sine fastidio satiant; quae cum a Beatis inveniuntur, semper tamen desiderantur et esuriem et sitim sine poena efficiunt et ardenti semper desiderio delectant ». August., III. de Lib. Arb. c. 25. n. 77: « Tanta est autem pulcritudo iustitiae, tanta iucunditas lucis aeternae, hoc est incommutabilis veritatis atque sapientiae, ut etiamsi non liceret amplius in ea manere quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni huius vitae pleni deliciis et circumfluentia temporalium bonorum recte meritoque contemnerentur. Non enim falso aut parvo affectu dictum est: *Quoniam melior est dies unus in atriis tuis super millia* (Ps. 83, 11.).

[3] Cfr. August., III. et IV. de Doctr. christiana; Bonav., V. Breviloquium, Prologus per totum (pag. 202 seqq.) et Collat. in Hexaëm. collat. I. p. I. et collat. 19. n. 16. seqq. ac IX. Dominica II. post Pentecosten, serm. I.

# QUAESTIONES DISPUTATAE.

# QUAESTIONES OCTO DE FIDE.

## QUAESTIO I.

Quaestio est, utrum aliquid possit certitudinaliter sciri.

*Quod non, videtur.*

1. Dicit Philosophus de Sensu et sensato [1], et Augustinus IV. super Genesim ad litteram, quod nihil fit [2] in intellectu, nisi quod prius fuit in sensu. Sed a sensu vel in sensu nullo modo potest esse veritas: ergo nec in intellectu. *Probatio minoris* apparet per Augustinum [3], qui eam probat sic: « Omne, quod corporeus sensus attingit [4], quod et sensibile dicitur, sine ulla intermissione temporis commutatur; sicut cum capilli capitis nostri crescunt, vel corpus vergit in senectam, aut in iuventam efflorescit, perpetuo id fit nec omnino intermittit fieri. Quod autem non manet percipi non potest. Illud enim percipitur, quod scientia comprehenditur; comprehendi autem non potest quod sine intermissione mutatur. Non est igitur exspectanda sinceritas veritatis a sensibus corporis ».

2. Item, ita arguit Academicus, ut Augustinus recitat in II. et III. libro contra Academicos [5]: Verum non potest percipi aut comprehendi, nisi dissimilibus signis et notis a falso discernitur, nec potest cum falso signa aliqua habere communia. Sed nullum tale verum inveniri potest; nam nec in *sensu*, quoniam

---

[1] Cap. 6; cfr. etiam III. de Anima, text. 39. (c. 8.). — Textus August. est loc. cit. c. 32. n. 49. — In hac quaestione usi sumus A B C.

[2] C *potest fieri* et mox *fuerit* pro *fuit*. Pro *fit*, quod habent A B, in textu *sit*. Paulo post B C omittunt *a sensu vel*.

[3] Libr. 83 Qq. q. 9.

[4] Ita bene C cum textu edit.; A B *attigit*. Paulo inferius B primitus cum edit. *senectutem* pro *senectam*.

[5] II. c. 6. n. 14; III. c. 8. n. 18. — In sequente textu C *discernatur* pro *discernitur*, et deinde *non in sensu* loco *nec in sensu*.

sensui aliter apparet res, quam sit; nec in *imaginatione*, quoniam imaginatio frequenter illuditur; nec in *intellectu*, quoniam videmus, homines quotidie contraria opinari de intelligibilibus: ergo etc.

3. Item, secundum doctrinam Philosophi III. de Anima [1], intellectus noster creatur tanquam tabula nuda sine pictura; nullam igitur habet innatam cognitionem, nullam ergo habet notitiam, nisi quam acquirit. Sed, ut dicit Philosophus I. Posteriorum [2] et VI. Ethicorum, « omnis scientiae acquisitio est ex aliquibus praecognitis »: igitur si nullam notitiam habet, nullam potest acquirere.

4. Item, Philosophus VI. Ethicorum: « Omnes suspicamur, quod scimus non contingere aliter se habere. Contingentia autem, cum extra speculari fiant, latent, si sint, vel non sint. Ex necessitate ergo est scibile, aeternum ergo; ex necessitate enim entia simpliciter omnia aeterna ». Sola igitur necessaria et aeterna sunt certitudinaliter cognoscibilia [3]. Et Augustinus de Vera Religione [4]: « Quid appetit curiositas nisi cognitionem, quae certa esse non potest nisi rerum aeternarum et eodem modo semper se habentium »? Sed *necesse esse* non est nisi unum, secundum Avicennam [5], et similiter aeternum: ergo solum unum tantum est scibile. Sed illud maxime latet: ergo etc.

5. Item, scientia non est nisi universalium [6]; sed universale non est cognoscibile: ergo etc. *Probatio minoris:* Universale est semper et ubique; intellectus humanus limitatus est: ergo omnino est improportionalis sibi. Sed ad cognitionem requiritur proportio: ergo etc.

6. Item, quandocumque aliquid cognoscitur sub aliquo medio, impossibile est, certitudinaliter [7] illud cognosci, nisi illud medium

---

[1] Text. 14. (c. 4.). — Post *notitiam* C prosequitur: *unquam acquirit, quia, ut dicit.*

[2] Cap. 1, et VI. Ethic. c. 3. — In eodem Ethic. capitulo est etiam seq. textus.

[3] Hoc loco haec propositio deest in B, sed in fine sequentis propositionis post verbum *habentium* ponitur. — Pro *certitudinaliter cognoscibilia* C legit *simpliciter cognoscibilia.*

[4] Cap. 52. n. 101.

[5] I. Metaph. c. 8. et VIII. c. 4.

[6] Aristot., I. Poster. c. 24. (c. 31.), ubi et dicitur: « Quod enim semper est et ubique universale dicimus esse ».

[7] Cum C addidimus *illud.*

certitudinaliter cognoscatur; sed medium illud, sub quo omnia cognoscuntur, non potest certitudinaliter cognosci: ergo etc. *Probatio minoris:* secundum Augustinum [1] lumen, quo omnia cognoscuntur, est lumen primum; sed lumen primum non potest certitudinaliter cognosci, quoniam cognoscibile et scibile proprie est *quod quid est.* Sed secundum Damascenum, I. libro de Fide orthodoxa [2], *quod quid est* de Deo non est cognoscibile: ergo etc.

7. Item, quod *in sui complemento* aliquid excludit, *citra illud* necessarium est, quod illud *impediat;* quod apparet, quoniam peccatum in suo *complemento,* ut peccatum mortale, *excludit* unionem cum Deo per gratiam; *citra suum complementum,* etsi non excludat unionem omnem [3], *impedit* tamen unionis perfectionem, sicut peccatum veniale. Sed secundum Philosophum VII. Physicorum [4], fluxus humorum et motus phantasmatum in pueris omnino excludit intellectivam cognitionem: ergo et in adultis, in quibus manet fluxus et motus phantasmatum, impediet intellectualem cognitionem vel certitudinem.

8. Item, certior est cognitio sensitiva quam intellectiva; quod apparet, quoniam, ut dicit Philosophus in principio Physicorum [5], « innata est nobis via a certioribus et notioribus nobis in certiora naturae et notiora ». Cognitio autem nostra causatur et originatur a sensu; sed in cognitione sensitiva nulla potest esse certitudo: ergo nec in intellectiva. *Probatio minoris:* nulla similitudo potest esse certa ratio cognoscendi, quae ita pariter est [6] ratio decipiendi; sed eadem similitudine, per quam ego video rem, videor mihi rem videre, et tamen non video, sicut apparet in somniis vel in furia: ergo illa non potest esse ratio certa cognoscendi.

---

[1] XII. super Genesim ad litt. c. 31. n. 59; cfr. de Humanae Cognitionis ratione, pag. 92. — De propositione sequente, scilicet essentiam seu *quod quid est* esse proprie cognoscibile, cfr. Aristot., III. de Anima, text. 9. seq. (c. 4.) et 26. (c. 6.); vide etiam de Humanae Cognitionis ratione, pag. 114, notam 1.

[2] Cap. 4.

[3] Omittitur a B; a C ponitur *omnino.*

[4] Text. 20. (c. 3.). Cfr. etiam Problem. sect. 30. n. 13.-(14.)

[5] Text. 2.

[6] Ita A; B C *ita potest esse.* Paulo post C pro *apparet* habet *patet,* et deinde cum B *somno et in* loco *somniis vel in.*

9. Item, res superiores inferiori modo sunt in rebus inferioribus, et res inferiores superiori modo in superioribus, quia, ut dicit Boethius V. de Consolatione philosophiae [1], « receptum est in recipiente per modum recipientis »; et (auctor libri) de Causis [2]: « Primorum omnium unumquodque est in alio per modum, quo licet »; et Augustinus VIII. de Civitate Dei [3] et IX. de Trinitate. Sed omne cognoscens cognoscit per similitudinem, quae est in intellectu. Sed, ut dicit Augustinus [4], « quicumque ullam rem aliter, quam ea res est, intelligit, fallitur; quicumque autem fallitur, id in quo fallitur, non intelligit ». Sed omnis res aut est superior, aut inferior humano intellectu: ergo nihil certitudinaliter intelligit.

10. Item, si intellectus aliquid certitudinaliter cognoscit aut intelligit, maxime cognoscit certitudinaliter *universale*, quia universale est proprie scibile et intelligibile [5]; sed universale non est certitudinaliter cognoscibile: ergo etc. *Probatio minoris:* si universale certitudinaliter est cognoscibile, oportet, quod in aliquo habeat *esse;* sed non habet esse *in rebus extra*, quia quidquid est in particulari et singulari, est singulare; *praeterea*, illud quod est in aliquo particulari, non praedicatur de pluribus — quae [6] sunt de ratione universalis. Nec est *in anima*, quoniam nihil, quod est in anima, est de essentia rei; universale est de essentia rei, quia est pars definitionis; nec aliquid, quod est in anima, praedicatur [7] de rebus extra; et de ratione universalis est, quod praedicetur: ergo etc.

---

[1] Prosa 4.

[2] Propos. 12; in quo textu B pro *alio* habet *anima*. — Notamus, auctorem istius libri de Causis minime esse Aristotelem, sed, ut iam S. Thomas in Commentario ad hunc librum dixit, aliquem philosophum Arabem (Avempacem sive Alpharibium ?), qui ex libro Procli (στοιχείωσις θεολογική) excerptum quoddam fecit, praesertim quia omnia, quae in hoc libro continentur, multo plenius et diffusius continentur in illo; cfr. Otto Bardenhewer, Die pseudo-aristotelische Schrift über das reine Gute, bekannt unter dem Namen Liber de Causis, Freiburg, Herder 1882.

[3] Cap. 5; et IX. de Trin. c. 11. n. 16. — Respectu propositionis seq. ait Aristot., VI. Ethic. c. 1: « Siquidem ex similitudine quadam atque affinitate cognitio ipsis (potentiis) contingit ».

[4] Libr. 83 Qq. q. 32. [5] Cfr. Aristot., I. Poster. c. 24. (c. 31.).

[6] Scil. haec duo, quod universale non habet esse in rebus extra nos, et quod praedicatur de pluribus. Cfr. Aristot., I. Periherm. c. 5. (c. 7.) et VII. Metaph. text. 45. seqq. (VI. c. 13.). [7] C *potest dici.*

11. Item, si intellectus aliquid certitudinaliter cognoscit, maxime cognoscit substantias sive quidditates substantiarum; sed illas non potest certitudinaliter cognoscere: ergo etc. *Probatio minoris:* omne, quod cognoscitur, cognoscitur per suam speciem; sed species substantiae non potest esse in intellectu: ergo etc. *Probatio:* quoniam intellectus accipit species a phantasmatibus, phantasmata a sensibus; sed in sensu nullo modo potest esse species substantiae, quoniam sensus non apprehendit nisi sensibiles qualitates vel universaliter [1] accidentia: ergo etc.

12. Item, secundum Commentatorem super VII. Metaphysicorum [2]: « Cognita quidditate cuiuscumque substantiae, demonstrative cognoscitur prima causa »; sed prima causa non est certitudinaliter cognoscibilis, quia, ut dicit Ioannes Damascenus I. libro de Fide orthodoxa [3], « Deum nemo vidit unquam nec Cherubim nec Seraphim, sed soli sibi est cognoscibilis »: ergo etc.

CONTRA:

1. Ubi nulla est scientia, nullus est amor; ubi nullus amor, nulla virtus, quoniam, ut dicit Augustinus XV. de Civitate Dei [4], « brevis et vera definitio virtutis: ordo est amoris »; sed ubi non est vera virtus, beatitudo esse non potest: ergo ubi non est scientia certa, nec esse beatitudo potest. Hoc autem falsum est et contra omnem rationem et appetitum; omnes enim certo proposito beatitudinem appetunt, ut dicit Augustinus [5] et Boethius: ergo etc.

2. Item, ubi nulla est scientia vel aliquid certum, nullus est actus certus: ergo nec certitudinaliter itur [6] quoquam nec comeditur, sed verisimiliter: ergo et verisimiliter vivitur; hoc autem falsum est: ergo etc.

---

[1] Ita A; B vero (a secunda manu in margine) *saltem,* primitus tamen *et similiter;* C *similitudines.* — Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 63. (c. 6.) et III. text. 39. (c. 8.).

[2] Context. 5. — Paulo post pro *demonstrative* C (et B primitus) *de necessitate.*

[3] Cap. 1.

[4] Cap. 22.

[5] II. de Lib. Arb. c. 9. n. 26. — Boeth., III. de Consol. Prosa 2. — Paulo ante pro *contra omnem rationem et appetitum* B *contra omnem appetitum.* Ceterum lectio nostra in A et C non est certa.

[6] C *tenetur,* A *videtur,* sed dubie; dein B pro *vivitur* potius *unitur.*

3. Item, secundum Commentatorem super II. Metaphysicorum [1], appetitum universalem naturae impossibile est frustrari, quin compleatur aut in toto, aut in parte. Sed secundum Philosophum in principio I. Metaphysicorum [2], « omnes homines natura scire desiderant »: ergo impossibile est, certitudinalem cognitionem sive scientiam excludi universaliter ab humano intellectu.

4. Item, limpidior est cognitio per naturam quam per fidem, quia illa [3] habet annexam obscuritatem, sed cognitio per fidem certitudinem: ergo multo fortius cognitio per naturam.

RESPONDEO:

Circa istam quaestionem laboravit opinio sive error Academicorum novorum, qui posuerunt, nullum verum posse certitudinaliter comprehendi [4], ac per hoc nulli rei debere assentiri; et sapientes esse vel vocari non a cognitione seu perceptione veritatis, sed inquisitione et investigatione. Originem autem istius erroris recitat Augustinus III. libro contra Academicos [5] et XIX. de Civitate Dei. Fuerunt enim duo genera Academicorum, a schola Academica nominatorum, scilicet *novorum* et *veterum*. Et *veterum* Academicorum primus fuit Plato, *novorum* autem Archesilaus. Posuit enim Plato duplicem mundum: unum intelligibilem, in quo ipsa veritas habitaret, et sensibilem, quem manifestum est nos visu tactuque sentire; itaque illum verum, hunc verisimilem et ad illius imaginem factum. Et ideo ex illo velut expoliri et quasi serenari [6] veritatem in eis quae anima in isto mundo cognosceret; ex isto autem in stultorum animis non scientiam, sed opinionem posse generari, et ideo sapientes, qui exonerati cupiditatibus rerum, in illum mundum se extollunt [7], omnia certitudinaliter cognoscunt, et eis certa sunt omnia. Haec opinio duravit usque ad Polemonem, cuius

---

[1] Context. 1. — In principio huius textus BC omittunt *universalem.*

[2] Cap. 1; C *naturaliter* pro *natura.* [3] Ita codd. pro *haec,* scil. fides.

[4] C *nihil veri posse certitudinaliter sciri et comprehendi.*

[5] Cap. 17. n. 37. 38. et XIX. de Civ. Dei, c. 1, ex quibus quae sequuntur excerpta sunt. — Pro *Academica* B *Academia,* et loco *Archesilaus* August. et codd. legunt *Archesilas* (Archesilaos).

[6] C *servari,* et inferius pro *stultorum animis* quod habet edit., codd. *animabus stultorum.*

[7] B *attollunt,* C *avellunt.* Infra B *Academiam* pro *Academicam.*

auditores fuerunt et pariter condiscipuli Zeno et Archesilaus. Sed Zeno, in aliis scholis eruditus, ad scholam Academicam venit sub magistro Polemone. Idcirco fortassis suspectus est habitus, ut illa secreta Platonis sibi panderentur. Mortuo autem Polemone, iste Zeno sua quadam sententia posuit et declaravit, ut potuit, animam [1] esse mortalem, nec quidquam esse praeter hunc sensibilem mundum asseruit, nihilque in eo agi nisi corpore; nam et Deum ipsum ignem putabat. Archesilaus, videns hoc malum, et ipse tolerans Academicorum sententiam, cum turba pronior sit [2] ad falsas opiniones et corporum consuetudine, omnia esse corpora, facillime existimet, instituit potius dedocere quos patiebatur male doctos, quam docere quos dociles non arbitrabatur. Posuit igitur, nihil posse certitudinaliter sciri, nullum verum posse certitudinaliter comprehendi, supposita positione Zenonis. Et duravit haec positio usque ad Augustinum; nam et istius erroris fuit Tullius, quem Augustinus maxime sequitur. Et quoniam ultimo in hoc errore fuit, ideo contra hunc errorem exstirpandum prius et maxime laboravit, ita quod fere in omnibus libris suis, quantacumque [3] occasione accepta, contra hunc errorem invehitur. Sic igitur, quia veteres Academici totam rationem cognoscendi posuerunt a mundo intelligibili sive ab aeternis rationibus, eis certa sunt omnia tum propter illius lucis claritatem, tum propter illarum rationum immutabilitatem. Quia vero novi Academici totam rationem cognoscendi posuerunt venire a mundo sensibili, ideo eis incerta sunt omnia tum propter rerum sensibilium mutabilitatem, ratione cuius non possunt comprehendi scientia, ut dicit Augustinus, et in opponendo tactum est [4], tum propter signorum conformitatem. Nihil enim est sensibile, quod non habeat aliquod simile falso, ita ut discerni non possit; cum vero [5] ipsa absint,

---

[1] B C addunt *omnem,* quod etiam in textu edit. deest; sed C tunc omittit *esse,* et in fine propositionis habet *corpora* pro *corpore,* quod A B cum Augustino habent. Deinde pro *et ipse tolerans* B (a secunda manu) *serpere, occultans,* favente originali, primitus *esse collocans.*

[2] Originale *ruere in* pro *ad,* et *corporea* loco *corpora.*

[3] B *quomodocumque.* Mox C *nititur* loco *invehitur,* et infra *incommutabilitatem* loco *immutabilitatem.*

[4] Arg. 1. et 2.

[5] B C *enim,* et deinde B *patitur* pro *patimur.* Paulo inferius idem B *imagines sensibilium* loco *imagines sensibiles.*

imagines tamen eorum patimur, tanquam adsint, ut in somnio vel furia, ita quod, utrum ea sentiamus vel eorum imagines, discernere non valemus. Si igitur sunt imagines sensibiles falsae, quae discerni ipsis sensibus nequeunt, et nihil potest percipi, nisi quod a falso discernitur: ergo nulla potest esse certitudo veritatis a sensibus.

Sed positio *veterum* Academicorum redditur improbabilis ex ipsa *experientia*. Experimur enim, multa nos ignorare et de multis nos dubitare. Ex eo autem fuerunt decepti, quod posuerunt illud lumen aeternum sive illas incommutabiles rationes *nudam*, *totam* et *solam* rationem cognoscendi, quod falsum est. Si enim illa lux esset ratio cognoscendi *nuda*, non differret [1] cognitio viae a cognitione patriae; si ratio *tota*, non differret cognitio in proprio genere a cognitione in Verbo, nec cognitio philosophica a cognitione prophetica, nec cognitio investigationis a cognitione revelationis; si esset ratio *sola*, non indigeremus speciebus a rebus acceptis et abstractis; in tantum autem indigemus, ut dicat Philosophus [2], quod amittentes unum sensum necesse est amittere scientiam, quae secundum illum sensum fit; et omnino verum est quod dicit Philosophus, cognitionem generari in nobis via sensus, memoriae et experientiae, ex quibus colligitur universale, quod est principium artis et scientiae. Quamvis igitur istae rationes sint ratio cognoscendi, necessariae sunt tamen species a rebus acceptae tanquam *determinata* et *propria* ratio cognoscendi. Et ideo propter illas rationes non debet cognitio omnium [3] esse certa.

Positionem autem Academicorum *novorum* multum improbat Augustinus in multis locis [4]; quae multo magis est improbabilis. Improbat autem ut *perniciosam*, ut *absurdam*, ut *falsam*.

Ut *perniciosam* quidem, quoniam evacuat omne meritum et demeritum, laudem [5] et vituperium, ac per hoc praemium

---

[1] C *non esset differentia inter cognitionem viae et cognitionem patriae.*

[2] I. Poster. c. 18. (c. 14.); et deinde II. Poster. c. 18. (c. 15.) ac I. Metaph. c. 1. — Mox pro *generari* B *aggregari.*

[3] Ita C; A B omittunt *cognitio,* B ponit *omnino* pro *omnium.*

[4] Cfr. III. contra Academ. c. 16. n. 35; ibid. II. c. 7. n. 16; ibid. III. c. 3. n. 5. et c. 14. n. 30; ex quibus locis excerpta sunt quae sequuntur.

[5] C praeponit *omnem.*

et supplicium. Si enim nullum est verum certum, sed verisimile: ergo non vere, sed verisimiliter peccatur aut recte agitur; pro peccato autem aut recte facto non vero, sed verisimili, nullus debet aut puniri aut praemiari, laudari vel vituperari.

Ut *absurdam* improbat eam, quoniam destruit semetipsam. Si enim nullum percipitur verum, sed verisimile; verisimile autem non potest percipi, nisi percipiatur verum, cui simile est — sicut non possum percipere, te esse similem patri tuo, nisi patrem tuum cognoscam — simul, dum ponit, non percipi verum, sed verisimile, ponit, percipi verum. — *Rursus*, dum ponunt sapientem non ex *cognitione*, sed ex *inquisitione* veritatis, quaero: quid distat inter sapientem et studiosum? Et certum est, quod hoc distat sapiens a studioso, quod earum rerum, quarum est in sapiente habitus, earum rerum est in studioso sola flagrantia. Si igitur sapientiam novit; stultum ergo [1] est dicere, sapientem ignorare sapientiam, magis autem, sapientiam non approbare, seu non consentire. — *Praeterea*, quomodo sapiens dici potest qui quaerit quod se invenire desperat? Aut quomodo quaerit veritatem, si omnino veritatem ignorat? Quomodo enim quaerit, si nescit quod quaerat? Perabsurdum est. — *Praeterea*, inquisitio est motus a notis ad ignota perveniens [2].

Demum reprobat eam ut *falsam*. Aliqua enim adeo certa sunt intellectui, ut in his nulla verisimilitudine decipiatur aut fallatur; XI. de Civitate Dei [3]: « Et sumus, inquit, et nos esse novimus et nostrum esse ac nosse diligimus, et in his tribus nulla nos falsitas verisimilis turbat. Non enim ea, sicut illa quae foris sunt, ullo corporis sensu percipimus, quorum sensibilium imagines eis simillimas nec iam corporeas cogitatione versamur, sed sine ulla phantasmatum imaginatione ludifica-

---

[1] B a secunda manu *autem*, primitus cum C *enim*, cui etiam A favere videtur. Sed ipse contextus videtur exigere particulam, quae consequentiam exprimit. Unde etiam C post *consentire* prosequitur: *ideo quomodo*, sed hoc remedium paralogismum inducit. — Mox pro *sapientem* A (et B primitus) *sapientiam*. Denique B *quid quaerat* pro *quod quaerat*.

[2] Hoc argumentum tantum tangitur ab auctore; sed facile exponi potest ad evertendam illam falsam opinionem, addendo: si ergo nulla sunt nota, nec *inquisitio veritatis* fieri potest, nec per hanc inquisitionem sapiens distingui a stulto.

[3] Cap. 26.

toria mihi me esse atque nosse et amare certissimum est. Nulla in his veris Academicorum argumenta formidanda sunt, dicentium: Quid si falleris? Si enim fallor, sum; nam qui non est, utique nec falli potest; ac per hoc sum, si fallor. Igitur qui se novit esse, non fallitur; consequens igitur est, ut etiam in eo quod me novi nosse, non fallor. Sicut enim novi esse me, ita novi etiam hoc ipsum, nosse me. Eaque duo cum amo, eundem quoque amorem quasi quiddam tertium nec imparis aestimationis eis quas novi rebus adiungo. Neque enim fallor, amare me, cum in his quae amo, non fallor ». Simile argumentum VIII. de Trinitate [1] facit de *vivere;* in X. quoque [2]: « Se vivere et meminisse et intelligere et velle et cogitare et scire et iudicare, quis dubitet? Quandoquidem etiam si dubitat, vivit; si dubitat, unde dubitet, meminit; si dubitat, dubitare se intelligit; si dubitat, certus esse vult; si dubitat, cogitat; si dubitat, scit se nescire; si dubitat, iudicat, non se temere consentire oportere. Quisquis igitur aliunde dubitat, de his omnibus dubitare non debet; quae si non essent, de ulla re dubitare non posset ».

In sensibus [3] nihilominus est aliqua certitudo, quibus non assentire in rerum tanta evidentia miserabilissimum est, ut idem dicit XV. de Trinitate et III. contra Academicos [4]. Quomodo enim non nisi dementissimus Academicus refellere audeat eum

---

[1] Cap. 6. n. 9. — C hic primo loco ponit textum August. de Vera Relig., qui infra in fine responsionis invenitur. — In textu supra posito praeter aliquos errores, a nobis secundum originale correctos, has notamus lectiones variantes. Pro *percipimus* edit. *tangimus,* et addit: *velut colores videndo, sonos audiendo, odores olfaciendo, sapores gustando, dura et mollia contrectando sentimus;* post *versamur* edit. addit: *memoria tenemus, et per ipsas in istorum desiderio concitamur,* sed sine ulla *phantasiarum vel* phantasmatum imaginatione ludificatoria mihi esse, me *idque* nosse et amare certissimum est; pro *formidanda sunt* edit. *formido;* post *si fallor* edit. addit: Quia ergo sum, si fallor, quomodo esse me fallor, quando certum est me esse, si fallor? Quia igitur essem, qui fallerer, etiam si fallerer; procul dubio in eo quod me novi esse non fallor. Consequens est *autem,* ut etc. — Pro *fallor. Sicut* edit. *fallar. Sicut;* etiam in fine *fallar* pro *fallor.* — In principio B *Et scimus* pro *Et sumus.*

[2] Cap. 10. n. 14; item ibid. c. 3; et praecipue de Vera Relig. c. 39. n. 73.

[3] B *sensibilibus.*

[4] Cap. 11. n. 26: « Non enim video, quomodo refellat Academicus eum qui dicit: hoc mihi candidum » etc. — Locus XV. de Trin. est c. 12. n. 21.

« qui dicit: hoc mihi candidum videri scio; hoc auditum meum delectari scio; hoc mihi iucunde olere scio; hoc mihi sapere dulciter scio; hoc mihi esse frigidum scio ».

Constat ergo, esse [1] *perniciosam* et *absurdam* et *falsam* positionem *novorum* Academicorum.

His ergo erroribus abiectis, et repudiatis extremis, veritas eligenda est, quae medium tenet. Dico ergo, quod nec *omnia incerta* sunt, sicut Academicis novis visum est, sed *aliqua* sunt *certissima*, de quibus nullo modo dubitare contingit. Cuius ratio patet ex quatuor.

Primo, ex ipsa *iudicandi potentia*. Mens enim rationalis habet vim sive potentiam iudicandi et de corporalibus, internuntiis sensibus, et de incorporalibus, nullo sensu internuntio, eo quod intellectualis est.

Secundo, ex *rerum intelligibilium praesentia*. Sunt enim apud animam praesentes res intelligibiles, nullo sensu ad animam ingredientes, sicut: omne totum est maius sua parte, de quolibet affirmatio vel negatio, et ceterae huiusmodi dignitates.

Tertio, ex ipsorum *verorum immutabilitate et evidentia*. Sunt enim haec evidenter et immutabiliter vera. Impossibile enim est, totum non esse maius sua parte; impossibile similiter, contradictoria esse simul vera, et nunquam non fuit, nunquam non erit, quin duo et tria sint quinque; « et facilius est, caelum et terram transire, quae per senarium fabricata, quam quod senarius non constet ex omnibus partibus suis [2] »; omnem hominem velle esse beatum, quod adeo certum est et evidens non solum cuilibet de se, sed cuilibet de alio quolibet, adeo ut Cicero, Academicus, cum vellet inchoare ab aliquo, unde nullus dubitare posset, inceperit, omnes homines velle esse beatos [3].

---

[1] B *et*.

[2] Id est, $1 + 2 + 3 = 6$, et $1 \times 2 \times 3 = 6$. Cfr. S. Bonav., I. Sent. d. 2. q. 4. — Verba sunt August., IV. de Gen. ad litt. c. 7. n. 13, ubi edit.: *secundum senarium numerum* fabricata *sunt*, quam *effici posse, ut* senarius *numerus* non suis partibus *compleatur*.

[3] Cfr. August., XIII. de Trin. c. 4. n. 7. — Textus edit. vero sonat: « Itane falsum erit, unde nec ipse, cum Academicis omnia dubia sint, Academicus ille Cicero dubitavit, qui, cum vellet in Hortensio dialogo ab aliqua re certa, de qua nullus ambigeret, sumere suae disputationis exordium: Beati certe, inquit, omnes esse volumus »?

Quarto, ex *divinae lucis assistentia*. Ut enim dicit Augustinus I. Retractationum [1]: « Praesens est eis lumen rationis aeternae, quando id capi possit, ubi haec immutabilia vera conspiciunt ». Et in XII. de Trinitate [2] dicit, quod « illae rationes in natura incorporali sic intelligibilia praesto sunt mentis aspectibus, sicut ista in locis visibilia vel contrectabilia corporis sensibus ».

Istis igitur suppositis, scilicet iudicandi potentia ex parte mentis intelligentis, praesentia et evidentia ex parte rei intelligibilis et influentia sive assistentia incommutabilis luminis, necesse est, aliqua esse certa menti rationali, ut inde dubitare non possit. Verumtamen propter rerum mutabilitatem, quibus intellectus vix potest figi; et propter intellectus infirmitatem et obscuritatem, quia de se limitatus est et « per peccatum obscuratus », ut dicit Hugo [3], et habet « se ad manifestissima naturae sicut oculus vespertilionis ad lucem solis », ita quod caligat in rebus manifestis; et propter divinae influentiae debilitatem non ex parte sua, sed ex parte nostra, quia « ad illam vix paucorum est pervenire [4] »: ideo, etsi aliqua certa sunt, tamen *plura* sunt *dubia* et plura ignorata, et ea quae certa sunt *ex parte* sunt *cognita*, sicut dicit Apostolus [5]: *Ex parte cognoscimus*. Tunc autem erunt certa, quando ad illam lucem contuendam pervenerimus; et ideo, ut dicit Augustinus VIII. de Civitate Dei [6], ad illam lucem aspirare debemus et ad illa converti,

---

[1] Cap. 4. n. 4: « Credibilius est enim, propterea vera respondere de quibusdam disciplinis, etiam imperitos earum, quando bene interrogantur, quia praesens est eis, quantum id capere possunt, lumen rationis aeternae, ubi haec immutabilia vera conspiciunt; non quia ea noverant aliquando et obliti sunt, quod Platoni vel talibus visum est ».

[2] Cap. 14. n. 23, ubi B *aspectionibus* pro *aspectibus*.

[3] I. de Sacram. p. VII. c. 31: « Propter elationem animus obscuratus est per ignorantiam ». — Sequens propos. est Aristot., II. Metaph. text. 4. (I. brevior c. 1.).

[4] August., XII. de Trin. c. 14. n. 23. — B omittit *ideo*, pro *tamen* legit *sunt*, et deinde *imperfecte* pro *ex parte sunt cognita*. Sequimur A.

[5] I. Cor. 13, 9.

[6] Cap. 4. in fine. — « Fortassis enim, qui Platonem, ceteris philosophis gentium longe recteque praelatum, acutius atque veracius intellexisse atque secuti esse fama celebriore laudantur, aliquid tale de Deo sentiunt, ut in illo inveniatur et causa subsistendi et ratio intelligendi et ordo vivendi. Quorum trium unum

unde nobis certa sunt omnia. Et sic aliqualiter patet, quod non sunt omnia certa, sicut dixerunt veteres Academici, nec omnia dubia, ut posuerunt Academici novi; sed aliqua certa, aliqua dubia; aliqua nota, aliqua ignorata [1], ut dicunt veri philosophi et christiani. Unde optime Augustinus de Vera Religione [2]: « Regulam approbandi et discernendi, quam vides, concipe hoc modo: omnis, qui se dubitantem intelligit, verum intelligit et de hac re, quam intelligit, certus est; de vero igitur certus est. Omnis igitur, qui, utrum sit veritas, dubitat, in se ipso habet verum, unde non dubitet, nec ullum verum nisi veritate verum est. Non itaque oportet, eum de veritate dubitare, qui potuit undecumque dubitare. Ubi videntur haec, ibi est lumen sine spatio locorum et temporum. Nunquam ista corrumpi possunt, etiam si omnis ratiocinator intereat; non enim ratiocinatio talia facit, sed invenit. Ergo antequam inveniantur, in se manent, et cum inveniuntur, nos innovant ».

Ad 1. argumentum potest responderi, quod peccat secundum *consequens*. Non enim sequitur: non est veritatis *sinceritas* a sensibus, ergo nullo modo. Aliqua enim sunt vera, sicut visum est, quae non percipiuntur [3] sensu aut per sensum apprehenduntur. Corporea enim accipit anima per corporeos sensus, sed incorporeorum notitiam per semetipsam apprehendit, ut dicit Augustinus IX. de Trinitate [4] et in Epistola quadam ad

---

ad naturalem, alterum ad rationalem, tertium ad moralem partem intelligitur pertinere. Si enim homo ita creatus est, ut per id quod in eo praecellit, attingat illud quod cuncta praecellit, id est unum verum, optimum Deum, sine quo nulla natura subsistit, doctrina instruit, nullus usus expedit; ipse quaeratur, ubi nobis secura sunt omnia; ipse cernatur, ubi nobis certa sunt omnia; ipse diligatur, ubi nobis recta sunt omnia ». Cfr. etiam VIII. de Trin. c. 4. n. 5. et 6, ubi s. Doctor loquitur praecipue de conversione ad *summum bonum*, « ut animus bonus sit, a quo habet, ut animus sit ». — Supra pro *ad illa converti* B *ad illam converti*, et mox *ubi* loco *unde*.

[1] B C *ignota*, et immediate ante *scita* pro *nota*.

[2] Cap. 38. n. 73; in quo textu correximus aliquos errores codicum iuxta originale. Circa finem pro *Nunquam...* originale habet: *Nunquid ista ex aliqua parte* corrumpi possunt, etiam si omnis ratiocinator intereat, *aut apud carnales inferos veterascat?* Non enim etc.

[3] C *accipiuntur a sensu aut.*

[4] Cap. 3. n. 3: « Mens ergo ipsa sicut corporearum rerum notitias per sensus corporis colligit, sic incorporearum per semetipsam. Ergo et semetipsam per se ipsam novit, quoniam est incorporea ». — Epistola illa ad Nebridium est Epist. 13. (alias 218.) n. 4.

Nebridium. Quod vero *opponit:* nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu; dico, quod verum est de his quae nata sunt apprehendi per sensum, cuiusmodi sunt corporea. — Vel dicendum, quod argumentum Augustini verum concludit. Non enim a sensu iudicium veritatis exspectandum est [1] etiam de corporalibus rebus, nec inde veritatis notitia concipitur, sed ab intellectu, cum adiutorio tamen et irradiatione luminis primi. Unde ad perfectam cognitionem etiam rerum corporalium tria concurrunt: species *sensibilis,* quae est quasi materialis; species *intelligibilis* abstracta, quae est velut ratio formalis; *primum lumen,* quod est velut ratio effectiva; ei enim naturali ordine anima nostra subiuncta est, in quo videt, quidquid certitudinaliter videt, cum ad illud se movet, ut dicit Augustinus I. Retractationum [2] et XII. de Trinitate.

Ad 2. patet responsio per iam dicta: quoniam aliqua vera sunt adeo certa, ut in his nulla verisimilitudine contingat decipi, et de quo nulla unquam fuit opinionum diversitas. — Vel potest dici, quod etsi sensui aliter res appareat, quam sit, et imaginatio illudatur, non propter hoc sequitur, verum comprehendi [3] non posse. Iudicium enim veritatis non est a sensu aut ab imaginatione, sed ab intellectu, qui discernit, utrum vera sit res, quam imaginamur in somnis. Si enim vera sit, approbat; si falsa, reprobat et respuit. Quod autem sensui aliter apparet res, quam sit, non est de hoc sensus accusandus, ut dicit Augustinus III. contra Academicos [4]. Ratio enim et causa est, quare sic *apparet,* ut quod videtur remus fractus in aqua et turres moveri; immo accusandus esset, si aliter repraesentaret; sic enim debet rem repraesentare, ut apparet. Sed accu-

---

[1] Cfr. Augst., de Vera Relig. c. 33. n. 61.

[2] Cap. 8. n. 2: « Quia (anima) natura intelligibilis est et connectitur non solum intelligibilibus, verum etiam immutabilibus rebus, eo ordine facta est, ut, cum se ad eas res movet, quibus connexa est, vel ad se ipsam, in quantum eas videt, in tantum de his vera respondeat »; cfr. ibid. c. 4. n. 4. — Locus ex XII. de Trin. est c. 15. n. 24: « Credendum est, mentis intellectualis ita conditam esse naturam, ut rebus intelligibilibus naturali ordine, disponente Conditore, subiuncta sic ista videat in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt quae in hac corporea luce circumadiacent, cuius lucis capax eique congruens est creatus ».

[3] C *percipi.*

[4] Cap. 11. n. 25. seq.

sandus est intellectus, si iudicat secundum apparentiam sensus, qui debet videre causam, quare sic apparet.

Ad 3. dicendum, quod illud Philosophi in Posterioribus et Ethicis intelligendum est de praecognitione terminorum. Nullus enim potest doceri aut instrui in aliqua disciplina, nisi sciat, « quid est quod per nomen dicitur [1] ». Ista cognitio necessario antecedit doctrinam, et ab hac notitia incipit doctrina. Istam autem non oportet aliam praecedere, quia sic esset abire in infinitum. — Quod vero *dicit*, quod anima creatur nuda; verum est quantum ad species cognoscibiles; habet tamen insertam et inditam rationem cognoscendi, et notitiam [2] principiorum, et naturale iudicatorium, quo cum adiutorio luminis primi statim, obiecto aliquo principio et cognitis terminis, approbat et iudicat et mediante ista notitia acquirit scientiam. Statim enim, cum puer cognoscit, quid totum et quid pars, et habet speciem partis et totius, dicit, quod haec est maius illo. Unde habet innatum illud principium: omne totum est maius sua parte, quod statim, cognitis terminis, cognoscit.

Ad 4. dicendum, quod de mutabilibus, temporalibus, contingentibus in quantum huiusmodi non est scientia, sed in quantum mutabilia, temporalia, contingentia habent rationes et leges immutabiles, aeternas et necessarias. Ut autem dicit Augustinus I. Confessionum [3] et XII. de Trinitate, « rerum mu-

---

[1] Aristot., II. Poster. c. 7. et 10. (c. 9.). Cfr. Bonav., III. pag. 491, nota 4.

[2] B addit *primorum;* deinde C post *principiorum* addit: *lumen scilicet naturale.* — Cfr. Bonav., I. Sent. d. 17. p. I. q. 4.

[3] Cap. 6. n. 9; cfr. supra pag. 4, nota 2. — Locus alius est XII. de Trin. c. 14. n. 23, ubi praeter verba supra (pag. 50, nota 2.) citata legitur: « Non autem solum rerum sensibilium in locis positarum sine spatiis localibus manent intelligibiles incorporalesque rationes, verum etiam motionum in temporibus transeuntium sine temporali transitu stant etiam ipsae utique intelligibiles, non sensibiles. Ad quas mentis acie pervenire paucorum est; et cum pervenitur, quantum fieri potest, non in eis manet ipse perventor, sed veluti acie ipsa reverberata repellitur, et fit rei non transitoriae transitoria cogitatio. Quae tamen cogitatio transiens per disciplinas, quibus eruditur animus, memoriae commendatur, ut sit quo redire possit, quae cogitetur inde transire; quamvis, si ad memoriam cogitatio non rediret atque quod commendaverat ibi inveniret, velut rudis ad hoc, sicut ducta fuerat, duceretur, idque inveniret, ubi primum invenerat, in illa scilicet incorporea veritate, unde rursus quasi descriptum in memoria figeretur. Neque enim sicut manet, verbi gratia, quadrati corporis incorporalis et in-

tabilium immutabiles et temporalium aeternae et contingentium necessariae in Deo vivunt rationes », et istae rationes sunt ratio sciendi. — Quod *obiicit:* unum solum est *necesse* esse et aeternum; dico, quod unum solum est; sed in uno multae sunt rationes, ut dicit Augustinus. — Quod *obiicit:* illud maxime latet; dico, quod latet *ut obiectum* cognitionis, sed patet *ut ratio* cognoscendi; latet ut obiectum quietativum, sed patet ut obiectum motivum.

Ad 5. dicendum, quod universale non dicitur esse semper et ubique, ita ut [1] *semper* dicat aeternitatem, et *ubique* dicat immensitatem, sed semper et ubique est, id est, quando et ubi sunt particularia; omne tale finitum est, et ideo comprehensibile ab intellectu. — Secundo posset dici: dato quod universale esset infinitum, etsi non esset cognoscibile scientia *comprehensionis,* quia infinitum est incomprehensibile ab intellectu limitato, esset tamen cognoscibile scientia *apprehensionis,* sicut [2] Deus. — Quod autem *obiicit* de improportionalitate, dicendum, quod si sit improportionalis intellectus finitus enti infinito sub ratione entis, non tamen sub ratione cognoscentis, quia ordinatur ad illud, nec requiritur proportio commensurationis, sed ordinis. — Tertio potest dici, quod universalia sunt aeterna et immutabilia, sicut et universalia principia. Dico, quod de universali possumus loqui tribus modis, sicut de aliis similibus: *uno modo,* prout consideratur [3] in genere proprio vel per comparationem ad materiam sive ad subiectum, quod informat; et sic certum est, quod non habet aeternitatem nec immutabilitatem; omnis enim creata natura ex tempore incepit et posset annihilari. *Secundo modo,* prout consideratur in intellectu creato vel [4] comparatione ad intellectum, quem excitat sive movet; nec sic habet aeternitatem aut immutabilitatem, quia nullus creatus intellectus est aeternus et omnis creatus intellectus est mutabilis. *Tertio modo,* prout consideratur in exemplari aeterno, in quo vivunt omnium rationes, vel compa-

---

commutabilis ratio, sic in ea manet hominis cogitatio; si tamen ad eam sine phantasia spatii localis potuit pervenire ».

[1] B C *quod,* et deinde *dicit.*

[2] C addit *etiam.*

[3] A C *considerantur,* et mox *informant;* sed deinde solummodo B *habent.*

[4] B C *per comparationem,* et infra post *rationes* C *scilicet in comparatione.*

ratione ad lucem, ex qua emanat; et sic habet aeternitatem et immutabilitatem; ibi enim est immutabilis et aeterna habitudo universalis ad particulare, totius ad partem et e converso. Dum autem intellectus aliquis ad illud lumen sive ad illas rationes se movet, ibi videt ista incommutabilia vera, ut in principali solutione dictum est. Intellectus enim attingit illud lumen, et illae rationes intellectum creatum contingunt, ut dicit Augustinus XIV. de Trinitate [1].

Ad 6. dicendum, quod est quoddam medium, quod habet rationem *obiecti*, sicut medium in demonstratione, vel sicut speculum in visu; et de hoc verum est, quod oportet esse certius cognitum quam illud quod eo mediante cognoscitur. Aliud est medium, quod non habet rationem obiecti, sed *informativi*, ut est similitudo visibilis in visu; et de hoc non est necesse, quod sit certius cognitum sicut nec species rei cognoscibilis in intellectu. Aliud est medium, quod habet rationem *motivi* sive effectivi, sicut lumen; et tale medium non oportet, quod sit visum vel cognitum, sed quod virtute sua aliquid videatur. Deus autem est medium non per modum *obiecti* nec per modum *informativi*, sed per modum *motivi*. — Vel dico, quod est medium per modum obiecti dupliciter, scilicet per modum obiecti *terminantis*, et de hoc verum est; vel per modum obiecti *moventis* et in aliud ducentis, sic non est verum; sic enim video colorem per lumen, quod tamen ipsum tanquam obiectum terminans non video, sed tamen oportet, illud attingi. Similiter [2] est in proposito. — Vel tertio dico, quod et medium cognoscendi est duplex: unum, quod est *proportionale;* et de

---

[1] Cap. 15. n. 21: « Commemoratur, ut convertatur ad Dominum tanquam ad eam lucem, quae etiam, cum ab illo averteretur, quodam modo tangebatur. Nam hinc est, quod etiam impii cogitant aeternitatem et multa recte reprehendunt recteque laudant in hominum moribus. Quibus ea tandem regulis iudicant, nisi in quibus vident, quemadmodum quisque vivere debeat, etiamsi nec ipsi eodem modo vivant? Ubi eas vident? Neque enim in sua natura, cum procul dubio mente ista videantur, eorumque mentes constet esse mutabiles, has vero regulas immutabiles videat quisquis in eis et hoc videre potuerit; nec in habitu suae mentis, cum illae regulae sint iustitiae, mentes vero eorum constet esse iniustas. Ubinam sunt istae regulae scriptae, ubi quid sit iustum et iniustus agnoscit, ubi cernit habendum esse quod ipse non habet? Ubi ergo scriptae sunt nisi in libro lucis illius, quae Veritas dicitur »? — Cfr. supra pag. 8, nota 1.

[2] B *Ita* pro *Similiter*.

hoc verum est, quod certius cognoscitur. Est aliud medium *improportionale;* et istud de se magis est cognoscibile, sed tamen propter sui excessum non magis cognoscitur, sed tamen sua virtute et influentia aliud cognoscitur. — Quamvis posset responderi ad *probationem minoris:* quia [1], etsi de Deo non sit cognoscibile *quod quid est* sub determinata et propria ratione, est tamen sub quadam ratione generali, quod est quo maius cogitari non potest; et istud est insertum menti humanae [2].

Ad 7. dicendum, quod illud argumentum verum concludit. Quamdiu enim sumus in vita ista, in qua *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam* [3], non possumus omnino habere certam, claram et limpidam cognitionem. Sed [4] quando *hoc mortale et corruptibile induet incorruptionem,* cessabit fluxus humorum, motus phantasmatum, ita quod illud « quod fuit sarcinae, erit gloriae », ut dicit Augustinus XII. super Genesim [5].

Ad 8. dicendum, quod ibi sunt multi defectus. Primo enim non est verum quod proponit, scilicet quod cognitio sensitiva sit certior quam intellectiva; immo intellectiva est multo certior. Aliqua enim sunt vera certissima et evidentissima, in quibus nullo modo contingit decipi, sicut quod omne totum est maius sua parte, quod duo et tria sunt quinque. — Ad *probationem* autem, quod innata est nobis via a certioribus et notioribus; dico, quod Philosophus non appellat certiora et notiora sensibilia, sed certiora et notiora appellat communiora. Dicit [6] enim, quod sunt nobis magis certa et manifesta communia magis. — Et quod *ulterius dicit,* quod cognitio nostra causatur a sensu; dicendum, quod, ut dictum est superius, a sensu causatur, sed non in omnibus. Aliqua enim sunt intelligibilia, quae per nullum sensum corporis accepit anima, ut

---

[1] B C *quoniam.*

[2] Boeth., III. de Consol. prosa 10, et Anselm., Monolog. c. 15.

[3] Sap. 9, 15. — Alius locus est I. Cor. 15, 53.

[4] Ita B a secunda manu, A (B primitus) C *sicut.* Attamen vel *sed* legendum est, vel post *incorruptionem* addenda est aliqua particula v. g. *tunc.*

[5] Cap. 35. n. 68.

[6] I. Phys. text. 3. — C *Unde dicit, quod;* A *Dicit, quod.* Paulo post ante *certa* B (primitus) C addunt *nota et,* et pro *communia* A B (a secunda manu) C habent *confusa.*

dicit Augustinus X. Confessionum [1]; interrogati enim quilibet sensus dicunt, quod « per nos non intraverunt ». Etsi concedamus, quod sint causata a sensu, adhuc argumentum non concludit. Cognitio enim nostra causatur a sensu non per modum *efficientis*, sed per modum *ministrantis materiam*. — Alius defectus est ibi, quoniam [2], ut dictum est in alio argumento consimili [3], hoc non est propter errorem sensus, nec ex hoc sensus aut imaginatio culpanda est, quia ad eum non spectat de hoc iudicare. Ratio enim et causa est, quare ita videtur; quam investigare non pertinet ad sensum vel [4] imaginationem, sed (ad) intellectum, cuius est approbare verum et reprobare falsum et rationem videre, quare ita apparet.

Ad 9. dicendum est, quod illud adverbium *aliter* potest determinare verbum cognoscendi ex parte *cognoscentis*, vel ex parte *rei*. Si ex parte *rei* cognitae, sic falsum est, quoniam non cognoscit, aliter rem esse, sed cognoscit rem, sicuti est. Si vero determinet actum intelligendi vel cognoscendi ex parte *cognoscentis*, sic est verum, quod per speciem, quae est multo nobiliori modo in intellectu, quam sit res ipsa, cognoscit et intelligit rem, sicuti est; et quanto nobilior est natura cognoscitiva sive intellectiva, (tanto) nobiliori modo rem cognoscit. Et est exemplum: Deus cognoscit omnia immutabiliter, non res mutabiles cognoscit immutabiles vel ut immutabiliter existentes, sed res mutabiles cognoscit immutabili cognitione [5].

Ad 10. dicendum, quod universale est in rebus particularibus et in anima; sed non est in rebus particularibus *absolute*, sed *per comparationem* unius [6] ad aliam. In quolibet

---

[1] Cap. 10. n. 17, ubi hanc propositionem diffusius explicat, inter alia dicens: « At vero, cum audio, tria genera esse quaestionum, an sit, quid sit, quale sit, sonorum quidem, quibus haec verba confecta sunt, imagines teneo et eos per auras cum strepitu transiisse ac iam non esse scio. Res vero ipsas, quae illis significantur sonis, neque ullo sensu corporis attigi, nec uspiam vidi praeter animum meum et in memoria recondidi non imagines earum, sed ipsas: quae, unde ad me intraverint, dicant, si possunt ». — Pro *quilibet* B *quicumque*.

[2] Pro *ibi, quoniam* B probabiliter legit *in quantum*, C *etiam ibi, quoniam*.

[3] Supra ad 2.

[4] C *nec ad*.

[5] Sic hanc propositionem videtur habere A. Paulo aliter B: *non cognoscit res mutabiles immutabiles seu immutabiliter existere;* C falso: *nam* res mutabiles etc.

[6] C *comparationem ad animam*, A *corporis ad animam*. Mox B *hic sunt* pro *haec sunt*.

enim particulari est aliquid, quo distinguitur ab alio; et haec sunt principia particularia, ut sua anima, suum corpus; est etiam aliquid, quo convenit cum quolibet alio, sicut anima et corpus. Unde et est *hic* homo ex hac anima et hoc corpore compositus, et *homo* compositus ex anima et corpore. Quod dico *hominem* dico universale, quod dico *hunc hominem* dico [1] singulare. Universale, prout dicit rem aliquam, non est in anima, sed species universalis, id est istius naturae communis, ex qua colligit intentionem hanc propter convenientiam [2] multorum et vocat universalem. Sic ergo universale est in rebus secundum veritatem, sed intentio est in anima, et secundum hoc dicit Commentator [3], quod « intellectus facit universalitatem in rebus ». — Quod *dicitur:* universale est de essentia rei; dico, quod non est de essentia [4] tanquam essentiale principium, sed est rei essentiale. — Quod vero *dicit,* quod universale est pars definitionis; dico, quod universale accipitur pro eo quod est magis commune, cuiusmodi est *genus,* sicuti *animal* communius est quam *homo;* sed « animal universale, ut dicit Philosophus I. de Anima [5], aut nihil est, aut posterius ». — Quod *quaerit:* quid est illud quod praedicatur et ubi est? dico, quod praedicare est actus animae; ergo intellectus est ille qui facit praedicationem vel compositionem talem per speciem, quam habet in se, sive intentionem; huic tamen respondet in re, ut dictum est, illa natura communis; vere enim *hic homo* est *homo.*

Ad 11. dicendum, quod species substantiae sunt in intellectu; et supponatur [6] ad praesens, quod sint acceptae a sensu et postmodum, mediante phantasmate, factae sint in intellectu. Quemadmodum enim *accidens* non est sine substantia naturaliter, sed in substantia sustentatur; ita *species* quoque accidentis [7] non est sine specie substantiae, immo in ipsa fundatur. Et

---

[1] B addit *particulare seu.*

[2] Sic A C; B legit: *intentionem communem multorum... universale.* Paulo inferius A (sed a secunda manu) post *veritatem, sed* legit *secundum intentionem est.*

[3] I. de Anima, text. 8.

[4] B primitus *de esse,* a secunda manu vero cum C *de essentia rei* pro *de essentia.*

[5] Text. 8.

[6] B *supponamus.* Mox pro *sint* C *sunt,* et deinde B *factae sunt* pro *factae sint.*

[7] C *accidentium.*

sicut substantia non est sine accidente, immo quodam modo accidentibus vestitur, ita similitudo substantiae involvitur quodam modo similitudine accidentis. A re igitur, prout habet vim diffusivam, diffunditur et emanat sive originatur species et substantiae et accidentis et fit in sensu. Sed sensus — quia non ordinatur ad percipiendum neque [1] ad apprehendendum substantiam, sed accidens — accipit speciem accidentis, non nisi praesente obiecto; phantasia autem id ipsum accipit et retinet, obiecto absente. Sed post ex phantasia transit illius [2] similitudo ad intellectum, et quia ad eum pertinet, accipit speciem substantiae. Ergo species substantiae est in sensu et in phantasia, sed non ut sensata et imaginata; est tamen illud quod est materia intelligendi, ut supra dictum est.

Ad 12. dicendum, quod illud non intelligitur de prima causa *simpliciter*, sed de prima causa *in genere*, prout dicit Philosophus in I. Physicorum [3]: « Tunc arbitramur cognoscere unumquodque, cum causas cognoscamus primas » etc. — Vel si de prima causa *simpliciter* intelligatur, tunc dicendum est, quod cognita quidditate cuiuscumque substantiae, demonstrative [4] cognoscitur prima causa, quia omnis substantia ducit in cognitionem primae causae, et ideo in quolibet cognito cognoscitur. — Vel etiam [5] potest dici, ut praedictum est, quod cognoscitur non per modum obiecti *quietantis* vel terminantis, quasi ibi figatur aspectus intelligentis, sed quia attingitur per modum obiecti *ducentis* vel moventis. — Ad auctoritatem Damasceni dico, quod intelligit de notitia *comprehensiva*, non *apprehensiva*, et de cognitione, qua plene cognoscitur quidditas rei; non vult autem excludere omnem cognitionem; nam in eodem capitulo dicit, quod « cognitio existendi Deum naturaliter nobis inserta est ».

---

[1] B *sive*, et deinde omittit *post* ante *ex phantasia*.

[2] C *huiusmodi*.

[3] Text. 1, in quo textu pro *cognoscamus* C *cognoscimus*.

[4] C *de necessitate* pro *demonstrative*. Paulo inferius pro *quolibet cognito* B *qualibet re cognita*.

[5] B *Vel tertio* pro *Vel etiam*.

## QUAESTIO II.

Secundo quaeritur, utrum credere aliquid, quod nec sensu percipi nec ratione convinci potest, sit necessarium ad salutem.

*Videtur, quod non:*

1. Ecclesiasticus: *Qui cito credit levis est corde* [1]. Sed qui credit aliquid sine ratione videtur cito credere, ergo est levis corde; sed levitas cordis non est necessaria ad salutem, sed potius saluti contraria: ergo etc.

2. Item: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, utrum ex Deo sint* [2]; sed utrum sit spiritus veritatis, aut spiritus mendacii, ut videtur, non potest sciri nisi per rationem: ergo etc.

3. Item, « sicut se habet sensus ad sensibilia, sic se habet intellectus ad intelligibilia [3] »; sed nullum est sensibile, quod non possit percipi sensuali cognitione: ergo nullum est verum intelligibile, quod non possit percipi ratione: ergo nulli assentiendum est sine ratione.

4. Item, secundum Augustinum [4] « error magna cura cavendus est »; maxime autem cavendus in rebus pertinentibus ad salutem; sed qui credit aliquid, quod nec sensu percipere nec ratione valet comprehendere, exponit se erroris periculo: ergo nullo modo aliquid tale debet credere. *Probatio minoris:* qui credit quod nescit, utrum verum vel falsum sit, ac per hoc nescit, utrum credendum sit, exponit se periculo erroris; sed talis est qui credit quod nec sensu percipere nec ratione potest apprehendere: ergo etc.

5. Item, ubi periculosum et damnabile est falli, ibi maxime periculosum est ignorare, se falli; sed in via salutis periculosum est falli: ergo et periculosum ignorare, se falli. Sed ubi deest cognitio et scientia veritatis, ibi deest notitia oppositae falsitatis; scientia autem et cognitio veritatis deest ei qui cre-

---

[1] Cap. 19, 4. — In hac quaest. et quatuor seqq. usi sumus solum A B.

[2] I. Ioan. 4, 1, ubi Vulgata *si* pro *utrum;* codd. erronee citant I. Cor. 4.

[3] Ut dicit Aristot., III. de Anima, text. 3. (c. 4.): « Sicut se habet sensitivum ad sensibilia, sic se habet intellectum ad intelligibilia ».

[4] Enchiridion, c. 17. n. 5: « Error, quanta possumus cura, cavendus est ».

dit sine ratione: ergo (et) notitia falsitatis. Si ergo illud periculosum et damnabile est: ergo etc.

6. Item, eo quod homo est creatura *rationalis*, natus est *ratione operari* et *ratione iudicare;* sed quia natus est operari et agere per rationem, operari sine ratione non est *laudabile*, contra rationem est *vituperabile:* ergo similiter iudicare sine ratione non est laudabile, iudicare contra rationem est vituperabile: ergo credere sine ratione non est laudabile, contra rationem, èst vituperabile: ergo non est necessarium ad salutem.

7. Item, credere sine ratione est magnae perversitatis: ergo non est necessarium ad salutem. *Probatio maioris* apparet, quoniam ordo in anima talis est, quod intellectus debet movere voluntatem et dirigere, et non e converso; si ergo voluntas movet intellectum, videtur esse ordo perversus. Sed ubi creditur aliquid sine ratione, ibi voluntas movet intellectum: ergo etc.

8. Item, nihil est credendum, quod vergit in periculum salutis; sed credere aliquid, quod non potest ratione probari, vergit in periculum et detrimentum salutis: ergo etc. *Probatio minoris:* secundum Augustinum [1], Damascenum et Philosophum « intellectus est in anima sicut oculus in corpore »; sed omnis motus corporis, qui non sequitur ducatum oculi, est periculosus: ergo omnis actus spiritualis, qui non sequitur ducatum intellectus, est periculosus. Sed qui credit illud quod non potest probari ratione, non sequitur ducatum intellectus: ergo etc.

9. Item, quod non est appetendum nec quaerendum non est credendum; sed illud quod non potest sensu apprehendi, non est appetendum seu quaerendum: ergo etc. *Probatio minoris:* Ecclesiasticus [2]: *Altiora te ne quaesieris.*

10. Item, nihil est credendum, quod est contra rationem; sed quod non est secundum rationem est contra rationem: ergo nihil est credendum, quod non est secundum rationem. Sed quod non potest probari ratione non est secundum rationem: ergo etc. *Probatio minoris*: Lucas [3]: *Qui non est mecum contra me est.*

[1] In Ioan. Evang. tr. 15. n. 19; Damasc., II. de Fide orthod. c. 12: « Quod oculus in corpore, hoc mens in anima est »; et Aristot., I. Ethic. c. 6: « Quemadmodum in corpore est visus, sic in anima est mens »; cfr. I. Topic. c. 14. (c. 15.).

[2] Cap. 3, 22.

[3] Cap. 11, 23.

11. Item, nihil est necessarium ad aliquid, quod destruitur et evacuatur per illud; sed fides evacuatur, adveniente salute, sicut dicit Apostolus [1]: ergo fides non est necessaria ad salutem.

12. Item, omne, quod est necessarium ad salutem, est praeceptum; sed credere aliquid, quod non potest ratione probari, non est praeceptum: ergo non est necessarium ad salutem. *Probatio minoris:* dicitur in Deuteronomio [2], quod mandata Dei non sunt supra nos; sed certum est, quod credere illud quod non potest ratione probari aut sensu apprehendi, est supra nos: ergo etc.

CONTRA:

1. Apostolus [3]: *Sine fide impossibile est placere Deo. Accedentem enim oportet credere, quia est et inquirentibus se remunerator sit;* sed illud, sine quo impossibile est placere Deo, necessarium est ad salutem: ergo etc.

2. Item, si non creditur aliquid supra rationem, ergo nec speratur aliquid supra facultatem naturae, ergo nec diligitur. Sed ad salutem necesse est sperari aliquid supra naturae facultatem, ut beatitudinem aeternam: ergo et credi supra rationem: ergo etc.

3. Item, Apostolus [4]: *Sine fide impossibile et placere Deo;* Habacuc: *Iustus ex fide vivit,* et Apostolus recitat, ergo fides est necessaria ad salutem; sed credere est actus fidei: ergo etc.

RESPONDEO:

Circa istam quaestionem fuerunt multi errores.

*Quidam* enim *philosophi* posuerunt, *nihil debere credi* nec *cum ratione* nec *sine ratione* et nulli rei debere assentiri. Qui quidem error dependet ab errore reprobato in quaestione praecedenti. Posuerunt enim, quod nullum fuit verum certum; et quia error est non tantum assentire rebus falsis, immo dubiis et incertis, ideo, ne laberentur in errorem, dixe-

---

[1] I. Cor. 13, 10: Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.

[2] Cap. 30, 11: Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est etc.

[3] Hebr. 11, 6.

[4] Hebr. 11, 6; dein Habac. 2, 4. et Rom. 1, 7.

runt, nulli rei esse assentiendum. Hunc errorem recitat Augustinus in III. libro contra Academicos [1] et in Enchiridio optime. Huiusmodi erroris fuit *Heraclitus*, philosophus, quem recitat Philosophus IV. Metaphysicorum [2], qui non loquebatur, sed nutibus exprimebat conceptus suos; si autem interrogabatur, superponebat digitum ori suo *propter rerum mutabilitatem*, propter quam, antequam terminaret orationem suam, timebat, ne res transiret de una dispositione ad aliam. — Sed iste error in quaestione praecedenti sufficienter reprobatus est, ubi manifestum fuit, esse aliqua vera ita certa et evidentia, ut intellectus eis non assentire non possit, immo ipsa dubitatio supponit, esse aliquid certitudinaliter verum.

*Alii* dixerunt, et *multi* adhuc dicunt, quod, etsi *alicui* assentiendum sit *cum ratione, nulli* tamen *assentiendum*, nisi quod aut *sensu percipitur*, aut *ratione comprehenditur;* alias assentire temerarium est et periculosum. Et hi ponunt, quod *nullum est verum*, ad quod non possit pertingi investigatione et quod non possit *ratione convinci.* In istum errorem lapsus fuit Petrus Baalardi [3], sicut refert beatus Bernardus in pluribus Epistolis ad Papam Innocentium [4] et Henricum archiepiscopum Senonensem. — Sed iste error diligenter consideranti absurdissimus est. *Evacuat* enim omnem *humanum actum*, omnem *contractum*, omne *vinculum pietatis et societatis*, omne *documentum veritatis*, ac per hoc *totam vitam* subvertit *humanam.*

Omnem *actum evacuat.* Si enim nihil creditur, nisi quod demonstratur, ergo nec credimus medicis de medicina, quam nescimus, nec hominibus de via, quam ignoramus; nec agricola colet terram, quam nescit, utrum fructificatura sit; nec aliquis navigabit, qui nescit, utrum transiturus sit. Igitur si nihil credendum, nisi quod demonstratur; non medicinam sumeremus nec quoquam iremus, nec terram agricola seminaret, nec nauta navigaret: ergo evacuatur omnis actus. Istam rationem tangit

---

[1] Cap. 18. n. 37. seq.; Enchiridion de Fide, spe et caritate, c. 20. n. 7.

[2] Text. 22. (III. c. 5.).

[3] Sive *Abaelardi,* de quo cfr. Bonav., I. Sent. d. 43. q. 4.

[4] Epist. 189. 190. 191. (et ad magistrum Ivonem cardinalem, Epist. 193.); de Henrico cfr. Epist. 187. nota, et Epist. 194.

Augustinus VI. Confessionum [1], dicens: « Denique paululum tu, Domine, manu iustissima atque misericordissima pertractans et componens cor meum; consideravi, quam innumerabilia crederem, cum non viderem neque, cum gererentur, affuissem, sicut tam multa in historia gentium, tam multa de locis atque urbibus, quae non videram, tam multa amicis, tam multa medicis, tam multa aliis atque aliis, quae nisi crederentur, omnino in hac vita nihil ageremus ». Haec Augustinus.

*Evacuat* omnem *contractum.* Si enim nihil creditur, nisi quod demonstratur, nullus contractus inter homines fit nec de mercationibus nec de mutuis nec de venditionibus nec de omnibus, in quibus homines se fidei aliorum committunt.

*Evacuat* omne *vinculum societatis.* Si enim nihil creditur, nisi quod demonstratur, igitur nec amico creditur, cuius animus non potest videri; perit igitur amicitia. Perit nihilominus vinculum subiectionis et praelationis, dominationis et servitutis, quia tunc nec dominus servo, nec servus domino credit. Perit omnis necessitudo et pietas et omne obsequium et dilectio parentum ad liberos et liberorum ad parentes. Nam nec parentes possunt scire, suos esse liberos, nec liberi, suos esse parentes; ac per hoc omne vinculum pietatis et societatis perit inter homines. Hanc rationem tangit Augustinus in libro de Utilitate credendi [2]. « Si nihil, inquit, sine ratione est credendum, quomodo possum dicere, cum et amicitia, nisi aliquid credatur, quod certa ratione demonstrari non potest, omnino nulla sit »? et post [3]: « Quaero, si quod nescitur credendum non est, quomodo serviant parentibus liberi eosque mutua pietate diligant, quos parentes suos esse non credunt? Non enim ratione ullo pacto sciri potest, sed interposita matris auctoritate, de patre creditur, de ipsa vero plerumque nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, famulis. Nam cui furari filius potest aliusque supponi,

---

[1] Cap. 5. n. 7, ubi edit. legit: « Deinde paulatim tu, Domine, manu *mitissima* et misericordissima... meam, *consideranti,* quam... crederem *quae* non... multa *hominibus* aliis atque aliis » etc.

[2] Cap. 10. n. 24: « Nam nihil sine cognitione esse credendum qui, possum dicere, cum » etc. — Cfr. etiam idem, lib. de Fide rerum, quae non videntur, c. 2. n. 4, ubi s. Doctor praeclare demonstrat, quam horrenda confusio sequeretur, fide de rebus humanis sublata.

[3] Cap. 12. n. 26.

nonne potest decepta decipere? Credimus tamen et sine ulla dubitatione credimus, quod scire non posse confitemur. Quis enim non videat, pietatem, nisi ita sit, sanctissimum generis humani vinculum, superbissimo scelere violari »? Haec Augustinus.

*Evacuat* tandem omne *documentum*. Si enim nihil creditur, nisi quod demonstratur, aut quod ratione intelligitur, erudiendus autem non statim aptus et idoneus est intelligere nec statim capax est rationis: ergo nunquam docebitur. Oportet igitur, quod primo assentiat auctoritati magistri; et ideo dicit Philosophus [1]: « Oportet, discentem credere ». Hanc rationem tangit Augustinus in libro de Utilitate credendi [2] et III. contra Academicos.

Si igitur in societate humana necesse est credere et assentire *humanae auctoritati* — alias perit tota humana vita, dum evacuatur omnis actus, omnis contractus, omne vinculum pietatis, omne documentum veritatis — multo magis in religione divina *divinae auctoritati* assentiendum est. Propter quod dicit Damascenus [3], quod omnia fide consistunt. « Sine fide, inquit, impossibile est salvari; fide enim omnia humana et spiritualia consistunt; neque enim agricola sine fide incidit tellurem, neque negotiator parvo ligno sui animam furenti maris pelago tradit; non matrimonium consistit, non aliud quidquam eorum quae fert vita, suscipitur. Fide intelligimus, ex non ente ad esse deducta omnia Dei virtute; omnia divina et humana fide dirigimus ».

Et propterea dicendum est indubitanter et fideliter assentiendum, quod *credere aliquid*, quod nec *percipitur sensu* nec *ratione comprehenditur*, necessarium est ad salutem. Huius autem declaratio sumi potest ex quatuor. Primum est *defectus humanae intelligentiae;* secundum est *excessus divinae excellentiae;* tertium est *rectitudo* seu ordo *creaturae rationalis;* quartum est *ipsius creaturae perfectio finalis.*

---

[1] I. Elench. c. 2.

[2] Cap. 17. n. 35; et III. contra Academ. c. 17. n. 38.

[3] IV. De Fide orthod. c. 11: « Nam fieri non potest, ut quis sine fide salutem consequatur. Fide siquidem tum humana omnia, tum spiritualia constant; neque enim agricola sine fide arvum proscindit, nec mercator exiguo ligno vectus animam suam furentibus maris undis committit, nec matrimonia contrahuntur, nec denique aliud quidquam eorum quae vita fert, suscipitur. Fide intelligimus, Dei potentia cuncta ex nihilo producta esse. Fide omnia recte gerimus tum humana, tum divina. Fides porro est assensus, omni curiosa inquisitione vacans ». Cfr. etiam Basilius, Homil. in Ps. 115. n. 1.

Prima ergo sumitur ratio ex *defectu humanae intelligentiae*. Intelligentia enim humana, eo quod naturaliter limitata et per peccatum obscurata est adeo, quod, ut dicit Philosophus [1], « habet se ad manifestissima naturae sicut oculus vespertilionis ad lucem solis », non sufficit rerum naturalium causas investigare nec ad eas potest per rationem pertingere, multo minus potest pertingere ad divina. Nam, ut dicit Hugo I. libro de Sacramentis [2], « mens in medio constituta inter Deum et mundum duplicem accepit *oculum:* oculum [3] scilicet *rationis* ad investiganda intelligibilia et oculum *contemplationis* ad contuenda divina. Oculus contemplationis omnino exstinctus est, oculus rationis lippus effectus est; solus remansit clarus oculus *carnis*, quae tamen huic duplici oculo potius est impedimento quam adiumento ». Si igitur oculus rationis, quia lippus, non sufficit *naturalia* investigare nec ad eorum causas ratione potest pertingere, multo minus oculus contemplationis, qui exstinctus est, potest *divinorum rationes* intueri. Sed constat, quod in-

---

[1] II. Metaph. text. 4. (l. brevior c. 1.). Cfr. supra pag. 50, nota 3, et Bonav., l. pag. 72, nota 9. et pag. 299, nota 5. — Codd. habent superflue *propter quod* ante *non sufficit*.

[2] Part. X. c. 2: « Erant enim tria quaedam: corpus et spiritus et Deus; corpus quidem mundus erat, anima spiritus. Et ipsa anima quasi in medio quodam erat habens extra se mundum, intra se Deum et acceperat oculum, quo extra se mundum videret et ea quae in mundo erant; et hic erat *oculus carnis*. Alium oculum acceperat, quo se ipsam videret et ea quae in ipsa erant; hic est *oculus rationis*. Alium rursum oculum acceperat, quo intra se Deum videret et ea quae in Deo erant, et hic est *oculus contemplationis*. Hos igitur oculos quamdiu anima apertos et revelatos habebat, clare videbat et recte discernebat; postquam autem tenebrae peccati in illam intraverunt, oculus quidem contemplationis exstinctus est, ut nihil videret; oculus autem rationis lippus effectus, ut dubie videret. Solus ille oculus, qui exstinctus non fuit, in sua claritate permansit, qui, quamdiu lumen habet clarum, iudicium dubium non habet. Oculus vero rationis, quamdiu lumen eius est nubilum, iudicium certum habere non potest, quia quod clare non videt discernit ambigue. Hinc est, quod corda hominum facilius sibi consentiunt in his quae oculo carnis percipiunt, quam in his quae acie mentis et sensu rationis attingunt, quia, ubi in videndo non caligant, in iudicando non discrepant. Homo ergo, quia oculum carnis habet, mundum videre potest et ea quae in mundo sunt. Item, quia oculum rationis ex parte habet, animum similiter ex parte videt et ea quae in animo sunt. Quia vero oculum contemplationis non habet, Deum et quae in Deo sunt, videre non valet ». Cfr. Bonav., V. Breviloq. p. II. c. 12. n. 5. et Collat. in Hexaëm. collat. 3. n. 23.

[3] Ita bene A, qui inferius ut B (primitus) non bene *qui* pro *qua* habet.

firmus debet inniti forti et stultus sapienti debet assentire. Ergo si multa, quae in rebus naturalibus non possumus investigare, *credimus* tamen, etsi non vidimus sensu, referentibus: ergo multo fortius in rebus divinis acquiescendum est *divinae auctoritati*, quas nec sensu nec ratione percipere possumus.

Hanc rationem facit Augustinus XXI. de Civitate Dei [1]: « Homines, inquit, infideles rationem a nobis flagitant earum rerum, quam quoniam non possumus reddere — excedunt enim vires mentis humanae — existimant, falsa esse quae dicimus. Ipsi de tot mirabilibus rebus, quas vel videre possumus vel videmus, debent reddere rationem; quod si fieri ab homine non posse perviderint, fatendum est eis, non ideo aliquid non fuisse vel futurum non esse, quia ratio inde non potest reddi ». Et subiungit multa talia, quae non tantum sunt scripta aut transacta, sed in locis manentia, quae potest qui vult explorare. « Agrigentinum salem Siciliae perhibent, cum fuerit admotus igni, velut in aqua liquescere et fluescere, cum vero ipsi aquae, velut in igne crepitare [2]; apud Garamantas quendam fontem tam frigidum diebus, ut non bibatur, tam fervidum noctibus, ut non tangatur [3]; in Epiro alium fontem, in quo faces velut in ceteris exstinguuntur accensae, sed, non sicut in ceteris, accenduntur exstinctae [4]; in Cappadocia equas vento concipere eosdemque fetus non nisi triennio durare [5]. Multa sunt autem alia similia, de quibus reddere rationem non possunt, quae si futura diceremus, nullo pacto crederent. Cum autem adhuc locis manent, velint nolint, credunt. Multo igitur fortius credendum est divinae auctoritati ». Haec Augustinus [6]. Hanc rationem etiam ponit Chrysostomus [7] super illud Ioannis: *Nisi quis renatus fuerit* etc.: « Secreta naturae excogitatione non possumus invenire, sed percipimus fide. Si igitur haec quae quotidie fiunt

---

[1] Cap. 5. n. 1. seq.: « Homines infideles, qui, cum divina vel praeterita, vel futura miracula praedicamus, quae illis experienda non valemus ostendere, rationem » etc.

[2] Cfr. Plinius. XXI. c. 7. — Pro *in igne*, quod habet edit., codd. *immane*.

[3] Plin. V. c. 5.

[4] Plin. II. c. 103.

[5] Plin. XXXVII. c. 10; cfr. etiam Isid., Etymol. XIII. c. 13. n. 8. seq.

[6] Qui tamen loc. cit. diffusius de hoc loquitur.

[7] Homil. 25. (alias 24.) n. 1. in fine, ubi tractat super Ioan. 3, 3.

et *palpantur*, fide indigent, multo magis, quae sunt simpliciora his ».

Secunda ratio sumitur ab *excessu divinae excellentiae*. Constat enim, quod divina potentia, divina sapientia, divina bonitas humanum intellectum excedunt. Si autem nihil esset supra humanam rationem, aut quidquid esset, posset comprehendi humana investigatione; non excederet divina sublimitas humanum intellectum, immo humanus intellectus aequaretur divinae sublimitati; quod omnino profanum est. « Fatendum est igitur, ut dicit Augustinus [1], Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse ». Certum est autem, quod notitia divinorum operum necessaria est ad salutem. Si igitur ad illa pertingere non potest propria ratione nec rationem capere dignus est aut idoneus: ergo necesse est, purificari oculum mentis, ut ad illa contuenda possit pertingere. Purificatur autem et quodam modo nutritur per fidem, qua interim credit quod intelligere non valet, donec ad intelligendum fiat idoneus: ergo credere necessarium est ad salutem. Divine enim dictum est [2]: *Nisi credideritis, non intelligetis*. Nam, ut dicit Augustinus I. de Trinitate [3], « Deus est summum bonum, quod purgatissimis mentibus cernitur », sed ab eis, scilicet infidelibus, « cerni comprehendique non potest, quia mentis humanae acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei nutrita vegetetur »; et post haec: « Medicina fidelium in sancta Ecclesia constituta est, ut ad perceptionem incommutabilis veritatis imbecillam mentem observata pietas sanet ».

Tertia ratio sumitur ex *creaturae rationalis ordine et rectitudine*. Creatura enim rationalis a Deo condita et ad Deum ordinata *Deo debet subiici* secundum omnem sui vim atque potentiam, aliter non est recta. Quemadmodum ergo ad hoc, quod recta et ordinata sit, necesse est, ut subdatur divinae potestati per obedientiam et bonitati per amorem; ita necesse est, ut *subiiciatur veritati* per assensum. Sed obedire tenetur potestati quantum ad effectum supra, immo contra semetipsum, et bonitati quantum ad affectum, diligendo Deum supra se et

---

[1] Epist. 137. (alias 3.) ad Volusianum, c. 2. n. 8. in fine.

[2] Isai. 7, 9. secundum Septuaginta.

[3] Cap. 2. n. 4.

plus quam se: igitur necesse est, ut subdatur veritati quantum ad intellectum, ut assentiat et credat sibi propter se, supra se et plus quam sibi aut suae rationi; alias non perfecte Deo subiicitur [1], ac per hoc nec recta nec ordinata est, sine quibus non est salus; veritas autem divina innotescit nobis per Scripturam: ergo credere divinae auctoritati supra rationem necessarium est ad salutem. « Quod enim credimus debemus auctoritati; quod intelligimus, rationi », ut dicit Augustinus de Utilitate credendi [2].

Quarta ratio sumitur ex *ipsius creaturae rationalis finali perfectione.* Perfectio autem finalis creaturae rationalis est *beatitudo aeterna,* quae excedit omnem limitem naturae et facultatem humanae intelligentiae, et hoc propter nobilitatem ipsius; consistit enim in perfruitione et visione Dei, quoniam « ex eo, quod est imago Dei, eius capax et particeps esse potest », ut dicit Augustinus XIV. de Trinitate [3]. Propterea dicit Apostolus [4]: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit diligentibus se;* et de illa pace dicitur [5], quod *exsuperat omnem sensum;* notitia autem finis et viae, quae ad finem ducit, necessaria est, alias ad finem perveniri non potest. « Si ergo divina providentia praeest rebus humanis, et species omnium rerum ab uno pulcritudinis fonte manare credendum est, et interior conscientia ad Deum quaerendum eique serviendum hortatur; non est desperandum, ab ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam, qua, velut gradu certo innitentes, attollamur in Deum », ut dicit Augustinus de Utilitate credendi [6]. Necessarium igitur est [ad salutem] credere *divinae auctoritati supra rationem.* Hoc

---

[1] A *subditur.*

[2] Cap. 11. n. 25; cfr. I. Retract. c. 14. n. 3, et Bonav., III. pag. 490, nota 7.

[3] Cap. 8. n. 11.

[4] I. Cor. 2, 9. [5] Phil. 4, 7.

[6] Cap. 16. n. 34: « Si enim Dei providentia non praesidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum; sin vero et species rerum omnium, quam profecto ex aliquo verissimae pulcritudinis fonte manare credendum est, et interior nescio quae conscientia Deum quaerendum Deumque serviendum meliores quosque animos quasi publice privatimque hortatur, non est desperandum, ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam, quo, velut gradu certo innitentes, attollamur in Deum ». — In hoc textu codd. erronee legunt *interiore constantia* pro *interior conscientia* et *attollantur* loco *attollamur.*

dicit Augustinus XIII. de Trinitate [1]: « In ista mortali vita, erroribus aerumnisque plenissima, praecipue fides necessaria est, qua in Deum creditur; non enim quaecumque bona, maximeque illa quibus quisque fit bonus, et illa quibus fiet beatus, unde nisi a Deo in hominem veniant et homini accedant, inveniri potest ». Et XI. de Civitate Dei [2]: « Quoniam ipsa mens, cui ratio et intelligentia naturaliter inest, vitiis quibusdam tenebrosis et veteribus invalida est, non solum ad inhaerendum fruendo, verum etiam ad perfruendum incommutabili lumine, donec, *de die in diem renovata* atque sanata, fiat tantae felicitatis capax; fide primum fuerat imbuenda atque purganda. In qua, ut fidentius ambularet ad veritatem, ipsa Veritas Deus, Dei Filius, homine assumto, non Deo consumto, eandem constituit atque fundavit fidem, ut ad hominis Deum iter esset homini per hominem-Deum ». Et Augustinus XIII. de Trinitate [3]: « Denique beatos nos esse velle, omnes novimus, multi vero immortales se esse posse desperant, cum id quod omnes volunt, id est beatos esse, nullus aliter possit; volunt tamen etiam immortales esse, si possent; sed non credendo, quod possint, non ita vivunt, ut possint. Necessaria est ergo fides, ut beatitudinem consequamur omnibus humanae naturae bonis, id est animi et corporis ».

Huic veritati non desunt etiam testimonia infidelium. Dicit enim Avicenna IX. libro Metaphysicae suae [4]: « Scire debes, quod eorum quae tenentur per fidem, id est divina promissio, aliud est, quod comprehenditur intellectu et argumentatione; aliud, quod sola fide recipitur, quia non est via ad probandum illud nisi credendo testimonio Prophetae ». Et Tullius in III. libro de Natura deorum [5] dicit, quod « propter nullam rationem

---

[1] Cap. 7. n. 10.

[2] Cap. 2, in quo edit.: *ad perferendum incommutabile lumen* pro *ad perfruendum incommutabili lumine*, et codd. male *praeparanda* loco *purganda*. — Aliquanto inferius respicitur II. Cor. 4, 16.

[3] Cap. 20. n. 25, in quo textu edit.: *id est beatus nullus esse aliter* pro *id est beatos esse, nullus aliter*.

[4] Cap. 7.

[5] Cap. 2: « Ego vero eas [opiniones maiorum] defendam semper semperque defendi, nec me ex ea opinione, quam a maioribus accepi de cultu deorum immortalium, ullius unquam oratio aut docti aut indocti movebit... A te [Balbo] enim philosopho rationem accipere debes religionis, maioribus autem nostris, etiam nulla ratione reddita, credere ».

adductam in contrarium relinquendum est antiquae fidei fundamentum. Nulla enim est secta nec fuit a principio mundi, quae non supponeret aliqua, quae per viam rationis comprehendi non possent, et illa supponebant habita per revelationem ». Sed quod illi a pluribus diis et falsis, fides christiana ab uno vero Deo.

Sic igitur manifestum est, quod *credere aliquid supra sensum et rationem*, qui est actus fidei, necessarium est ad salutem; quoniam *fides* est *fulcimentum* humanae *fragilitatis*, *medicamentum* humanae *caecitatis*, *regula rectitudinis* et *via aeternae beatitudinis*. Per hanc enim interim bona illa speranda subsistunt in nobis, et credenda tenemus quae per rationem non comprehendimus. Unde definita est ab Apostolo [1]: *Est enim fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

Ad 1. argumentum in contrarium dicendum, quod *cito credere* est dupliciter: vel *indifferenter cuicumque* aliquid proponenti, et hoc est levitatis cordis; vel *sapienti* aut *auctoritati sapientis*, qui nullo modo aut potest falli, aut vult fallere, et hoc non est levitatis cordis; sic est in proposito. Creditur enim non cuicumque, sed *Deo* vel *divinae Scripturae*, cuius auctoritas praevalet rationi; « maior enim est huius Scripturae auctoritas quam omnis humani ingenii capacitas [2] ».

Ad 2. dicendum, quod Apostolus optime et consultissime dicit, non *omni spiritui esse credendum*, sed *spiritus* esse *probandos*. — Quod autem dicitur [3], non posse probari spiritus, utrum ex Deo sint, nisi per rationem; dic, quod istud est falsum, quoniam potius probatur per *internam unctionem* [4] quam per *rationem*, et ipse semetipsum manifestat. Unde Beda super Marcum [5], opponens, temeritatis fuisse in Matthaeo, qui *statim secutus est Iesum* vocantem, quem nulla adhuc viderat miracula facientem, dicit: « Siquidem ipse Dominus, qui hunc exterius humana allocutione, ut se sequeretur, vocavit, intus

---

[1] Hebr. 11, 1. — Cfr. Bonav., III. d. 23. a. 1. q. 5.

[2] Ut dicit August., II. de Gen. ad litt. c. 5. n. 9.

[3] Codd. habent *dicit*.

[4] Respicitur I. Ioan. 2. 20. et 27.

[5] Cap. 2, 14; de Matthaeo cfr. ibid. c. 9, 9. — Pro *invisibiliter modum, quo sequeretur, edocuit* edit. elegantius *invisibiliter, quo modo sequendum esset, edocuit*.

divina inspiratione, ut vocantem sequeretur, accendit, ipse invisibiliter modum, quo sequeretur, edocuit».

Ad 3. dicendum, quod non est omnino simile de sensu et intellectu, quoniam *perfectio sensus* non excedit sensus facultatem et potestatem, et ideo nullum est sensibile, quod virtute sensus, concurrentibus aliis, quae necessaria sunt, non possit apprehendi. Sed *perfectio intellectus* excedit omnem limitem naturae et omnem intellectus facultatem, et ideo aliquid est intelligibile, ad quod non potest pertingi [1] per *rationem* sive investigationem.

Ad 4. dicendum, quod, ut distinguit Augustinus de Utilitate credendi et I. Retractationum [2], *scire* accipitur *proprie*, hoc est, *ratione* habere suasum; et tunc « proprie scire dicimur, cum certa ratione aliquid apprehendimus ». Accipitur et *communiter*, et hoc est alterius *testimonio* credere; unde non inconvenienter scire dicimur quod aliorum auctoritati vel testimonio credimus. Quamvis ergo nesciamus, utrum verum vel falsum sit quod credendum proponitur, *notitia rationis*, scimus tamen *notitia auctoritatis* et testimonio ipsius veritatis; et magis certificat interius in credendis lumen inspirationis quam in scitis lumen rationis. Concurrit nihilominus ad certitudinem *gustus devotionis*, et ideo possumus secure credere sine periculo erroris.

Ad 5. patet responsio, quoniam ille qui credit, scit certitudinaliter, se non falli, certius quam ille qui novit per viam humanae rationis. Innititur enim ipsi *veritati infallibili*, cuius lumen magis certificat per inspirationem quam ratio humana per investigationem. Unde Richardus de sancto Victore II. de Trinitate [3]: « Nihil certius tenemus, quam quod fide apprehendimus ».

Ad 6. dicendum, quod non est simile de *ratione* et *credulitate*, quoniam *operatio* humana *subiecta est rationi;* ideo sine ratione *operari* non est laudabile, contra rationem autem, est vituperabile. *Veritas* autem *cognoscenda excedit facultatem rationis*, et ideo oportet, a superiori aliquid infundi, quo

---

[1] A *pertingere.*

[2] Cap. 11. n. 25. et I. Retract. c. 14, n. 3, in quo textu edit. *quod* pro *cum* et *comprehendimus* loco *apprehendimus.*

[3] Cap. 2.

laudabiliter *credatur*. — Vel dicendum, quod credere sine ratione non est laudabile, contra rationem est vituperabile. Sed *ratio* est duplex: humana et divina; quamvis igitur credere, vel illud quod creditur, non sit secundum *humanam rationem*, est tamen secundum *divinam*, quae potior est; ideo est laudabile credere. Hanc autem rationem non omnes percipiunt, sed primo creditur, ut ad intellectum veniatur et tandem per puritatem cordis videatur. Unde Hugo I. de Sacramentis [1] distinguit tria genera *credentium*. « Quidam enim fideles sunt, qui sola pietate credere eligunt, qui tamen, utrum sit credendum vel non credendum, ratione non comprehendunt. Alii ratione approbant quod fide credunt. Alii puritate cordis et munda conscientia interius iam gustare incipiunt quod fide credunt. In primis sola pietas facit electionem, in secundis ratio adiungit approbationem, in tertiis puritas intelligentiae comprehendit certitudinem. Quartum genus est hominum, quibus credere est solum fidei non contradicere, qui consuetudine vivendi potius quam virtute credendi fideles nominantur ».

Ad 7. dicendum, quod credere non est perversitatis, immo est magnae pietatis, et quamvis credat *sine ratione crediti*, non tamen *sine ratione credendi*. Ipsum enim creditum vel quod creditur, licet non habeat in nobis rationem, habet ipsum credere. Dictat enim ratio unicuique, *veritati*, quae non potest vel vult [2] fallere, *esse credendum* magis quam sibi. Sed quoniam, quamvis ratio dictet, esse credendum, *intellectus* credito non potest acquiescere, qui *cogitur ratione*, ideo *trahitur ab affectu* et *captivatur in obsequium* veritatis [3]. Unde patet, quod credere sine ratione eo modo, quo dictum est, est magnae pietatis, non temeritatis, sed securitatis.

Ad 8. dicendum, quod actus *credendi* est actus ipsius intellectus, etsi non per *lumen rationis* naturale, tamen per lumen multo certius et clarius, quia per *lumen divinitus infusum;* et ideo dictamen illius luminis sequi non est periculosum.

Ad 9. dicendum, quod aliquid est *supra rationem*, ad quod ratio non potest pertingere *nec ad illud ordinatur*, et illud

---

[1] Part. X. c. 4, in quo textu edit. *quod tamen* pro *qui tamen*.

[2] Ita A, quocum B convenit, cum exhibeat saltem verbum *vel*, quod tamen ab altera manu expunctum est.

[3] Respicitur II. Cor. 10, 5.

praecipitur non quaeri. Aliud est, quod est supra rationem, quia ratio in illud virtute sua non potest, tamen *naturaliter ordinatur ad illud* tanquam ad suum complementum. Et illud praecipitur appetere, quaerere et credere, non propria virtute, quia supra, sed cum auxilio et gratia Dei, et illud est humilis confidentiae. Ergo in auctoritate Ecclesiastici prohibetur praesumtio, non prohibetur mentis in Deum elevatio; vel prohibetur *curiosa investigatio*, nam sequitur [1]: *et profundiora te ne scrutatus fueris*, non prohibetur *humilis veritatis assensio.*

Ad 10. patet responsio. Non esse enim *secundum rationem* duobus modis potest intelligi: aut quia *rationi dissonum* et repugnans, et [de] hoc est verum, quod tale [2] est *contra rationem* nec debet credi; aut, quia *non subest virtuti rationis* nec de se in illud potest, tamen ad illud ordinatur sicut ad complementum, et de hoc non est verum; et propterea illud iubetur credere.

Ad 11. dicendum, quod illa propositio *maioris* est falsa universaliter intellecta. Nam semen necessarium est humanae generationi, et tamen, homine genito, semen corrumpitur; similiter motus et privatio et multa huiusmodi. Et propter hoc distinguendum est, quod *necessarium ad aliquid* est duobus modis: vel ita, quod est de essentiali perfectione rei sive *necessarium in esse perfecto;* et de hoc verum est, quod nihil destruitur per illud cui est necessarium. Alio modo potest intelligi necessarium tantum in via generationis sive *in fieri*, et de hoc non est verum, sicut patet in infinitis exemplis.

Ad ultimum dicendum, quod mandatum non est *supra nos*, non quod illud servare possimus *virtute naturae*, sed cum *auxilio gratiae;* ita similiter et credere. Non tantum autem dicitur *posse* [3] quod possumus *per nos ipsos*, sed quod possumus cum *alterius auxilio*, ut dicit Augustinus de Perfectione iustitiae [4], et Philosophus: « Illud possumus, quod possumus per amicos ».

---

[1] Vers. 22, ubi pro *profundiora* Vulgata *fortiora.*

[2] A legit: *tale per rationem non debet credi.*

[3] A *possumus.*

[4] Cap. 2. n. 1. seqq.; c. 6. n. 15; c. 7. n. 16; c. 10. n. 21. — Aristot., III. Ethic. c. 3: « Fieri autem posse ea dicuntur, quae per eos fieri possunt; namquae per amicos fiunt per nos quodam modo fieri videntur, quippe cum prin

# QUAESTIO III.

**Tertio quaeritur, utrum sit salus tantum in una et sola fide et lege christiana.**

*Quod non, ostenditur:*

1. Apostolus [1]: *Cum gentes, quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt, ipsi sibi lex sunt, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis;* Glossa, ibi: « Etsi non habeat scriptam legem, habet tamen naturalem, qua intelligit et sibi conscius est, quid sit bonum et quid sit malum ». Si igitur per solam legem naturalem potest haberi salus, et fides innititur auctoritati legis scriptae: ergo sine fide potest esse salus; aut si tales fidem habent, non solum in una fide christiana salus est.

2. Item, Augustinus ad Deogratias [2] dicit, « quod a principio mundi non fuit aliquis status, in quo non esset aliquis, qui pertineret ad numerum salvandorum ». Sed Evangelium succedit legi Moysi: ergo sicut tunc non fuit tantum una lex, in qua esset salus, si modo tempore gratiae non est arctata via salutis; videtur, quod in alia lege et in alia fide possit esse salus.

3. Item, dicitur [3] de Cornelio, quod eleemosynae suae et opera sua accepta erant coram Deo; sed certum est, quod Cornelius gentilis erat, nec fides ei a Petro erat exposita: ergo

---

cipium in nobis sit ». Cfr. S. Thomas in hunc locum (lect. 8.): « Possibile autem dicitur aliquid operanti non solum secundum propriam potentiam, sed etiam secundum potentiam aliorum; unde dicit, quod possibilia sunt, quae fiunt per amicos; quia ea quae fiunt per amicos, aliqualiter fiunt per nos, in quantum scilicet principium horum est in nobis, prout ipsi intuitu nostro hoc faciunt ».

[1] Rom. 2, 14. — Glossa est *ordinaria* apud Lyranum et Petr. Lombardum in hunc locum.

[2] Epist. 102. (alias 49.) q. 2. n. 12. et 15, ubi dicitur: « Ab initio generis humani, alias occultius, alias evidentius, sicut congruere temporibus divinitus visum est, nec prophetari destitit nec qui in eum crederent defuerunt, ab Adam usque ad Moysen, et in ipso populo Israel, quae speciali quodam mysterio gens prophetica fuit, et in aliis gentibus, antequam venisset in carne ». — Cfr. infra q. 4. ad 5.

[3] Act. 10, 4. et 31.

sine fide christiana potest quis esse Deo acceptus: non igitur in sola fide christiana est salus.

4. Praeterea, fides innititur inspirationi et revelationi. Sed inspirationem aut revelationem recipere non subest libero arbitrio; ulterius certum est, quod nullus errare vult, secundum Augustinum in Enchiridio [1], sed potius desiderat veritatem. Nulli igitur imputandum est, si fidem non habet; sed nullus sine culpa damnatur, et quicumque non damnatur, salvatur: ergo sine fide christiana potest quis salvari. Ut enim dicit Augustinus XXI. de Civitate Dei [2], « non est medius locus inter regnum et supplicium, ubi non sit in supplicio qui illo non fuerit constitutus in regno ».

5. Item, omnis homo salvatur, qui facit voluntatem Dei [3]; sed iste quicumque extra fidem et legem christianam facit voluntatem Dei: ergo salvatur. *Probatio minoris:* salus consistit in faciendo voluntatem Dei; quaero: aut scitam, aut creditam? Non scitam, constat: ergo creditam. Sed ita credit Saracenus facere voluntatem Dei, sicut Christianus: ergo ita salvatur, sicut ipse.

6. Item, iste Saracenus facit secundum conscientiam suam et credit, se bene facere; faciendo autem contrarium peccat, quia, ut dicit Glossa [4] super illud: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est:* « *quod non est ex fide,* id est ex conscientia »; et alibi [5]: « Qui facit contra conscientiam aedificat ad gehennam ». Sed peccare et recte facere sunt opposita; facere secundum conscientiam et facere contra conscientiam sunt opposita: ergo si facere contra conscientiam est peccatum, facere secundum conscientiam est recte factum. Sed quisque recte faciendo salvatur: ergo etc.

7. Item, quilibet obediens legi salvatur; sed quicumque in quacumque lege legi obedit, cui astringitur et cui obedire tenetur, quia obedit conscientiae, « quae est lex intellectus nostri », secundum Damascenum [6]: ergo salvatur. *Si dicas:* ve-

---

[1] Cap. 17. n. 5. [2] Cap. 25. n. 1.

[3] Cfr. Matth. 7, 21.

[4] *Interlinearis* ad Rom. 14, 23: *quod non est ex fide,* id est contra conscientiam.

[5] Innocent. III., *Litteras tuas* in Decretal. Gregor. IX. libr. II. tit. 13. c. 13; cfr. Bonav., II. pag. 907, nota 2. et III. pag. 845, nota 8.

[6] IV. de Fide orthod. c. 22.

rum est, si lex illa non sit contraria legi superiori; nam si contraria est, iniqua est; lex autem, quae est conscientia, in Saraceno est contraria legi aeternae: ideo iniqua est, nec ei obedire tenetur. *Contra:* Tamdiu tenetur quis obedire legi inferioris, quamdiu nescit nec constat sibi, quod sit legi superioris contraria; sed iste nescit, quod sit contraria legi Dei: ergo etc.

8. Item, sicut distinguit Anselmus de Veritate [1], duplex est veritas, scilicet *sermonis* et *operis*. Sed « qui asserit aliquod falsum, quod putat esse verum, non incurrit crimen mendacii », secundum Augustinum in Enchiridio [2]: ergo similiter qui facit aliquod malum, quod credit sive existimat bonum, non incurrit aliquod peccatum. Sed quilibet in secta sua credit bene facere: ergo nullus servando fidem vel legem suam peccat. Sed si non peccat, potest salvari: ergo etc.

9. Item, quicumque facit aliquod bonum, quod ipse tamen credit esse malum, peccat. Ergo a simili in contrario, quicumque facit aliquod malum, quod tamen credit esse bonum, meretur; sed quilibet in secta sua credit bene facere: ergo quilibet in secta sua meretur salutem.

10. Item, in quolibet statu vel secta potest quis damnari: ergo in quolibet statu vel secta potest quis salvari. *Probatio consequentiae:* « quandocumque aliqua opponuntur circa idem subiectum, si unum convenit inesse, et reliquum [3] ». Sed damnari et salvari sunt opposita circa idem subiectum: ergo in quocumque statu vel secta contingit damnari, contingit et salvari.

11. Item, dicit Christus [4] mulieri sanguifluae: *Fides tua te salvam fecit;* Glossa: « Sicut credidit, ita sibi factum fuit ». Sed fides illius mulieris fuit quaedem fides singularis: ergo quilibet in sua fide singulari potest obtinere salutem.

---

[1] Cap. 5.

[2] Cap. 18. n. 6: « Nemo sane mentiens iudicandus est, qui dicit falsum, quod putat verum, quoniam, quantum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur. Non itaque mendacii, sed aliquando temeritatis arguendus est, qui falsa incautius credita pro veris habet ».

[3] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Oppositis* et II. Topic. c. 3. (c. 7.).

[4] Matth. 9, 22, in quem locum Hieron.: « Nec dixit: fides tua te salvam factura est, sed *salvam te fecit;* in eo enim, quod credidisti, iam salva facta es »; ita etiam Glossa *interlinearis*.

12. Item, ex eo videtur quis [1] posse consequi salutem, in quo non potest cadere error vel deceptio; sed in nullius cognitione vel credulitate potest cadere error vel deceptio: ergo quilibet in sua cognitione et credulitate potest salvari. *Probatio minoris:* Philosophus I. Metaphysicorum [2] dicit: « Mirum est, quomodo potest a nobis aliquid evadere, cum in nobis sit certa rerum cognitio »: ergo etc.

13. Item, novum Testamentum est in veteri et vetus in novo sicut *rota in rota* [3], sicut Sancti dicunt, et praecipue Gregorius super Ezechielem; sed extra vetus Testamentum fuit et potuit esse salus, sicut dicit Augustinus [4] et manifestum est de Iob, et extra novum. Sed novum Testamentum est lex Christianorum: igitur lex Christianorum et fides, quae illi legi innititur, non est sola via salutis.

14. Item, quicumque potest pervenire ad illud quod est ad salutem necessarium et sufficiens, potest pervenire ad salutem; sed in alio statu vel in alia lege et fide quam in fide Christianorum potest quis pervenire ad ea quae ad salutem sunt necessaria et sufficiunt: ergo etc. *Probatio minoris:* duo sunt ad salutem acquirendam necessaria, scilicet *cognitio* et *actio* sive operatio virtutis. Sed philosophi pervenerunt ad perfectam cognitionem, ergo pari ratione ad perfectam virtutis operationem: igitur sine fide hac potuerunt pervenire ad salutem.

15. Item, manifestum est, quod Christus fidem non habuit, quoniam fides habet annexam imperfectionem, quae perfectioni Christi omnino repugnat; sed Christus perfectissimam habuit salutem: ergo sine fide potest esse salus: ergo fides non est necessaria ad salutem.

16. Item, Apostolus [5]: *Fides est substantia rerum sperandarum:* ergo pari passu currunt fides et spes; sed quilibet

---

[1] Verbum *quis* addidimus ex A; B legit *salus* pro *salutem*.

[2] Text. 49. (c. 9.), ubi impugnans ideas Platonis dicit secundum versionem arabico-latinam: « Si igitur scientia est in nostra natura, mirum est, quomodo evadet a nobis aliquid, cum in nobis est firmissima scientiarum ».

[3] Ezech. 1, 16: Rota in medio rotae. — Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 6. n. 12.

[4] Cfr. supra arg. 2. et infra solutio ad 2.

[5] Hebr. 11, 1.

in secta sua potest sperare quod est sperandum ad salutem: ergo quilibet per fidem suam potest credere quod est credendum ad salutem. Sed fides, qua creditur quod credendum est ad salutem, sufficit ad salutem: ergo etc. *Minor probatur* ex hoc, quia quilibet per observantiam legis suae sperat, se ad salutem pervenire: ergo etc.

17. Item, illa est via ad salutem, quam vir sapiens elegit [1]; sed philosophi fuerunt viri sapientes: ergo via, quam elegerunt, fuit via salutis. Sed non elegerunt viam fidei aut legis christianae: ergo etc.

18. Item, inditum est nobis a natura naturale iudicatorium, quod dirigit nos ad salutem, sicut dicit Augustinus III. de Libero Arbitrio [2]; sed quilibet in secta sua sequitur dictamen sui naturalis iudicatorii, circa quod non contingit error: ergo quilibet in secta sua potest salvari.

19. Item, Iudaei salvantur in lege sua: ergo non tantum est salus in lege christiana. *Probatio antecedentis:* quicumque damnatur, mutatur in statum deteriorem; sed Iudaei non sunt mutati [3] in statum deteriorem: ergo non sunt in statu damnationis, ergo sunt in statu salutis. *Probatio minoris:* mutari in statum deteriorem est sequi aliquid minus se; sed Iudaei sequuntur unum Deum, quem colunt: ergo non sequuntur aliquid minus se: ergo non sunt mutati in statum deteriorem: ergo etc.

20. Item, gentiles non damnantur: ergo salvantur; nullum enim medium est inter salutem et damnationem [4]. *Probatio antecedentis:* nullus damnatur nisi pro peccato; sed gentiles non habent peccatum: ergo etc. *Probatio minoris:* Dominus dicit [5] de Iudaeis: *Si non venissem et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent;* sed Dominus non venit ad gentiles, quia idem dicit [6]: *Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel:* ergo etc.

---

[1] Cfr. Prov. 2, 10. seqq.

[2] Cap. 20. n. 56, ubi pro *iudicatorium* legitur *iudicium;* cfr. S. Bonav., II. pag. 901, nota 2.

[3] Cod. B a secunda manu *transmutantur* pro *sunt mutati.*

[4] Cfr. supra arg. 4.

[5] Ioan. 15, 22.

[6] Matth. 15, 24.

Item, quod non sit salus in *fide christiana*, probatur, immo quod non sit *vera fides*, videtur:

21. Quoniam per familiaritatem deorum suorum quaelibet secta approbatur, sicut dicitur in Deuteronomio [1]: *Non est generatio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus adest cunctis obsecrationibus nostris;* sed secta Christianorum non habet familiaritatem illius Dei, quem colit: ergo non videtur, quod sit vera fides Christianorum.

22. Item, in Matthaeo [2] dicitur: *Qui recipit prophetam in nomine prophetae mercedem prophetae accipiet;* ibi Glossa: « Ideo dicitur *in nomine prophetae*, quoniam, etsi non sit propheta, sed pseudo, quem recipit, tamen, (si) *ut prophetam* recipit, non perdet mercedem suam ». Sed quilibet sectam habet sive legislatorem tanquam prophetam: ergo recipiendo et obtemperando legi percipit mercedem prophetae, ac si verum prophetam reciperet: ergo in qualibet secta potest esse salus.

Item, videtur, quod in *lege christiana* non sit salus:

23. In nulla lege potest esse salus, quae est contraria legi naturae; sed lex christiana est contraria legi naturae: ergo etc. *Probatio minoris:* lex naturae praecipit et dictat humanae speciei multiplicationem; sed lex christiana consulit et dictat castitatem, quae est multiplicationi speciei contraria: ergo etc.

24. Item, nulla est lex salutis, nec in ea salus est, qua destruitur et exterminatur respublica; sed lex christiana destruit et exterminat rempublicam: ergo etc. *Probatio minoris:* lex christiana praecipit, iniurias tolerari, sicut apparet in Matthaeo [3]: *Si quis*, inquit Christus, *te percusserit in una maxilla, praebe illi alteram; et qui aufert tunicam, pallium noli prohibere* etc. Sed « haec omnia reipublicae noscuntur et asseruntur esse contraria, quae rem suam mandat defendere, et depraedatoribus Romanae provinciae iure belli mala reponuntur ». Ita arguit Marcellinus contra Augustinum [4].

---

[1] Cap. 4, 7.

[2] Cap. 10, 41. — Glossa seq. est *ordinaria* (ex Hieron.), quae tamen fusius sententiam exhibet; cfr. etiam card. Hug. de S. Chiaro, Comment. in Matth. 10, 41.

[3] Cap. 5, 39. seq.

[4] Epist. 4. (nunc 136.) n. 2.

CONTRA:

1. Apostolus [1]: *Unus Deus, una fides, unum baptisma.* Quod autem haec sit *christiana fides,* in qua *salus sit,* dicit Petrus [2]: *Non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri:* ergo etc.

2. Item Habacuc [3]: *Iustus ex fide vivit,* et allegat Apostolus [4]; et Augustinus dicit, quod « fides est ipsa iustitia », vel pars iustitiae; sed iustitia est una et eadem: ergo et fides. *Probatio minoris* apparet per Augustinum de Vera Religione [5], ubi probat, quod eadem ratio iustitiae est in parvis et magnis sicut eadem ratio rectitudinis: ergo etc.

3. Item, videtur, quod ratio fidei, claudat veritatem, et veritas sit de ratione fidei; quod probatur sic: non est fides, nisi quae est vera; vera autem fides est, qua colitur Deus ut principium productivum, ut principium reparativum, ut principium beatificativum. Sed haec est solum fides christiana: ergo omnis alia fides, si quid contrarium sentit, vera fides non est.

4. Item, obiectum fidei est veritas, non quaecumque, sed aeterna, cui innititur; sed ab unitate unius obiecti formalis est habitus unus [6]: ergo sicut est una veritas, ita est una fides; aut si plures sunt, si una est vera, alia non est vera, ac per hoc nec fides.

5. Item, illa sola est vera fides, quae promittit verum bonum hominis; sed sola fides christiana promittit verum bonum hominis: ergo illa est sola vera fides. *Probatio minoris:* aliae fides promittunt corporales delicias, sicut lex Saracenorum,

---

[1] Eph. 4, 5.

[2] Act. 4, 12.

[3] Cap. 2, 4.

[4] Rom. 1, 17. — Sententia August. habetur Enarrat. in Ps. 32. enarrat. 2. n. 4: « Fides tua, iustitia tua »; et in Ps. 93. n. 29: « Non est alia iustitia hominis in hac vita nisi ex fide vivere »; cfr. Enarrat. in Ps. 109. n. 8: « Iustitia nostra ex fide est ».

[5] Cfr. c. 30. n. 56, ubi ostendit, aequalitatem et pulcritudinem ex ea resultantem esse aeque in maioribus ac minoribus rebus. Clarius tamen exhibetur ista sententia IV. de Doctr. christ. c. 18. n. 35. seq.

[6] Cfr. Aristot., I. Poster. c. 23. (c. 28.), ubi hoc docet de habitu, qui dicitur scientia; ibid. II. c. 3. dicit: « Unius enim *in quantum unum* est una scientia ».

quae non sunt hominis bona, quia bona vera hominis sunt intellectualia; sed fides christiana promittit Dei visionem et fruitionem, quae sunt propria hominis bona: ergo etc.

6. Item, secundum doctrinam Philosophi in Ethicis [1], sicut uno medio rectilineari sagitta venit ad signum, ita quod, quantumcumque modicum declinet, ad signum non pertingit, ita uno medio necesse est pervenire ad finem ultimum, quod est vera beatitudo. Sed via perveniendi ad veram beatitudinem est fides [2]: ergo necesse est, unam esse veram fidem.

7. Item, Augustinus, Hypognosticon, responsione tertia [3]: « Quicumque salvati sunt a principio mundi, per fidem unius Mediatoris salvi facti sunt »; sed ista est fides christiana: ergo etc.

8. Item, Boethius in principio libri de Trinitate [4] probat, hanc solum esse veram et catholicam fidem, sic: « Christianae religionis reverentiam plures usurpant; sed ea fides pollet maxime ac solitarie, quae tum propter universalium praecepta regularum, quibus eiusdem religionis intelligitur auctoritas, tum propterea quod eius cultus per omnes pene mundi terminos emanavit, catholica vel universalis vocatur ».

RESPONDEO:

Dicendum, quod circa istam quaestionem erraverunt aliqui, dicentes, quod nulla est lex, nulla est fides firma aut stabilis, sed in omni secta quidquid credatur, quomodocumque vivatur, potest obtineri salus, dummodo non abhorreat a consuetudine. Et isti ponunt, quod nihil est peccatum, nisi quod est contra consuetudinem. Sed dum indifferenter astruunt omnem legem, omnem legem destruunt. — Istius erroris di-

---

[1] l. c. 2: « Nonne igitur magnum ad vitam cognitio ipsius [finis ultimi] momentum affert? nam si quemadmodum sagittarii scopum habeamus, magis bonum et honestum assequi possumus ».

[2] Cfr. August., XIII. de Trin. c. 20. n. 25: « Necessaria est fides, ut beatitudinem consequamur ».

[3] Sive lib. III. c. 14. (inter opera August.): « Omnes Sancti Dei, qui ante adventum fuere incarnationis Domini nostri Iesu Christi, fide non alia, nisi quae nunc est, salvi facti sunt »; cfr. de Catechizandis Rudibus, c. 17. n. 28: « Ipsum antiqui Sancti venturum in revelatione Spiritus cognoverunt et prophetaverunt; et sic salvi facti sunt credendo, quia veniet, sicut nos salvi efficimur credendo, quia venit ».

[4] Cap. 1.

citur fuisse Fridericus [1], qui fuit imperator; qui omnes legislatores reputabat truffatores.

Iste error pessimus est et periculosissimus inter omnes errores, quia aperit viam peccatis, concedit licentiam malefaciendi et praecludit viam virtutibus, implicat contradictoria, dum ponit, idem esse virtutem et vitium, idem verum et falsum, nullum posse errare, nullum posse peccare; aufert divinum cultum, aut ponit, Deum vitiis et spurcitiis coli; quae omnia istum errorem absurdissimum reddunt.

Et ideo veritas sana dictat, et ratio recta confirmat, indubitanter asserendum, aliquam esse fidem et legem fixam et stabilem, quam non licet sine detrimento salutis transgredi, et illam dictat esse unam solam omnibus gentibus communem, ita quod in nulla alia salus est. — Istius autem ratio colligi potest ex quatuor:

Primo, ex *unitate ordinis principii ad finem.* Certum est enim, quod ab eodem principio ad eundem finem non est nisi una via recta, sicut ab eodem termino ad eundem terminum unus est motus. Sed certum est, quod creatura rationalis est a Deo sicut a principio et ad ipsum est tanquam ad finem, ut ostendit Augustinus de Vera Religione [2], dicens, quod « quaedam creaturae sunt a Deo, sed non ad Deum »; creatura autem rationalis est a Deo et ad Deum: a Deo sicut a principio, ad Deum tanquam ad finem, qui est *alpha et omega, principium et finis* [3]. Igitur una est tantum via. Sed via deveniendi non est nisi *fides,* et hoc secundum omnem sectam; in omni enim secta quilibet credit salvari in fide sua per observantiam legis suae. Ergo necesse est, esse unam tantum fidem, unam legem, per quam creatura rationalis, quae a Deo est, redit in Deum. — Huiusmodi exemplum est, quoniam ad eandem formam sive perfectionem eadem est dispositio ordinans et disponens ad illam formam seu perfectionem; omnis autem creatura rationalis ordinatur ad beatitudinem sive ad felicitatem sicut ad ultimam formam et complementum sive perfectionem: ergo eadem est dispositio ad illam

---

[1] Scilicet II. (1215 [1220]-1250).

[2] Cap. 44. n. 82.

[3] Apoc. 1, 8.

omnium creaturarum rationalium. Sed dispositio haec est fides cum observantia legis: ergo necesse est, omnium unam esse legem, unam fidem, in qua una et sola salus est.

Secunda ratio est ex *unitate humanae aegritudinis*. Constat enim, quod eiusdem aegritudinis sive eiusdem morbi, respicientis eandem naturam et ut eandem, eadem est medicina. Aegritudo autem et morbus spiritualis totius humanae naturae est peccatum originale contractum et traductum ex Adam. « Quia enim, ut dicit Augustinus XIII. de Civitate Dei [1], et Anselmus, tota natura in illo erat, et extra illum nihil erat », et « omnes eramus in illo, quando omnes eramus ille unus, qui per feminam lapsus est »; ideo tota natura in ipso fuit corrupta, et omnes, eo peccante, peccavimus: ergo omnium oportet esse unam medicinam. Sed universalis *via* animae liberandae non est nisi in religione illa, qua quaeritur et colitur medicus. Cum autem idem sit reparator qui conditor, sicut unus est conditor, ita unus est reparator et una medicina. Sed per *fidem* quaeritur et colitur medicus: ergo necesse est, esse unam fidem, unam religionem tanquam universalem viam animae liberandae. Qui autem negant peccatum originale peccata actualia negare non possunt, quoniam sunt omnino contra legem naturae. Sed peccata actualia sunt eadem apud omnes; eadem enim est superbia, eadem invidia, luxuria, et sic de ceteris. Omne autem « peccatum est praevaricatio legis [2] ». Sed eadem peccata non possunt esse nisi per transgressionem eiusdem legis.

Rursus, eiusdem morbi necesse est esse eandem medicinam: ergo sicut eadem sunt peccata et eaedem virtutes, ergo necesse est, esse unam tantum legem et unam religionem, in qua ab eodem medico eadem medicina virtutum adhibetur peccatis. De hac via dicit Porphyrius, ut recitat Augustinus X. de Civitate Dei [3], quod necesse est, esse aliquam sectam, « quae universalem viam animae liberandae contineat »; sed eam dicit

---

[1] Cap. 14, ex quo secundus locus. — Anselm., de Conceptu virginali et originali peccato, c. 2. et 10, ubi primus locus.

[2] Secundum Rom. 4, 15. et 2, 23; Ambros., de Paradiso, c. 8. n. 39, et August., Enarrat. in Ps. 100. n. 5; in Ps. 118. serm. 25. n. 1. ac Epist. 157. (alias 89.) c. 3. n. 15.

[3] Cap. ultimo (scil. 32.) n. 1, in quo textu A contra edit. addit *vel universitatis* post *universalem*.

« nondum inventam nec ab Indis nec a Chaldaeis nec a quibuscumque aliis philosophis ».

Tertia ratio sumitur ex *unitate spiritualis* seu *divinae reipublicae*. Quemadmodum enim unus est conditor, unus est administrator universitatis, ita oportet, unam esse rempublicam sive unum populum, quemadmodum unum est imperium, unum regnum, una civitas. Sed unius reipublicae, unius populi, quia « respublica idem est quod res populi », ut dicit Augustinus [1], necesse est esse unam legem et unam fidem, per quam eius reipublicae vel populi est salus: ergo necesse est, unam esse tantum legem, unam fidem, in qua est salus. Ut enim dicit Augustinus II. et XIX. de Civitate Dei, « populus est coetus multitudinis iuris consensu et utilitatis communione sociatus », « quae sine iustitia esse non potest », ut idem probat [2].

Quarta ratio sumitur ex *ipsa virtute unitatis:* quoniam, ut dicit Augustinus de Vera Religione [3], « unum est quidquid est, ad cuius similitudinem quidquid nititur naturaliter approbamus, quia naturaliter improbamus quidquid ab unitate discedit »; et, ut dicit ibidem, « multitudo non est potens nisi virtute unitatis ». Ergo in multitudine salvandorum necesse est esse unitatem; sed diversitas legis et fidei facit divisionem et schismata: ergo multitudinem salvandorum necesse est uniri una fide et lege, alias esset schisma et divisio et repugnantia, quae maxime contraria est saluti, et, ut dicit Augustinus [4], « salus multitudinis est concordia et pax », cuius signum est, quoniam omnis secta suam legem defendit et aliam legem persequitur. Et hoc ipsum est argumentum unitatis fidei, quoniam hoc ipso, quod omnis secta sectam aliam et legem seu fidem

---

[1] Epist. 138. (alias 5.) c. 2. n. 10. et locis paulo inferius allegatis, scil. II. de Civ. Dei, c. 21. n. 1. 2. et XIX. c. 21. n. 1.

[2] Scil. utroque loco nota 1. cit. et etiam XIX. c. 23. n. 5. ac 24.

[3] Cap. 36. n. 66, qui textus in codd. exhibetur valde corruptus. — Sequens sententia insinuatur loc. cit. c. 25. n. 46: « Certe ab uno incipit numerus. Prius ergo isti sequendi sunt, qui unum Deum summum solum verum Deum et solum colendum esse dicunt. Si apud hos veritas non eluxerit, tum demum migrandum est. Sicut enim in ipsa rerum natura maior est auctoritas unius ad unum omnia redigentis, nec in genere humano multitudinis ulla potentia est nisi consentientis, id est unum sentientis; ita in religione qui ad unum vocant eorum maior et fide dignior esse debet auctoritas ».

[4] XIX. de Civ. Dei, c. 24. et 17; cfr. etiam I. c. 30.

persequitur, indicat, unam debere esse, in qua salus est; non enim aliam persequitur, nisi quia suam credit esse viam salutis et omnem aliam existimat saluti contrariam; ac per hoc unam debere esse fidem, unam legem, in qua est salus, videtur esse communis conceptio animorum. — Et hoc colligitur ex *unitate ordinis*, ex *unitate aegritudinis*, ex *unitate reipublicae* sive universitatis, ex *ipsa virtute unitatis*.

Quae autem sit ista *universalis via salutis*, quae *religio* eam continens, quae *fides*, quae *lex;* dico, quod fides christiana et religio est una et sola via salutis omnibus gentibus communis. Et quia, ut dicit Augustinus X. de Civitate Dei [1], haec via non potuit ratione a philosophis inveniri; necesse est, esse « aliquam praestantissimam auctoritatem, quam in re tanta sequi oportet ». Haec autem *auctoritas* non est nisi *divina*, eo quod ista via non nisi divinitus est inventa et inspirata, ex magna misericordia et gratia concessa [2].

Istius autem *fidei* sive auctoritatis veritas, cui fides innititur christiana, *fulcitur septem testimoniis* seu signis, quibus manifestatur *divinitus tradita*. Primum est *honestas praeceptorum*, secundum est *sanctitas exemplorum*, tertium est *veritas oraculorum*, quartum est *sublimitas miraculorum*, quintum est *stabilitas martyriorum*, sextum est *connexio temporum* et *correspondentia figurarum*, septimum est *mirabilis multiplicatio populorum* [3].

Primum igitur signum ad istius veritatis fidei et auctoritatis confirmationem est *honestas praeceptorum*, quae in nulla alia religione, nulla secta tradita inveniuntur. In hac enim religione praecipitur unus Deus coli, uni soli Deo obediri, ipsum imitari, quo fiunt animae sapientes; praecipitur *proximus* diligi; praecipitur a mundo averti, ad Deum converti; praecipitur innocentia et beneficentia, patientia; prohibentur vitia et peccata, ut avaritia, luxuria. Quae in nulla alia secta inveniuntur; aut enim praecipiuntur coli plures dii, et (tunc) non tam Creatorem quam creaturam colunt, nulla contra avaritiam aut

---

[1] Cap. ultimo (scil. 32.) n. 1.

[2] Ut explicat diffuse August., X. de Civ. Dei, c. 32. n. 2.

[3] Cfr. Bonav., V. Collat. in Hexaëm. collat. 9. et IX. Sermo de Trinitate (pag. 351) in fine.

contra luxuriam dantur praecepta. Si igitur via salutis est sola, in qua vitia vitantur, unus Deus colitur, anima a mundo avertitur et ad unum Deum colendum et diligendum convertitur, servat innocentiam, proximo beneficentiam impendit, temporalia mala patienter et fortiter tolerantur; manifestum est, unam et solam viam salutis esse *fidem ac religionem christianam*. — Haec est ratio Augustini II. de Civitate Dei [1], ubi ostendit, universalia praecepta esse data omni sexui, omni statui, omni aetati contra vitia et ad capessendas virtutes in sola religione christiana. Hoc inductive ostendit in libro de Vera Religione [2]: « Si ad Deum percipiendum, diligendum, fruendum ut anima sanetur et tantae luci hauriendae mentis acies convalescat, dicitur avaris [3]: *Nolite vobis condere thesauros in terra, ubi tinea et aerugo exterminant, et ubi fures effodiunt et furantur, sed thesaurizate vobis thesauros in caelo, ubi neque tinea neque rubigo exterminant, neque fures effodiunt neque furantur; ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum;* dicitur luxuriosis: *Qui seminat in carne de carne metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu de spiritu metet vitam aeternam;* dicitur superbis: *Qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur;* dicitur iracundis: Accepisti alapam, *praebe alteram maxillam;* dicitur discordiosis [4]: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderint;* dicitur superstitiosis: *Regnum Dei intra vos est;* dicitur curiosis: Nolite quaerere *quae videntur, sed quae non videntur; quae enim videntur temporalia sunt, quae autem non videntur aeterna sunt:* postremo dicitur omnibus: *Nolite diligere mundum neque ea quae in mundo sunt* » etc.

Secundum signum ad istius fidei certitudinem est *sanctitas exemplorum*, quae in nulla alia secta inveniuntur. Quae quidem exempla eximiae sanctitatis principaliter et praecipue inveniuntur in *Christo*, qui fuit totius sanctitatis exemplum in homine, quem assumsit. Et hoc congruentissimum fuit nec ali-

---

[1] Cap. 19.

[2] Cap. 3. n. 4.

[3] Matth. 6, 19. 21; cfr. Luc. 12, 33. et I. Tim. 6, 19. — Sequuntur Gal. 6, 8; Luc. 14, 11; 18, 14. et 6, 29.

[4] Matth. 5, 44. (Luc. 6, 27.). — Tres seqq. loci sunt Luc. 17, 21; II. Cor. 4, 18. et I. Ioan. 2, 15.

ter esse decuit, ut « ipse, qui erat *principium et finis*, fieret nobis via », ut dicit Augustinus IV. et VII. de Trinitate [1] et de Vera Religione [2], ubi ostendit, in Christo fulsisse exemplum omnium virtutum, adeo « ut nullum sit peccatum nisi appetere quae ipse contempsit et contemnere quae ipse appetiit. Tota enim vita sua super terram disciplina morum fuit ». Et de Agone christiano [3] ostendit, ipsum esse universalem medicinam, dicens: « Itaque Filius Dei hominem assumsit et in eo humana perpessus est. Haec medicina hominum tanta est, quanta non potest cogitari. Quae enim superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei non sanatur? Quae avaritia sanari potest, si paupertate Filii Dei non sanatur? Quae iracundia sanari potest, si patientia Filii Dei non sanatur? Quae impietas sanari potest, si caritate Filii Dei non sanatur? Quae timiditas sanari potest, si resurrectione corporis non [4] sanatur »? et post: « O medicinam omnibus consulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia perdita reparantem, omnia superflua resecantem, omnia necessaria custodientem, omnia depravata corrigentem »! — Secundario inveniuntur exempla sanctitatis in *Apostolis*, primis praedicatoribus istius religionis. Quanta viguerunt humilitate, paupertate, patientia, longanimitate, benignitate, longum esset omnes auctoritates colligere. His tamen « initiis [5] insignibus incanduit fides nostra », ut dicit Augustinus XVIII. de Civitate Dei [6]. Quanta postmodum perfectio virtutum et morum fuit in Apostolorum *successoribus*, quod historiae tradunt, longum esset hic inserere. Sed in *aliis sectis* et legibus tam primorum quam successorum nulla sanctitatis inveniuntur exempla, sed totius *carnalitatis* et *vanitatis;* quod manifestum est in Mahomet, institutore sectae Saracenorum, qui fuit immundissimus et omni plenus foeditate.

---

[1] Cfr. IV. de Trin. c. 18. n. 24. (l. c. 12. n. 24.) et VII. c. 3. n. 5. — Paulo superius respicitur Apoc. 1, 8.

[2] Cap. 16. n. 31. et 32.

[3] Cap. 11. n. 12.

[4] Ita codd.; in edit. vero verba *Christi Domini* leguntur ante *non*, in nota tamen dicitur: Editi Parv. Am. Er. et Mss. omittunt *Christi Domini*, pro quo solum unus cod. habet *Filii Dei*.

[5] A *notis*.

[6] Cap. 54. n. 1.

Plato, nobilissimus philosophorum, cum diu continuisset, « usque adeo perversam suorum temporum timuit opinionem, ut perhibeatur sacrificasse naturae, naturam exsecratus, ut tanquam peccatum illud aboleretur », ut dicit Augustinus de Vera Religione [1]. Si igitur, ut dicit Augustinus de Agone christiano [2], « errat quisquis putat, veritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivit; nequitia autem est mundum diligere et ea quae in isto mundo sunt concupiscere et pro magno habere; talis vita sincerissimam veritatem videre non potest ». Igitur *vera fides* atque [3] notitia veritatis non est nisi in ea religione, ubi reperiuntur exempla sanctitatis et perfectionis vitae: ergo religio continens veram fidem est sola religio christiana.

Tertium signum est *veritas oraculorum*. Haec enim *religio christiana* ante multa tempora prophetata est; multa praedicta sunt de adventu Christi, passione, morte et resurrectione, de vocatione gentium, reprobatione Iudaeorum, de multiplicatione Ecclesiae iam per totum orbem diffusae, prout sub quodam compendio comprehendit Augustinus XVIII. de Civitate Dei [4] in multis capitulis; et « per ea quae videmus iam impleta, credimus et indubitanter speramus ea quae non videmus, implenda », ut idem dicit X. de Civitate Dei in fine [5] et XVIII,

---

[1] Cap. 3. n. 5.

[2] Cap. 13. n. 14: « Fides est prima, quae subiugat animam Deo, deinde praecepta vivendi, quibus custoditis, spes nostra firmatur, et nutritur caritas, et lucere incipit quod antea tantummodo credebatur. Cum enim cognitio et actio bonum hominem faciant; sicut in cognitione cavendus est error, sic in actione cavenda est nequitia. Errat autem quisquis mundum diligere et ea quae nascuntur et transeunt pro magno habere et ea concupiscere et pro his laborare, ut acquirantur; et laetari, cum abundarent; et timere, ne pereant; et contristari, cum pereunt. Talis vita non potest puram illam et sinceram et incommutabilem videre veritatem et inhaerere illi et in aeternum iam non moveri ».

[3] B perperam addit *religio*.

[4] A c. 27. usque ad c. 36.

[5] Cap. 32. n. 3: « Quorum (scil. praedictorum et promissorum) tam multa impleta conspicimus, ut recta pietate futura esse cetera confidamus »; et XVIII. c. 40, ubi s. Doctor vanitatem Aegyptiorum, quae antiquitati scientiae suae centum millia ascribit annorum, refellens ait: « Cui enim melius narranti praeterita credimus quam qui etiam futura praedixit, quae praesentia iam videmus »? — Sequitur Gregor., I. Homil. in Evang. hom. 1. n. 1: « Sequentium rerum certitudo est praeteritarum exhibitio ».

et Gregorius, homilia prima super Evangelia: « Praeteritorum exhibitio est futurorum certitudo ». Praedicta sunt autem non solum a Prophetis sanctis, sed etiam ab aliis, sicut de Sibylla Erythraea recitat Augustinus XVIII. de Civitate Dei [1], et adeo certitudinaliter, ut de futuris tanquam de praeteritis loquerentur, sicut apparet communiter in Scripturis Prophetarum et praecipue in Psalmis. Si ergo futura et quae nullam causam naturalem habere possunt, certitudinaliter praedicere non est nisi per eum, in cuius praescientia omnia sunt praesentia et omnia sunt disposita: ergo manifestum est, istam Scripturam esse a Deo revelatam et inspiratam, et religionem, quae huic auctoritati innititur, esse a Deo institutam et quae in ea praedicta sunt, esse a Deo ordinata. — In nullis aliis sectis talia oracula tam infallibilia et de talibus inveniri possunt. Possunt *praedicere* naturales effectus et qui habent causas naturales; possunt et *coniecturare* aliqua de voluntatibus hominum; ex quibusdam signis nobis occultis, daemonibus manifestis possunt *praedicere daemones* et ea revelare, quae ipsi facturi sunt; *futura* autem *contingentia* et quae dependent a voluntatibus hominum maxime, non possunt de propinquo coniecturare; ea autem, quae immediate dependent a divina voluntate, non possunt aliquo modo cognoscere. Nulla igitur alia secta adeo certa est sicut religio christiana, quae innititur divinae inspirationi et revelationi.

**Quartum signum** est *constantia* sive *patientia Martyrum*, qui huic fidei, huic religioni testimonium praebuerunt, subscripserunt sanguine et morte iuraverunt, et cum persecutores, se istum cultum, istam religionem occisione Martyrum putarent exstinguere, ipsam mirabiliter ampliarunt et, ut dicit Augustinus XXII. de Civitate Dei [2], « ligabantur, includebantur, caedebantur, verberabantur, torquebantur, laniabantur, tradebantur, et multiplicabantur ». — Nulla autem *alia secta* tales testes habuit; nam *philosophi*, qui veritatem cognoscebant, pro veritate mori aut pati non audebant, immo timore et metu humano veritatem, quam sentiebant, non audebant publice con-

---

[1] Cap. 23. n. 2.

[2] Cap. 6. n. 1. in fine, in quo textu edit. habet *trucidabantur* pro *tradebantur*.

fiteri; immo, ut dicit Augustinus in principio de Vera Religione [1], aliud docebant in scholis, aliud agebant in theatris; et, ut ibidem dicit et IV. de Civitate Dei, cum enim scirent, non esse sacrificandum creaturae, sed Creatori, omnes tamen fuerunt idololatrae. — Si igitur pro ista religione, pro ista fide Sancti vitam contemnebant et audacter moriebantur, et moriendo iste cultus, haec religio crevit et amplificata est, quod in nulla alia secta contingit — nam si quando pro illa mortui sunt, sicut moriuntur haeretici, tamen moriendo diminuti sunt, non creverunt — manifestum videtur esse signum et indicium, quod haec est sola religio, in qua salus est animarum.

Quintum signum est *sublimitas miraculorum*. Quanta miracula facta sunt in veteri Testamento per Prophetas et per sanctos Patres, per Moysèn, Iosue, Eliam, Eliseum; quanta in novo Testamento per ipsum Dominum, per Apostolos et alios Sanctos, dum in carne viverent; quanta post mortem et in morte per sanctos Martyres et Confessores, quae non nisi divinitus fieri potuerunt, ut mortui suscitati, leprosi mundati, caeci illuminati, transmutata elementa; quae in nulla alia secta facta sunt. Si quando enim miracula visa sunt fieri per infideles, aut ad invocationem nominis christiani, aut si per aliam virtutem, Deo permittente, vel non nisi tantum superficietenus transmutatio facta est in natura; aut si vera facta, non nisi

---

[1] Cap. 1. n. 1: « Cum omnis vitae bonae ac beatae via in vera religione sit constituta, qua unus Deus colitur et purgatissima pietate cognoscitur principium naturarum omnium, a quo universitas et inchoatur et perficitur et continetur; hinc evidentius error deprehenditur eorum populorum, qui multos deos colere quam unum verum Deum et Dominum omnium maluerunt, quod eorum sapientes, quos philosophos vocant, scholas habebant dissentientes et templa communia. Non enim vel populos vel sacerdotes latebat, de ipsorum deorum natura quam diversa sentirent, cum suam quisque opinionem publice profiteri non formidaret atque omnibus, si posset, persuadere moliretur, omnes tamen cum sectatoribus suis diversa et adversa sentientibus ad sacra communia, nullo prohibente, veniebant. Illud certe satis apparet, aliud eos in religione suscepisse cum populo et aliud, eodem ipso populo audiente, defendisse privatim »; et c. 5. n. 8: « Illud cuivis intelligere facile est, religionem ab eis (scil. philosophis) non esse quaerendam, qui eadem sacra suscipiebant cum populis et de suorum deorum natura ac summo bono diversas contrariasque sententias in scholis suis, eadem teste multitudine, personabant ». — Sequens sententia insinuatur locc. citt. et c. 2. n. 2. ac IV. de Civ. Dei, c. 31. n. 1.

eorum effectuum, qui habent causas et semina [1] in natura, in quibus non ipsi factores sunt, sed adminiculatores naturae, sicut agricolae, ut quod natura longo tempore produceret, celerius producatur, ut dicit Augustinus III. de Trinitate [2] in multis locis. Ergo ista sola est religio a Deo instituta, a Deo confirmata, ac per hoc non nisi in ista est vera animarum salus. — Istud tangit Augustinus de Vera Religione [3], ubi dicit, quod « miraculis conciliavit auctoritatem »; et de Utilitate credendi: « Quid aliud agunt tanta et tam multa miracula, ipso [4] etiam dicente, illa fieri non ob aliud, nisi ut sibi crederetur »? et post: « Miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide attraxit [5] multitudinem, multitudine obtinuit vetustatem, vetustate roboravit religionem, quam non solum haereticorum impiissima vanitas fraudibus agens, sed nec gentium quidem ventuosus error adversans aliqua ex parte convelleret ».

Sextum signum est « *ordo, decursus et connexio temporum* a principio mundi usque ad ista tempora, praeteritis fidem de praesentibus faciens, priora posterioribus et recentioribus antiqua confirmans. Eligitur unus [6] de populo ex gente Chaldaeorum, pietate fidelissima praeditus, cui promissa divina post tanta tempora complenda prodantur, et in eius semine omnes gentes benedictionem habiturae praenuntiantur. Hic unum Deum verum colens universitatis Creatorem, gignit miraculose filium senex de coniuge sterili et tam aetate quam sterilitate spe pariendi destituta [7]. Propagatur ex eo innume-

---

[1] Ita habebat probabiliter cum Augustino (qui etiam semina *rationes seminales* vocat) B primitus; a manu vero altera loco istius verbi expuncti ad marginem scriptum est *seminaria,* pro quo A, ut videtur, legit *seminalia.*

[2] Cap. 8. n. 13. seqq. — Cfr. Bonav., II. Sent. d. 18. a. 1. q. 2. seq. (d. 7. p. II. a. 2. q. 1.) et V. pag. 324, n. 20.

[3] Cap. 16. n. 31: « Miraculis conciliavit fidem Deo, qui erat, passione homini, quem gerebat ». — Sequitur de Utilitate credendi, c. 14. n. 32.

[4] Nempe Christo; cfr. Ioan. 10, 38. et 20, 30. seq.

[5] A *traxit,* edit. *contraxit,* quae dein legit *ineptissima novitas* (quod verbum etiam B primitus exhibebat) pro *impiissima vanitas* et *veternosus* (idem est ac vetus) loco *ventuosus* (i. e. inanis).

[6] Scil. Abram, cfr. Gen. 12, 2. Textus edit. *tantam saeculorum seriem novissimis temporibus* pro *tanta tempora.*

[7] Respicitur Gen. 21, 2. (cfr. etiam Gal. 4, 23. et Hebr. 11, 11.); pro *innumerus* edit. habet *numerosissimus.*

rus populus, in Aegypto multiplicatus, quo illam stirpem ex orientalibus partibus, promissis effectisque crebrescens dispositio divina transmiserat. Educitur [1] de Aegyptiaca servitute multis signis et prodigiis gens valida, et pulsis de terra promissionis impiis gentibus, in eadem constituitur, regno sublimatur. Demum invalescente peccato, Deum, qui tanta eis beneficia contulerat, saepissime offendens, variis afflicta cladibus et prosperitatibus consolata usque ad Christi incarnationem producitur; quem Christum, Dei Verbum, Dei Filium, Deum in carne venturum, moriturum, resurrecturum, in caelum ascensurum, praepollentissimo suo nomine dicatos sibi populos de omnibus gentibus habiturum, atque in illo peccatorum remissionem salutemque aeternam futuram credentibus, omnia gentis illius promissa, omnes prophetiae, sacerdotia, sacrificia, templum et cuncta omnino Sacramenta sonuerunt. — Venit et Christus [2], complentur in eius ortu, vita, factis, dictis, passionibus, morte, resurrectione, ascensione omnia praeconia Prophetarum; mittit Spiritum sanctum, implet fideles una in domo congregatos et hoc ipsum promissum orando et desiderando exspectantes; Spiritu sancto repleti [3], omnibus linguis repente loquuntur, arguunt errantes, praedicant saluberrimam veritatem, exhortantur ad poenitentiam culpabilis vitae, divinam gratiam ac indulgentiam pollicentur; praedicationem pietatis veraeque religionis signa congruentia et miracula consequuntur [4];

---

[1] Cfr. Exod. 13, 18. Pro *multis signis et prodigiis* edit. *horrendis signis atque miraculis* et *praevalescente* loco *invalescente*.

[2] Cfr. Matth. 1, 25.

[3] Cfr. Act. 2, 2. Pro *omnibus linguis* edit. *linguis omnium gentium* et *fidenter errores* pro *errantes*.

[4] Edit. continuat: « Excitatur adversus eos saeva infidelitas, tolerant praedicta, sperant promissa, docent praecepta. Numero exigui per mundum disseminantur, populos facilitate mirabili convertunt, inter inimicos augentur, persecutionibus crescunt, per afflictionum angustias usque in terrarum extrema dilatantur. Ex imperitissimis, ex abiectissimis, ex paucissimis » etc. usque ad *convertunt* (quae verba postea pag. 95, nota 2. leguntur), post quod edit. pergit: « Alternis adversitatibus et prosperitatibus rerum patientiam et temperantiam vigilanter exercent; mundo declinante in extrema fessisque rebus aetatem ultimam protestante, multo fidentius, quia et hoc praedictum est, aeternam civitatis caelestis felicitatem exspectant. Atque inter haec omnia contra Ecclesiam Christi impiarum gentium infidelitas fremit; evincit illa patiendo et inconcussam fidem inter obsistentium saevitiam profitendo. Revelatae » etc.

inter persecutiones crescit Ecclesia et inter angustias mirabiliter dilatatur. Revelatae veritatis, quae diu promissis mysticis velabatur, sacrificio succedente, illa sacrificia, quibus hoc figurabatur [1], templi ipsius eversione tolluntur; reproba per infidelitatem gens ipsa Iudaeorum a sedibus suis exstirpata per mundum usquequaque dispergitur, ut ubique portet libros sanctos, ex quibus testimonium, quo Christus et Ecclesia praenuntiata est, ab ipsis adversariis proferatur, ne ad tempus a Christianis confictum existimaretur, in quibus etiam praedictum est, eos non fuisse credituros. Templa et simulacra daemonum ritusque sacrilegi paulatim atque alternatim secundum scripta prophetica subvertuntur. Haereses adversus nomen Christi sub eiusdem nominis velamento ad exercendam doctrinam sanctae religionis, sicut praenuntiatae sunt, pullulant. Haec omnia, sicut leguntur praedicta, ita cernuntur impleta atque, ut saepe dictum est, ex his iam tot et tantis, quae restant, exspectantur implenda. Quem igitur ista non moveant ad credendum »? Haec Augustinus in epistola III. ad Volusianum [2]. — Quodsi talia in aliis sectis nullo modo reperiuntur, hanc constat esse solam, in qua salus est animarum.

Septimum signum est *mirabilis multiplicatio credentium populorum.* Mira enim sunt quae proponebantur credenda et incredibilia videbantur, sed maius est incredibile, rem incredibilem mundum credidisse. « Si enim [3] credibile fuit, Chri-

---

[1] Ita edit., codd. perperam *haec figurabantur;* deinde edit. *codices sanctos ac sic prophetiae testimonium, qua* pro *libros sanctos, ex quibus testimonium* et *a nobis fictum* loco *a Christianis confictum* ac *praedicta* pro *scripta.*

[2] Nunc 137. c. 4. n. 15. seq.

[3] Cfr. August., XXII. de Civ. Dei, c. 5, ubi inter alia verba sequentia leguntur: « Sed hoc (scilicet terrena hominum corpora ad caeleste habitaculum non posse transferri, sicut putabant sapientes quidam mundi) incredibile fuerit aliquando; ecce, iam credidit mundus, sublatum terrenum Christi corpus in caelum; resurrectionem carnis et ascensionem in supernas sedes, paucissimis remanentibus atque stupentibus vel doctis, vel indoctis, iam crediderunt et docti et indocti. Si rem credibilem crediderunt, videant, quam sint stolidi qui non credunt; si autem res incredibilis credita est, etiam hoc utique incredibile est, sic creditum esse quod incredibile est. Haec igitur duo incredibilia, resurrectionem scilicet nostri corporis in aeternum et rem tam incredibilem mundum esse creditum, idem Deus, antequam vel unum horum fieret, ambo futura esse praedixit (cfr. Matth. 26, 13.). Unum duorum incredibilium iam factum videmus, ut

stum natum, passum etc., stolidi sunt qui non credunt; si autem incredibile fuit, et res incredibilis credita est, cum ista duo incredibilia sint ante praedicta, cum unum duorum incredibilium iam factum esse videmus, quare aliud, quod fiendum narratur, non credimus, et reliqua, quae sperantur implenda? Sed si et res incredibilis est credita, multo est incredibilior modus credendi. Ineruditi enim liberalibus disciplinis et quantum ad istas doctrinas impoliti, non periti grammatica, non armati dialectica, non rhetorica inflati, piscatores paucissimi a Christo cum retibus fidei ad mare huius saeculi missi sunt atque ita et ex omni genere tam multos pisces et tanto mirabiliores quanto rariores, ipsos etiam mundi philosophos ceperunt ». Haec Augustinus XXII. de Civitate Dei [1]. Et, ut idem dicit ad Volusianum [2], « ex imperitissimis, abiectissimis, paucissimis illuminantur, nobilitantur, multiplicantur praeclarissima ingenia; cultissima eloquia mirabilesque peritias acutorum, facundorum atque doctorum subiugant Christo et ad praedicandum viam pietatis salutisque convertunt ». « Si [3]

---

quod erat incredibile, crederet mundus; cur id quod reliquum est desperatur, ut etiam hoc veniat, quod incredibile credidit mundus, sicut iam venit quod similiter incredibile fuit, ut rem tam incredibilem crederet mundus, quando quidem hoc utrumque incredibile, quorum videmus unum, alterum credimus, in eisdem litteris praedictum sit, per quas credidit mundus? Et ipse modus, quo mundus credidit, si consideretur, incredibilior invenitur. Ineruditos liberalibus disciplinis, et omnino quantum ad istorum doctrinas attinet impolitos, non peritos grammatica, non armatos dialectica, non rhetorica inflatos piscatores Christus cum retibus fidei » etc. Cfr. supra pag. 29, nota 7.

[1] Loc. cit. [2] Epist. 137. (alias 3.) c. 4. n. 16, cfr. supra pag. 94, nota 2.

[3] Edit. post verbum *ceperunt* (hic linea 13.) sic pergit: « Duobus illis incredibilibus, si placet, immo quia placere debet, addamus hoc tertium. Iam ergo tria sunt incredibilia, quae tamen facta sunt. Incredibile est, Christum resurrexisse in carne et in caelum ascendisse cum carne; incredibile est, mundum rem tam incredibilem credidisse; incredibile est, homines ignobiles, infimos, paucissimos, imperitos rem tam incredibilem tam efficaciter mundo et in illo etiam doctis persuadere potuisse. Horum trium incredibilium primum nolunt isti, cum quibus agimus, credere; secundum coguntur et cernere; quod non inveniunt, unde sit factum, si non credunt tertium. Resurrectio certe Christi et in caelum cum carne in qua resurrexit ascensio, toto iam mundo praedicatur et creditur; si credibilis non est, unde toto terrarum orbe iam credita est? Si multi nobiles, sublimes, docti eam se vidisse dixerunt et quod viderunt diffamare curarunt, eis mundum credidisse, non mirum est; sed istos adhuc credere nolle perdurum est. Si autem, ut verum est, paucis, obscuris, minimis, indoctis eam se vidisse dicentibus et scribentibus, credidit mundus, cur

hoc credibile non sit, quomodo creditum et quomodo per tales creditum est? Si enim multi nobiles, sublimes, docti se vidisse dixissent et quod vidissent diffamare curassent, eis mundum credidisse, non esset mirum; cum paucissimis, incertissimis, abiectissimis, se vidisse dicentibus et scribentibus, credidit mundus, cur pauci, qui remanserunt, nec iam ipsi mundo credenti credunt? Ideo autem mundus credidit, quia in tam contemptibilibus testibus multo mirabilius Divinitas se ipsa persuasit [1] ». « Elegit enim discipulos, quos et Apostolos nominavit, humiliter natos, inhonoratos, illitteratos, ut quidquid in eis magnum esset et facerent, ipse in eis esset et faceret ». « Unde mira fuerunt eloquia, mira facta; ea enim, quae praedicabant et se vidisse narrabant, illi qui non viderant credebant non propter verba, sed propter facta mirifica. Homines enim, quos unius vel duarum linguarum fuisse noverant, repente linguis omnium gentium loquentes mirabiliter audiebant. Alia etiam signa stupenda in Christi nomine faciebant [2] »; quae

---

pauci obstinatissimi, qui remanserunt, ipsi mundo iam credenti adhuc usque non credunt? Qui propterea numero exiguo ignobilium, infirmorum, imperitorum hominum credidit, quia in tam contemptibilibus testibus multo mirabilius Divinitas in se ipsa persuasit. Eloquia namque persuadentium, quae dicebant: mira fuerunt facta, non verba. Qui enim Christum in carne resurrexisse et cum illa in caelum ascendisse non viderant, id se vidisse narrantibus, non loquentibus tantum, sed etiam mirifica facientibus signa credebant. Homines quippe, quos unius vel ut multum, duarum linguarum fuisse noverant (Act. 2.), repente linguis omnium gentium loquentes mirabiliter audiebant. Claudum ab uberibus matris ad eorum verbum in Christi nomine post quadraginta annos incolumen constitisse; sudaria de corporibus eorum ablata sanandis profuisse languentibus; in via qua fuerant transituri positos in ordine innumerabiles morbis variis laborantes, ut ambulantium super eos umbra transiret (cfr. Act. 3. et 4.), continuo salutem solere recipere; et alia multa stupenda in Christi nomine per eos facta, postremo etiam mortuos resurrexisse cernebant. Quae si, ut leguntur, gesta esse concedunt, ecce, tot incredibilia tribus illis incredibilibus addimus; et ut credatur unum incredibile, quod de carnis resurrectione atque in caelum ascensione dicitur, multorum incredibilium testimonia tanta congerimus, et nondum ad credendum horrenda duritia incredulos flectimus. Si vero per Apostolos Christi, ut eis crederetur, resurrectionem atque ascensionem praedicantibus Christi, etiam ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod eam terrarum orbis sine ullis miraculis credidit ».

[1] August., XXII. de Civ. Dei, c. 5. — Seq. locus est ibid. XVIII. c. 49, in in quo textu respiciuntur Matth. 4, 17. et Luc. 6, 14.

[2] August., XXII. de Civ. Dei, c. 5.

omnia sectam et religionem istam mirabiliter a Deo conditam et confirmatam populosque mirabiliter conversos ostendunt.

Est et aliud mirabile [1], quod in aliis sectis amor fecit fidem; quia enim Roma Romulum amavit, ideo deum credidit; sed in hac fides facit amorem. *Ulterius* [2], in aliis sectis coacti credebant, in hac autem coacti non credere credunt. Quis enim prohibitus non credere, Romulum esse deum, deum [3] ipsum confessus est? Ac per hoc in terrena civitate fides et salus non simul stant, ut teneri alterum sine alterius amissione non possit; sed in divina civitate ad salutem non nisi per fidem pervenitur [4]. Est igitur haec sola religio salutaris et vera fides, in quam qui non credit, iam mundo credente, maius est ipse prodigium.

His septem signis velut septem columnis firmissimis nititur fides nostra, praeceptis scilicet honestatis, exemplis perfectae sanctitatis, oraculis veritatis, miraculis potestatis, martyriis Sanctorum, ordini et connexioni temporum et mirabili conversioni seu multiplicationi per totum orbem credentium populorum. Propterea Richardus de sancto Victore I. de Trinitate [5]: « Sunt, inquit, Patribus caelitus revelata et tam multis quam magnis, tam miris signis vel prodigiis divinitus confirmata, ut genus videatur esse dementiae in his vel aliquantulum dubitare. Innumera itaque et talia, quae non nisi divinitus fieri possunt, in huiusmodi nobis fidem faciunt et dubitare non sinunt. Utimur itaque in eorum attestatione seu etiam confirmatione *signis* pro argumentis, *prodigiis* pro experimentis. Utinam attenderent Iudaei, utinam animadverterent pagani, cum quanta conscientiae securitate pro hac parte ad divinum iudicium poterimus accedere! Nonne cum omni conscientiae securitate Deo dicere poterimus: Domine, si error est, a te decepti sumus? Nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quae non nisi per te fieri possunt. Certe a summae sanctitatis viris sunt nobis tradita

[1] Secundum August., XXII. de Civ. Dei, c. 6. n. 1.

[2] Idem, loc. cit.

[3] Ita bene A.

[4] August., loc. cit. n. 2: « Salus autem civitatis Dei talis est, ut cum fide ac per fidem teneri vel potius acquiri possit; fide autem perdita, ad eam quisque venire non possit ».

[5] Cap. 2; in quibus verbis A (et B a secunda manu) *gravis* pro *genus*, et pro *talia* textus orig. *alia* ac *confidentia Deo* pro *conscientiae securitate Deo*.

et cum summa et authentica attestatione probata, *te ipso cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* [1] ». Propterea nullo modo de *veritate religionis* fas est *dubitare* seu etiam *disputare*. Unde Maximus in sermone de Martyribus [2]: « Noverimus, inquit, quia non sine magno discrimine de religionis disputamus veritate, quam tantorum sanguine confirmatam videmus; magni periculi res est, si post Prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post Martyrum vulnera veterem fidem quasi novellam discutere praesumas et post tam manifestos duces in errore permaneas et post morientium sudores otiosa disputatione contendas ».

Ad 1. *in contrarium* dicendum, quod, ut dicit Glossa ibidem [3], « *nomine gentium* eos significat, qui ad Evangelium pertinent ». — Quod autem dicit: *naturaliter ea quae legis sunt faciunt;* quamvis non nominet Spiritum Dei, fidem vel gratiam, tamen *gratia* intelligitur, quae reformat naturam et sanat, non ipsa *natura nuda* intelligenda est; qua sanata a vitio, quod « est contra naturam, naturaliter fiunt ea quae legis sunt; non quod per naturae nomen, ut dictum est, negata sit gratia, sed potius per gratiam reparata natura [4] ».

Ad 2. dicendum, quod quicumque vel de populo Israelitico, vel de quacumque alia gente salvus fuit, per eandem fidem et religionem salvus fuit. Et hoc optime dicit Augustinus XVIII. de Civitate Dei [5]: « Non incongrue, inquit, creditur, fuisse et in aliis gentibus homines, quibus hoc mysterium revelatum

---

[1] Marc. 16, 20. Cfr. Bonav., V. pag. 56, nota 5. et pag. 537, nota 11.

[2] Serm. 3, qui est Serm. 83. de Sanctis.

[3] Scil. in Rom. 2, 14. et habetur apud Petr. Lombardum in hunc locum (ex August., de Spiritu et littera c. 25. n. 44: « Iste Graecus *nomine gentium* significatus est naturaliter quae legis sunt facientium et quae scriptum habent opus legis in cordibus suis; profecto ad Evangelium pertinent gentes, quibus lex in cordibus scripta est »), ubi etiam quae sequuntur insinuantur.

[4] Glossa est *ordinaria* apud Lyranum (ex August., loc. cit. c. 27. n. 47: « Nec moveat, quod *naturaliter* eos dixit *quae legis sunt facere,* non Spiritu Dei, non fide, non gratia. Hoc enim agit spiritus gratiae, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis »).

[5] Cap. 47, in principio, ubi edit. post *revelatum est* legit: « et qui hoc etiam praedicere impulsi sunt, sive participes eiusdem gratiae fuerint, sive expertes, sed per malos angelos docti sunt, quos etiam praesentem Christum, quem Iudaei non agnoscebant, scimus fuisse confessos »; et inferius habet *societate* pro *civitate* ac *cives patriae* loco *civitatis*.

est; nec ipsos Iudaeos existimo audere contendere, neminem pertinuisse ad Deum praeter Israelitas. Populus revera, qui proprie populus Dei diceretur, nullus alius fuit; homines autem quosdam non terrena, sed caelesti civitate ad veros Israelitas supernae civitatis pertinentes etiam in aliis gentibus fuisse, negare non possunt; quia si negant, obiicitur eis de sancto Iob [1], qui nec indigena nec proselytus, id est advena, fuit populi Israel, sed de gente Idumaea originem traxit »; et post: « Divinitus autem fuisse provisum non dubito, ut ex hoc uno sciremus, etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt eique placuerunt, pertinentes ad spiritualem Ierusalem. Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus est *unus Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus*, ad quem omnes una eademque fides perducit ». Et in eadem Epistola ad Deogratias [2], postquam dixerat, non defuisse in aliis gentibus qui in eum crederent, subdit: « Ita salus religionis huius, per quam solam veram salus vera veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, et cui defuit dignus non fuit ».

Ad 3. dicendum, quod *acceptum* aliquid potest dici duobus modis, scilicet *de condigno* et *de congruo: de condigno*, sicut bonum opus caritate et gratia informatum; et sic opera Cornelii Deo accepta non erant, quoniam *gratia* et *caritas* sine fide esse non possunt. Alio modo potest dici *acceptum de congruo*, sicut opus de genere bonorum bona intentione factum sine gratia, quod tamen ad gratiam disponit; et sic opera Cornelii fuerunt Deo accepta, et per illa fuit dispositus, ut Deus *fidem* sibi inspiraret et faceret praedicari. — Vel potest dici, quod, licet Cornelius esset gentilis, fuit tamen fortassis de illis quibus hoc mysterium revelatum est, ita quod per eandem fidem fuit Deo acceptus, qua et Christiani. — Quod autem dicit, quod Petrus necdum sibi fidem exposuerat; dic, quod Cornelius credebat *Salvatorem et Mediatorem venturum*, per quem salutem sperabat; sed *an venisset*, nesciebat; et hoc Petrus sibi exposuit. Aut certe, si credebat, tamen mo-

---

[1] Cfr. Iob 1, 1. et in fine sequitur I. Tim. 2, 5.

[2] Scil. Epist. 102. (alias 49.) q. 2. n. 15. — Pro *crederent* A *crediderint* (August. etiam legit *crederent*).

dum non plene sciebat; et hoc modo Petrus fidem sibi exposuit, quia modum redemptionis sibi explicuit [1].

Ad 4. dicendum, quod, ut supra [2] dictum est, « salus religionis huius nulli defuit, qui dignus fuit, et cui defuit dignus non fuit ». Quamvis autem fides innitatur divinae inspirationi, tamen Deus, qui *omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire*, ut dicit Apostolus [3], paratus est infundere lumen fidei, nisi sit impedimentum ex parte recipientis: ergo in libero arbitrio est *non recipere* [4]; « non enim recipit, nisi quia Deus dat; tamen ideo Deus non inspirat, quia ipse non recipit », ut dicit Anselmus de Casu diaboli [5]; propter quod in libero arbitrio est non obsistere. — Quod autem dicit, quod nullus vult errare, sed appetit veritatem; dic, quod veritas in *generali appetitur*, tamen in *speciali* veritati *obsistitur*, ex quo revelatione veritatis homo indignus efficitur.

Ad 5. dicendum, quod Christianus salvatur in *credulitate*, qua credit, se divinam implere voluntatem, Saracenus tamen damnatur. Cuius causa est, quia Christianus credit veritate illustratus et divinae auctoritati innixus, quae multis signis confirmata est, sicut in principali solutione diffusius est expli-

---

[1] Notatu valde digna sunt hic verba August., de Praedest. Sanctorum, c. 7. n. 12: « Solet dici: ideo credere meruit, quia vir bonus erat, et antequam crederet. Quod de Cornelio dici potest, cuius acceptae sunt eleemosynae et exauditae orationes, antequam credidisset in Christum; nec tamen sine aliqua fide donabat et orabat. Nam quomodo invocabat in quem non crediderat? Sed si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum aedificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus; quamvis, *nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt aedificantes eam* (Ps. 126, 1.). Et dicitur nobis: *Fides est a nobis, cetera a Domino ad opera iustitiae pertinentia*, quasi ad aedificium non pertineat fundamentum; quasi ad aedificium, inquam, non pertineat fundamentum. Quod si imprimis et maxime pertinet, in vanum laborat praedicando aedificans fidem, nisi eam Dominus miserando in us aedificat. Quidquid igitur, et antequam in Christum crederet et cum crederet et cum credidisset, bene operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, ne *forte quis extollatur* » (Eph. 2, 8.). — Quoad *acceptum de congruo* et *de condigno* cfr. Bonav., II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. et 3.

[2] Pag. 99, nota 2. in fine (ex August.).

[3] I. Tim. 2, 4.

[4] Codd. quidem legunt *non est recipere*, sed sine dubio incongrue, quia ex connexione sententiarum sequitur, in libero arbitrio esse potentiam vel facultatem non recipiendi.

[5] Cap. 2-4. — Cfr. Bonav., II. Sent. d. 9. q. 3. ad 4. et nota 1.

catum; sed Saracenus, seu quicumque alius infidelis credit errore deceptus, cuius erroris causa est ipse, et ideo sibi merito imputatur. Et est exemplum: si sint duo, quorum uterque credat, se tenere rectam viam, unus tamen credit testimonio eius qui novit et qui eum direxit, alius vero falsa opinione deceptus; manifestum est, quod ille secundum veritatem viam rectam tenens pervenit ad terminum, iste autem magis a termino elongatur. Ita est in proposito.

Ad 6. dicendum, quod non sequitur: quod est contra conscientiam est peccatum, ergo facere secundum conscientiam est recte factum; quoniam quod est *contra conscientiam* semper est *peccatum* propter contemptum implicitum; quod autem est *secundum conscientiam* non semper est *recte factum*, quia aliquando est contra divinum praeceptum. — Ad formam autem argumenti, quia fundatur super illa consideratione: « si oppositum in opposito, et propositum in proposito [1] »; dico, quod illa consideratio habet multas exceptiones; intelligitur enim in *oppositis per se*, non per accidens; verbi gratia: si iustitia est virtus, ergo iniustitia est vitium, quoniam virtus per se praedicatur de iustitia, et vitium de iniustitia. In *oppositis per accidens* non tenet; verbi gratia: si album est musicum, ergo nigrum est immusicum, quia musicum praedicatur per accidens de albo [2] et similiter immusicum de nigro. Sic posset dici in proposito: quoniam peccatum non est praedicatum *per se* eius quod est facere contra conscientiam, illud enim *per se* potest esse bonum; sed *per accidens*, quia contra conscientiae dictamen. — Alia exceptio est, quod tenet in *oppositis* respectu *eiusdem praedicati;* verbi gratia: si prodigalitas est vitium, ergo avaritia est virtus, non sequitur; quamvis enim prodigalitas et avaritia sint opposita, tamen non opponuntur respectu illius praedicati, quod est vitium. Sic dico in proposito, quod non sequitur: quod est contra conscientiam est peccatum: ergo quod est secundum conscientiam est recte factum; quoniam, licet facere *contra conscientiam* et *secundum conscientiam* sint opposita, non opponuntur tamen respectu eiusdem, quod est peccatum esse. Quod enim est secundum con-

---

[1] Aristot., IV. Topic. c. 3. et 4.

[2] Codd. erronee *musico*.

scientiam potest esse peccatum, quia contra divinum praeceptum, ut visum est.

Ad 7. dicendum, quod obediens legi salvatur, verum est: *legi Dei;* conscientia autem errans non est lex Dei, immo legi Dei contraria. — Sed *obiicit,* quod tamdiu tenetur quis obedire legi inferioris, quamdiu non constet sibi, quod est legi superioris contraria; iste autem nescit. Posset primo responderi, quod lex illa non obligat ad faciendum, sed quia non faciendo peccat propter contemptum, obligat ad se deponendum, ut quidam dicunt [1]. — Sed ad hoc [2] quod dicit, quod *nescit,* utrum sit legi superioris contraria; dico, quod illa nescientia sive *ignorantia* non excusat, quia scire tenetur, et est ignorantia iuris, et maxime, quia scire contemnit. Unde ibi verificatur verbum Ambrosii [3]: « Gravissime peccas, quia ignoras ».

Ad 8. potest responderi duobus modis: primo, quod Augustinus non dicit, quod non sit *peccatum,* sed quod non est *mendacium;* quamvis ergo non sit mendacium, tamen peccatum est, quia temerarium est asserere [4] et in dubiis praecipitare sententiam. — Alio modo potest dici et melius, quod aliqua sunt *vera determinata,* et aliqua sunt *falsa* per oppositum *determinata,* aliqua autem sunt omnino *indeterminata* quoad nos. Ubi est veritas determinata, *asserere contrarium* omnino peccatum est, ut in his quae ad salutem et religionem pertinent, ut quod Deus est trinus et unus, quod Christus est incarnatus, quod fornicatio est peccatum; in his nec sentire nec asserere licet contrarium; et similiter in falsis per oppositum non licet illud concedere. Ubi autem non est veritas determinata nec falsitas, sed debemus sequi *probabilitatem* signorum; in istis *contrarium asserere,* nisi alias constet, non est peccatum, ut dicere bonum eum qui malus est, quia apparet bonus et habet bonitatis signum, sicut dicit Augustinus [5]. Occulta enim cordium, in quibus bonitas consistit, soli Deo sunt nota.

---

[1] Cfr. Bonav., II. Sent. d. 39. a. 1. q. 3.

[2] Ita A (tamen a manu posteriore), B *huic* pro *ad hoc.*

[3] Comment. in Rom. 2, 5. (inter opera Ambros.), ex quo Glossa *ordinaria* apud Lyranum et Petr. Lombardum; cfr. Bonav., IV. pag. 406, nota 5.

[4] Ita A, B *acquiescere.*

[5] Enchirid., c. 19. n. 6. — Cfr. Bonav., I. Sent. d. 27. a. 1. q. 4.

Ad 9. dicendum, quod non est simile, quoniam *plura* requiruntur ad *bonum* quam ad *malum*. Ad rationem boni necesse est concurrere omnes circumstantias, ad rationem mali sufficit unius circumstantiae defectus. Unde dicit Dionysius IV. de Divinis Nominibus [1], quod « bonum est uno modo, sed malum ex multis et particularibus defectibus ». Propterea ad *peccatum* sive ad demeritum sufficit, quod *existimetur malum*; hoc enim ipso, quod facit malum secundum conscientiam suam, contemnit. Sed ad recte factum sive ad *meritum* requiritur necessario, quod sit de genere *bonorum*, et quod *credatur bonum*, et fiat *recta intentione* [2].

Ad 10. dicendum, quod illa consideratio: « opposita habent fieri circa idem », intelligenda est secundum Philosophum [3], nisi alterum determinate insit. Ita est in proposito; in omni alio statu, nisi in statu fidei christianae, determinata est *damnatio*, manente tali statu, propter separationem a principio salutis; in statu autem Christianorum, quantum est de ratione status, determinata est *salus*, nisi transgrediatur statum suum, aut cadat ab isto statu.

Ad 11. respondeo secundum Augustinum XIII. de Trinitate [4], quod *fides* aliquando dicit *habitum credendi*, aliquando ipsum *creditum*. Tunc ergo, quaerit Augustinus, an una sit fides, aut plures; et dicit, quod creditum unum est, sed habitus credendi, quia est habitus mentis, est quodam modo unus, quodam modo alius; est enim una fides *in genere* propter conformitatem et nullam diversitatem, sed *numero* diversa est; quilibet enim habet suam fidem sicut et suam animam. Fides ergo illius mulieris non fuit singularis, immo fuit una *communis* omnium quantum ad *creditum*, quia idem credidit; fuit etiam communis, quia fuit *eadem specie* cum aliis; sed fuit *singularis numero*, ex eo quod hanc singularem animam informabat. Non sic quaerimus de fide; et ponit exemplum Augustinus [5]: sicut omnium hominum est una facies communis, et tamen quilibet habet propriam suam faciem.

---

[1] Paragr. 30. Cfr. Aristot., II. Ethic. c. 6: « Simpliciter bonus est, sed malus omnimode ». [2] Cfr. Bonav., II. Sent. d. 40. per totam.

[3] De Praedicam. *c. de Oppositis.*

[4] Cap. 2. n. 5: « Aliud sunt ea quae creduntur, aliud fides, qua creduntur ». [5] Loco nota 4. cit.

Ad 12. dicendum, quod *minor* est falsa, quoniam in cognitione et notitia hominum potest esse *error* in via salutis, nisi per veram fidem dirigatur. Ad *probationem* respondeo, quod Philosophus non dicit, *omnium rerum* esse in nobis *certam cognitionem;* nam, etsi diceret, falsum diceret. Habemus autem aliquorum certam cognitionem, sicut primorum *principiorum*, et possumus habere *conclusionem* earum rerum, quae *subsunt rationi;* earum vero, quae *supra rationem* sunt, non possumus habere nisi per aliquod *lumen supernaturaliter infusum.*

Ad 13. patet responsio, quoniam quicumque sive de Israel, sive de aliis gentibus salvi facti sunt, per *unam fidem* unius Mediatoris salvati sunt; et qui salvati sunt, licet fuerint extra Testamentum vetus quantum ad illius legis *caeremonialia*, tamen ibi fuerunt quantum ad *moralia* et quantum ad *fidem* unius *Mediatoris*, quam illud Testamentum praedicabat; et licet non fuerint de Israel carnaliter, tamen pertinebant ad Israel spiritualiter. — Posset tamen dici, quod non est simile, quoniam Testamentum vetus fuit datum uni tantum genti, sed Testamentum novum omnibus gentibus.

Ad 14. dicendum, quod extra *fidem Christianorum*, quae una et sola est via salutis, nullus pertingere potest ad ea quae ad salutem sunt necessaria. — Quod vero *obiicit* de philosophis, dico, quod nec *cognitionem* habere potuerunt verae *salutis* nec *operationem* perfectae et verae *virtutis.* Quod autem dicti sunt *sapientes*, hoc est sapientia mundana et propter aliqualem notitiam rerum naturalium; tamen *dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt*[1], quia *stultam fecit Deus sapientiam huius mundi.* Similiter *virtuosi* aequivoce fuerunt propter virtutes politicas, tamen *verae virtutes* non sunt, nisi ubi est *vera fides* et *pietas*, ut dicit Augustinus in multis locis[2]. Quia enim salus humana limitem *naturae* humanae excedit et facultatem, nullus per *naturalem cognitionem* ad illum finem cognoscendum potuit pervenire, sed necessarium fuit, *lumen*

[1] Rom. 2, 22. et dein I. Cor. 1, 20.

[2] De Civ. Dei, V. c. 12. n. 4: « Neque est vera virtus, nisi quae ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius non est », et c. 19; XIX. c. 4. n. 5. (cfr. et c. 10. et 25.); de Fide et operibus, c. 7. n. 11; contra Iulianum Pelagianum, IV. n. 19. et 25.

*fidei* divinitus dari, quod in illum dirigeret. Similiter dico de operatione.

Ad 15. dicendum, quod cum quaeritur, utrum fides sit necessaria ad salutem; non intelligimus, utrum fides sit de *essentia salutis*, sed utrum sine fide possit ad salutem perveniri per *viam meriti*. Fides enim, certum est, quod non est de salutis sive beatitudinis essentia; nam, ut fortassis alias videbitur [1], in patria evacuatur, sed necessaria est ad salutem, quia sine ipsa ad salutem perveniri non potest per viam meriti. Christus autem, quia salutem non meruit nec ad beatitudinem per viam meriti pervenit, ideo fide non indiguit. Utrum autem sit necessaria ad meritum pro omni statu, forte alias ponetur in quaestione [2].

Ad 16. dicendum, quod sicut non est vera fides nisi *Christianorum*, ita nec vera *spes*, sed potius praesumtio; quia spes complectitur *gratiam Dei* cum *meritis;* est enim « certa exspectatio futurae beatitudinis ex gratia et meritis proveniens, alias non est spes, sed praesumtio », ut dictum fuit quaestione praecedenti [3].

Ad 17. dicendum, quod illa est *via salutis*, quam sapiens eligit, qui vere sapiens est et in quantum sapiens et sapiens in hoc; philosophi autem non fuerunt vere sapientes, quia, ut dicitur Iob [4], *ecce, pietas est sapientia, et recedere a malo intelligentia;* « pietas autem, ut dicit Augustinus XII. de Trinitate [5] et X. de Civitate Dei, est verus Dei cultus ». *Ulterius*, si aliam viam elegerunt, non unde sapientes, sed unde *errantes; ulterius*, non fuerunt *sapientes* cognitione salutis, sed potius *desipientes*.

Ad 18. dicendum, quod *naturale iudicatorium* nobis a natura est inditum, sed illud non sufficit ad dirigendum in

---

[1] Infra q. 6.

[2] Infra q. 7.

[3] Pag. 62, n. 2. in *Contra*, et pag. 74 in fine; cfr. Magister Sent. d. 26. c. 1. (Bonav., III. pag. 553 seqq.).

[4] Cap. 28, 28, ubi Vulgata addit *ipsa* ante *est* et *timor Domini* pro *pietas* (*pietas* habet etiam August. de Trin. mox cit.) ac *scientia* pro *intelligentia*.

[5] Cap. 14. n. 22: « Pietatem quippe hoc loco posuit Dei cultum, quae Graece dicitur θεοσέβεια »; et dein X. de Civ. Dei, c. 1. n. 3: « Pietas proprie Dei cultus intelligi solet ». — Cfr. Bonav., III. Sent. d. 35. q. 6. in corpore.

via salutis, pro eo quod, ut praedictum est [1], humana *salus* excedit limites et facultatem naturae. — Quod addit, quod circa naturale iudicatorium non contingit *error;* dico, quod *naturale iudicatorium* [2] dicit *vim ipsam intellectivam* ut informatam naturali lumine, quo iudicat mens de *principiis operabilibus;* cui respondet *lex naturalis*, quae est *habitus principiorum* operabilium; tertio loco est *conscientia*, quae est *habitus* operabilium *conclusionum*. In naturali iudicatorio *error* non cadit, eo quod respicit operabilia *principia;* nec *conscientia* errat per respectum ad *naturalem legem*, sed error contingit circa *conclusiones* operabiles per comparationem ad principia *rationis deliberativae* aut falso assumentis principium, aut non bene assumentis; verbi gratia: lex naturalis dictat, unum Deum esse colendum, veram beatitudinem esse appetendam; huic sine errore per naturale iudicatorium assentimus. Sed ratio deliberativa errore excaecata et depravata assumit, Iovem esse deum, vel solem, et inde concludit formando conscientiam: ergo sol, vel Iupiter est colendus; vel assumit, quod vera beatitudo est in delectationibus corporalibus, et ideo formando conscientiam concludit: ergo deliciae corporales sunt appetendae.

Ad 19. dicendum, quo *Iudaei* sunt in statu damnationis et mutati sunt in statum deteriorem, eo quod non sequuntur verum *Deum Hebraeorum* [3], sicut solebant, dum *Christum*, quem in lege promissum inveniunt, non adorant, sed potius repellunt et blasphemant.

Ad 20. dicendum, quod *pagani* damnantur pro peccatis. — Quod autem dicit Dominus [4]: *Si non venissem* etc., *peccatum non haberent;* Glossa: « tantum », vel, ut dicit alia Glossa: « non haberent peccatum incredulitatis ». Ante adventum enim Christi credebant eum *venturum* et in illa *fide* poterant salvari, aliis concurrentibus. Sed eum quem venturum credebant, venientem contempserunt, immo occiderunt, et ideo habent hoc

---

[1] Pag. 104 ad 14. in fine. [2] Cfr. Bonav., II. Sent. d. 39. a. 1. q. 1. 2.

[3] Cfr. Exod. 3, 18; 5, 3; 7, 16; 9, 1. 13; 10, 3.

[4] Ioan. 15, 22. — Glossa: « Peccatum tantum » habetur apud card. Hug. de S. Charo, in hunc locum, et alia Glossa, scil. *ordinaria* (ex August., in Ioan. Evang. tr. 89. n. 1-4.), idem, sed aliis verbis insinuat, de qua cfr. Bonav., VI. pag. 456, nota 2. et pag. 454, nota 4.

peccatum incredulitatis. Pagani autem, qui et ante et post fuerunt increduli, damnantur propter peccatum incredulitatis. — *Ulterius*, cum dicit [1]: *Non sum missus nisi ad oves domus Israel*, intelligendum est *primo et principaliter*, sed *ex consequenti* missus est ad *omnes;* vel *oves domus Israel* sunt omnes ad vitam aeternam *praedestinati*, veriores *Israelitae* [2], quam illi qui solum sunt secundum carnem.

Ad 21. dicendum, quod pagani habent familiaritatem et commercia falsorum deorum, sed Christiani habent familiaritatem unius veri Dei, et primo Iesu Christi, facti nobis *Emmanuel*, id est *nobiscum Deus* [3]; et adhuc habemus eius praesentiam in Sacramento, in quo est verus Deus, verus homo, in quo nobiscum est *usque ad consummationem saeculi;* adhuc etiam eius habemus familiaritatem, dum eum praesentem nobis experimur per mentis devotionem; est etiam praesens, ut dicit auctoritas [4], *obsecrationis nostris*, exaudiens nos.

Ad 22. patet responsio, quoniam de nemine malum praesumendum est, nisi constet contrarium [5]; ideo veniens in nomine prophetae recipiendus est, si habeat *vitam* et *doctrinam prophetae*, et tunc meritum non perdit recipiens. Si autem *falsa* annuntiat contra veritatem religionis aut morum, iam non venit in nomine *prophetae;* ita est de Mahomet et ceteris, et ideo nec recipiendus.

Ad 23. dicendum, quod de *continentia virginali* vel sanctimoniali non est datum *praeceptum* tanquam ad *necessarium* astringens, sed *consilium* tanquam *perfectius* persuadens. Hoc autem consilium *praecepto naturae* non est contrarium. Natura enim non dictat *multiplicationem* simpliciter, sed *pro tempore*, quo genus humanum erat multiplicandum; et pro illo tempore Deus mandatum promulgavit de carnali

---

[1] Scil. Dominus, Matth. 15, 24. Cfr. Hieron. in hunc locum.

[2] Cfr. Rom. 9, 6.

[3] Matth. 1, 23. et subinde c. 28, 20.

[4] Deut. 4, 7. Cfr. supra pag. 80, nota 1.

[5] Cfr. can. *Ex parte tua* (1.) X. de Scrutinio etc. (lib. I. tit. 12.) et can. *Dudum* (16.) X. de Praesumtione lib. II. tit. 23.), ubi insinuatur hoc axioma: « De quolibet praesumendum est bonum, nisi probatur contrarium »; idcirco per oppositum dicitur de Regul. iuris in VI. regul. 8: « Semel malus semper praesumitur malus ».

multiplicatione. Multiplicato autem genere humano, natura dictat, multo esse perfectius ab omni tali actu simpliciter continere, et Christus naturae dictamini consilium superaddidit. Perfectio enim consistit in conformitate ad Deum; haec autem puritas maxime facit Deo conformem. Unde patet, quod istud consilium non est contrarium praecepto vel legi naturae [1].

Ad 24. respondet Augustinus ad Marcellinum [2], ostendens, quod hoc praeceptum non est *reipublicae exterminativum*, sed potius *salvativum;* est enim praeceptum *concordiae* et *patientiae;* « concordia autem salus est populi [3] ». « Quid enim est respublica nisi res populi? Res autem populi nihil est aliud quam res civitatis. Quid est autem civitas nisi hominum multitudo in quoddam vinculum redacta concordiae [4] »? Discordia enim labitur civitas et concordia augetur. Unde et illi qui « rempublicam ex parva et inopi magnam opulentamque fecerunt, accepta iniuria, ignoscere quam persequi malebant [5] ». Unde et « Cicero in laudem Caesaris, administratoris utique reipublicae, mores eius extollens, dicit, quod nihil oblivisci soleat nisi iniuriarum. Dicebat ergo haec tam magnus adulator, aut tam magnus laudator; sed si laudator, talem Caesarem noverat; si autem adulator, talem esse debere ostendebat principem civitatis, qualem illum fallaciter praedicabat [6] ». Sed nec lex christiana prohibet, eum qui habet *auctoritatem* punire iniurias [7], sed prohibet, propria auctoritate *privatas personas* hoc facere libidine ulciscendi.

---

[1] Cfr. Bonav., IV. Sent. d. 26. a. 1. q. 3.

[2] Epist. 138. (alias 5.) c. 2. n. 11.

[3] Ut dicit August., de Civ. Dei, XIX. c. 24: « Ipsam concordiam, quae salus quodam modo est populi, populus Romanus ad cruentissimas seditiones atque inde ad socialia et civilia bella perveniens, rupit regnumque corrupit »; cfr. etiam I. c. 30. ac II. c. 21. n. 1. et III. c. 24. et praesertim c. 25.

[4] Epist. nota 2. cit. c. 2. n. 10. — Cfr. August., II. de Civ. Dei, c. 21. n. 1. 2.

[5] Epist. cit. c. 2. n. 9, et de sententia « accepta » etc. cfr. Sallust., Bellum Catilinarium, c. 9. — Sententia Ciceronis habetur in Oratione pro Q. Ligario, c. 12: « Qui nihil oblivisci soles nisi iniurias ».

[6] Epist. cit. c. 2. n. 9, in quo textu edit. *dicebat, quod nihil oblivisci soleret* pro *dicit, quod nihil oblivisci soleat.*

[7] Epist. cit. c. 2. n. 14.

# QUAESTIO IV.

**Quarto quaeritur, utrum obiectum fidei sit verum tantum, an fidei possit subesse falsum.**

*Quod sic, ostenditur:*

1. Fides innititur auctoritati Christi praecipue; dicit enim Augustinus de Utilitate credendi [1]: « Quod credimus, debemus auctoritati ». Sed auctoritati Christi potest subesse falsum: ergo et fidei. *Probatio minoris:* praedixit Christus [2], fidem Petri non desituram; sed tamen statim postea defecit, quando Christum negavit: ergo etc.

2. Item, eidem lumini innititur fides et prophetia; sed prophetiae potest subesse falsum: ergo et fidei. *Probatio minoris:* praedixit Propheta Isaias Ezechiae [3]: *Morieris tu et non vives;* praedixit Ionas [4]: *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur;* et tamen Ezechiae additi sunt quindecim anni [5], nec Ninive fuit subversa: ergo prophetia utraque fuit falsificata: ergo etc.

3. Item, fides dicit, resurrectionem futuram, dicit mundum conflagrandum per ignem; sed resurrectio potest non esse, mundus potest non conflagrari: ergo fidei potest subesse falsum. *Probatio minoris* est, quoniam resurrectionem esse, vel mundum conflagrari sunt quaedam contingentia; omne autem contingens potest non esse: ergo etc.

4. Item, simus in medio tempore post mortem Abrahae et ante incarnationem Christi; tunc necesse est, Abraham credidisse, Christum esse passurum, quoniam omne dictum de praeterito verum est necessarium. Sed possibile fuit, Christum non pati, et passio Christi potuit non esse, quoniam, ut dicit Augustinus XIII. de Trinitate [6], « alius modus nostrae liberationis fuit Deo possibilis ». — *Ulterius,* possibile compatitur se cum quolibet necessario [7]; possibile ponibile; ponatur, quod Christus

---

[1] Cap. 11. n. 25.
[2] Luc. 22, 32.
[3] IV. Reg. 20, 1. et Isai. 38, 1.
[4] Ion. 3, 4.
[5] IV. Reg. 20, 6. et quoad Ninive Ion. 3, 10.
[6] Cap. 10. n. 13. Cfr. Bonav., III. Sent. d. 24. a. 1. q. 1. arg. 3. ad oppos. et ad 3.
[7] S. Bonav., loc. nota 6. cit. et I. pag. 677, nota 6. et pag. 678, nota 1.

non patiatur: ergo simul stant, Abraham credidisse Christum passurum, et Christum non pati: ergo fidei Abrahae potuit subesse falsum.

5. Item, Cornelius[1] credebat Christum incarnandum; et iam Christus erat incarnatus: ergo credebat falsum. Et certum est, quod Cornelius habuit veram fidem: ergo verae fidei potest subesse falsum.

6. Item, sicut se habet fides ad verum, ita caritas ad bonum, et sicut per se obiectum fidei est verum increatum, per se obiectum caritatis est bonum increatum; sed caritati potest subesse malum: ergo fidei potest subesse falsum. *Probatio minoris:* iste diligit ex caritate hominem, quem existimat bonum, qui tamen malus est secundum veritatem: ergo similiter potest fides credere aliquid existimatum verum, quod tamen est falsum.

7. Item, fides dirigit spem; sed spei potest subesse falsum: ergo et fidei. *Probatio minoris:* iste existens in gratia se sperat habiturum vitam aeternam, quam nunquam habebit, quoniam est praescitus: ergo[2] etc.

8. Item, actus adorationis est actus fidei, quia quod substernitur adorationi substernitur fidei; sed adorationi potest subesse falsum: ergo et fidei. *Probatio minoris* apparet de eo qui adorat corpus Christi sub hostia, in qua credit ipsum, et tamen secundum veritatem non est ibi, utpote si sacerdos deludat, propter quod non conficiat[3].

9. Item, fides innititur divinae praescientiae. Tunc arguo sic: sicut se habent scita ad rationes sapientiales, ita se habent facta ad rationes causales; sed causata secundum rationes causales possunt annihilari et corrumpi: ergo praescita secundum rationes sapientiales possunt falsificari.

10. Item arguitur: Anselmus de Veritate[4] definit veritatem sic: « Veritas est rectitudo sola mente perceptibilis »: ergo quod non est sola mente perceptibile non potest esse verum. Sed multa sunt credibilia, quae non possunt mente percipi: ergo illa non possunt esse vera. *Probatio minoris:* Au-

---

[1] Act. 10, 31. seqq. — Cfr. Bonav., III. Sent. d. 24. a. 1. q. 3. arg. 5. ad oppos. et solut. ad 5.

[2] Cfr. Bonav., III. Sent. d. 24. a. 1. q. 1. arg. 4. ad oppos. et solut. ad 4.

[3] Cfr. Bonav., III. Sent. d. 24. a. 1. q. 1. arg. 6. ad oppos. et solut. ad 6.

[4] Cap. 11.

gustinus[1]: « Aliqua sunt, quae semper creduntur et nunquam intelliguntur, sicut est omnis historia temporalia et humana gesta percurrens »; sed fides est de multis huiusmodi: ergo etc.

11. Item, tenemur credere remissionem peccatorum in eo qui confitetur; sed potest esse, quod ille qui confitetur, remissionem peccatorum non percipit, ergo credit falsum: ergo fidei potest subesse falsum.

12. Item, caritas potest velle malum: ergo fides potest credere falsum. *Consequentia* manifesta est ex proportione, quia, sicut se habet caritas ad bonum, ita se habet fides ad verum[2]. *Antecedens* probatur, quoniam Apostolus[3] ex caritate voluit, sibi auferri stimulum carnis; et tamen hoc malum erat secundum veritatem: ergo etc.

13. Item, quia dicebatur, quod creditum, licet sit in se contingens, tamen per comparationem ad divinam praescientiam, cui fides innititur, est necessarium; *contra:* divina praescientia non immutat naturam rei: ergo si res praescita vel credita est secundum naturam suam contingens, ergo semper remanet contingens: ergo quantumcumque Deus praesciat, vel fides credat, semper potest non evenire: ergo etc.

14. Item, quandocumque duae causae ad unum effectum concurrunt, effectus denominatur a causa proxima, propria et immediata; sed divina praescientia est causa crediti vel praesciti communis et mediata, causa naturalis est proxima et immediata et propria: ergo ab illa debet denominari. Sed illa est simpliciter contingens: ergo praescitum est simpliciter contingens, ergo potest aliter evenire: ergo tam fides quam praescientia potest falli.

15. Item, illud quod est omnino extra rationem rei, non facit circa rem contingentiam vel necessitatem; sed divina praescientia est omnino extra rationem crediti: ergo non facit in re contingentiam vel necessitatem: ergo idem quod prius.

16. Item, sicut se habet habitus fidei ad habitum scientiae, ita obiectum ad obiectum; sed habitus fidei est infra habitum scientiae, sicut dicit Hugo[4] in I. libro de Sacramentis:

---

[1] Libr. 83 Qq. q. 48.

[2] Cfr. supra arg. 6. (pag. 110).

[3] II. Cor. 12, 8.

[4] Part. X. c. 2, in quo textu edit. legit *certitudo quaedam animi de rebus absentibus* pro *rectitudo mentis*. Cfr. Bonav., III. Sent. d. 23. a. 1. q. 4. et dub. 1.

« Fides est quaedam rectitudo mentis supra opinionem et infra scientiam constituta »: ergo fidei obiectum est infra obiectum scientiae. Sed obiectum scientiae est verum certum: ergo obiectum fidei non est verum certum. Sed quod incertum est potest esse falsum: ergo etc.

17. Item, Apostolus: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium* [1]; sed dicit Boethius [2], quod « argumentum est ratio rei dubiae faciens fidem »: ergo fides est de re dubia: ergo idem quod prius.

18. Item, nullum creatum est immutabile; sed fides est quidam habitus creatus in anima: ergo est mutabilis. Sed omni rei mutabili potest subesse falsum: ergo fidei potest subesse falsum.

19. Item, Augustinus in libro de Praedestinatione Sanctorum [3]: « Credere est cum assensione cogitare ». Ideo quaedam Glossa super illud Genesis [4]: *Dixerunt* Laban et Bathuel: *Vocemus puellam et quaeramus eius voluntatem*, dicit: « Credere voluntatis est, non necessitatis »: ergo credere est assensio voluntaria. Sed voluntas est mutabilis ut cogitatio et potest in hoc et in illud, in malum et in bonum: ergo in verum et in falsum.

CONTRA:

1. Anselmus, in libro Cur Deus homo [5]: Quia vera fuit fides Matris, qua credit, illum mori; ideo necesse fuit, illum mori, et non potuit non mori. Si potuit non mori, potuit non fuisse, postquam erat; quod falsum est. *Probatio consequentiae* apparet, quoniam per fidem passionis eius mundata fuit Virgo. Non potuit autem nasci nisi de matre purissima. Ergo si potuit non mori, non fuit vera fides Matris; et si non fuit vera fides Matris, non fuit mundata per fidem, et si non fuit mundata, Christus non fuit de ipsa natus. Ergo fides non potest falsificari, immo creditum per fidem necesse est esse.

---

[1] Hebr. 11, 1.

[2] I. Comment. in Topic. Ciceronis et I. de Differentiis topicis. Cfr. Bonav., III. pag. 502, nota 5.

[3] Cap. 2. n. 5.

[4] Cap. 24, 57. — Glossa est *interlinearis* et sumta ex Commentariis in II. Cor. 1, 23 (inter opera S. Ambrosii): « Quoniam fides non necessitatis, sed voluntatis res est ».

[5] II. c. 17. et 16.

2. Item, certior est notitia fidei quam scientiae. Sed « scientiae [1] non potest subesse falsum », secundum Philosophum [2] et Augustinum; quidquid enim scitur est verum, et si non est verum, non scitur: ergo nec fidei potest falsum subesse. *Probatio maioris* apparet, quia scientia innititur lumini rationis, et [3] fides, lumini divinae inspirationis.

3. Item, Dionysius de Divinis Nominibus [4]: « Fides est circa simplicia et semper insistentem veritatem »; sed veritati simplici et semper insistenti non potest falsum subesse: ergo etc.

4. Item, fides innititur divinae auctoritati, ut dicit Augustinus de Utilitate credendi [5], quia « quod credimus, debemus auctoritati »; sed divinae auctoritati non potest subesse falsum: ergo nec fidei.

5. Item, fides a prima veritate infunditur et primae veritati innititur; sed primae veritati non potest subesse falsum: ergo etc.

6. Item, si fidei potest subesse falsum, fidei potest subesse error; sed fidei non potest subesse error: ergo nec falsum. *Probatio minoris*: fides et error sunt contraria; « contrarium autem suo contrario subesse non potest [6] »: ergo nec error potest subesse fidei.

## RESPONDEO:

Cum quaeritur, utrum fidei possit subesse falsum, hoc est quaerere, utrum creditum per fidem possit esse falsum; dico,

---

[1] Ita correximus secundum auctoritates immediate post nota 2. citatas; codd. legunt *notitiae fidei.*

[2] I. Poster. c. 2. et c. 26. (c. 33.) ac VI. Ethic. c. 2. seq.; et August., III. contra Academicos, c. 3. n. 5: « Quoquo modo, inquam, eam (scil. scientiam) determinem, illud omnibus placuit, scientiam falsarum rerum esse non posse »; et paulo post: « Nemo autem habere disciplinam potest in animo, qui nihil didicit, nihil autem didicit qui nihil novit, et nosse falsum nemo potest. Novit igitur sapiens veritatem »; vide etiam c. 4. n. 10. in fine. Cfr. Epist. 120. (alias 222.) ad Consentium, c. 1-4. n. 4-18, et Bonav., III. pag. 509, nota 5. (et pag. 482, nota 5.) ac nota 4. (et pag. 501, nota 5.).

[3] A *sed.*

[4] Cap. 7. § 4.

[5] Cap. 11. n. 25.

[6] Aristot. IV. Topic. c. 4: « Contrarium sui contrario inesse nequit »; et III. de Partibus animalium, c. 7: « Contrarium enim quodque ad sibi cognatum ordinem dispositum est »; vel secundum versionem edit. Firmin-Didot: « Contrarium enim quodque contrario eiusdem seriei elemento opponitur »; ac I. Phys. text. 67: « A se invicem contraria pati impossibile est ».

quod de hoc credito vel de *obiecto fidei* possumus loqui duobus modis: uno modo secundum naturam suam absolutam; alio modo [1], prout cadit sub fidei credulitate. Si loquamur de credito secundum naturam suam absolutam, dico, quod aliqua sunt credita, quae habent necessariam et immutabilem veritatem, ut articuli ad Divinitatem pertinentes, id est, quod Deus sit unus, quod a Patre generatur Filius, quod a Patre et Filio procedit [2] Spiritus; et ista credita nullo modo possunt falsificari, etiam considerata secundum suam naturam. — Alia autem sunt *credita*, quae habent veritatem contingentem, sicut habent esse contingens, sicut articuli pertinentes ad humanitatem, ut Christum incarnari, antequam incarnaretur, et pati, antequam pateretur, et alii huiusmodi; et ista *in se* considerata possunt falsificari, sed postquam transeunt in praeteritum, sortiuntur *per accidens* veritatem necessariam. — Alia autem sunt *credita*, quae simpliciter pendent de futuro, et ista *per se* et *per accidens* habent veritatem contingentem; et talia possunt falsificari, quia omne contingens potest non esse, quantum est de sui natura.

Si autem loquamur de obiecto fidei vel de *credito, ut creditum est*, sive prout cadit sub credulitate fidei, sic omne creditum per fidem habet veritatem necessariam et immutabilem, ita quod nullo modo potest falsificari, nec fidei subesse potest aliquo modo falsum. Huius autem ratio ex tribus accipi potest.

Primo potest ratio sumi quantum ad *ipsum fidei habitum*. Fides enim est virtus et est virtus intellectualis a Deo infusa, quia virtus habet certitudinem infallibilem necessario, quoniam, ut dicit Philosophus II. Ethicorum [3], « virtus est certior omni arte, quemadmodum et natura, medii utique coniectatrix ». Inclinat enim virtus in obiectum suum, quemadmodum et natura; igitur sicut natura non potest errare, quoniam ad unum tantum se habet; et si quando contingit sibi impedimentum, tamen error sibi imputandus non est, ita et virtus inclinans in suum obiectum quasi naturaliter, prout di-

[1] A addit *in quantum creditum*. [2] A *procedat*.

[3] Cap. 6: « Virtus omni arte exactior est et melior quemadmodum etiam natura; efficitur procul dubio, ut ea medii coniectrix ac collimatrix sit »; cfr. et ibid. c. 9.

cit Tullius[1] et Augustinus, quod « virtus est habitus in modum naturae operativus », nullo modo potest errare: ergo nec sibi potest falsum subesse; « ars autem se habet ad opposita[2] »; ideo minus certa est quam virtus. — *Ulterius*, quia est virtus intellectualis, est habitus veridicus; « nulla enim virtus perficiens intellectum se habet ad falsum per se », ut Philosophus dicit in VI. Ethicorum[3]. Cum ergo fides sit virtus intellectualis sive intellectum perficiens, ergo fidei non potest subesse falsum, sicut nec scientiae, sapientiae vel intelligentiae. — *Praeterea*, quoniam est virtus intellectualis a Deo infusa, est velut quoddam lumen. Si ergo adeo lumen naturalis rationis certificat, quod notitiae demonstrationis nullo modo potest subesse falsum, multo magis certificat lumen divinae inspirationis; et ideo fidei nullo modo potest subesse falsum. Unde dicit beatus Dionysius de Divinis Nominibus[4]: « Fides est manens credentium collocatio, quae iustos collocat in veritate et in ipsis veritatem intransmutabili identitate simplicem veritatis cognitionem habentibus ».

Secunda ratio sumitur quantum ad *ipsius fidei obiectum formale et primarium*. Obiectum enim principale et primarium fidei est veritas increata, cui dictanti fides facit assentire tam de se quam de aliis, ita quod nulli assentit nisi propter veritatem primam. Sed veritati increatae nullo modo potest falsum subesse, quoniam « cognoscit, ut dicit Dionysius[5],

---

[1] II. de Rhetorica, c. 54: « Virtus est animi habitus, naturae modo rationi consentaneus », quem Augst., IV. contra Iulianum, c. 3. n. 19. sequitur dicens: « Virtus est animi habitus naturae modo atque rationi consentaneus ». Cfr. Aristot., II. Ethic. c. 6: « Virtus est habitus voluntarius (electivus) in medio consistens, recta ratione determinatus, prout sapiens determinabit », et VI. Ethic. c. 13: « Virtus est habitus rectae rationi consentaneus »; S. Thom., Comment. in loc. cit. lect. 7. et 11. ac Bonav., III. pag. 471, nota 3; pag. 474, nota 6; pag. 488, nota 9. et II. Sent. d. 27. dub. 3.

[2] Sive ut Aristot., IX. Metaph. text. 3. et 10. (VIII. c. 2. et 5.) ait, « rationalis potestas est ad opposita »; de qua sententia quomodo sit intelligenda, cfr. Bonav., II. pag. 612, nota 3.

[3] Cap. 2; cfr. supra pag. 113, nota 2.

[4] Cap. 7. § 4. secundum versionem Scoti Erigenae: « Fides divina est unicum credentium fundamentum, eos collocans veritati et eis veritatem incredibili incommutabilitate simplam veritatis scientiam habentibus credulis ».

[5] De Divinis Nominibus, c. 7. § 2. secundum versionem Scoti Erigenae: « Semet igitur divina sapientia cognoscens cognoscit omnia, immaterialiter mate-

omnia, mutabilia immutabiliter, contingentia incontingenter, futura praesentialiter, tanquam non dependens ab alia, sed se ipsa et per se ipsam omnia cognoscens »: ergo similiter fidei non potest subesse falsum, quoniam non secundum conditionem creditorum aut exigentiam, sed secundum dictamen lucis et veritatis aeternae assentit creditis. Propterea dicit Apostolus [1]: *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed ut est vere verbum Dei.* Acceperunt autem verbum auditus per fidem.

Tertia ratio sumitur quantum ad *fidei obiectum materiale et secundarium;* qui sunt ipsi articuli, qui sunt quasi fundamentalia principia totius esse spiritualis et quantum ad *cognitionem* et quantum ad *affectionem,* sine quibus in doctrina veritatis nihil est certum, nihil rectum. Nam, ut dicit Augustinus I. de Doctrina christiana [2], « ubi non est fides, nec spes nec caritas esse potest »; et ut dicit IX. de Trinitate [3], « fides dirigit intentionem ». Igitur sicut impossibile est omnino, omnem certitudinem cognitionis et omnem rectitudinem affectionis evacuari; ita impossibile est, creditum per fidem evacuari; ac per hoc fidei nullo modo potest subesse falsum. Et argumenta, quae hoc probant, concedenda sunt.

Ad 1. *in contrarium* dicendum, quod Petrus, eo quod futurus pastor Ecclesiae, typum Ecclesiae gerit; propterea Dominus in Petro non fidem ipsius personalem, sed fidem Ecclesiae universalis praedicit non desituram. — Vel dicendum

---

rialia et non partite partita et multa universaliter, ipso uno omnia et adducens et cognoscens ». Cfr. August., XV. de Trin. c. 4. n. 6, et Bonav., I. Sent. d. 39. a. 2. q. 1-3. et V. pag. 216, nota 6.

[1] I. Thess. 2, 13.

[2] Cap. 37. n. 41: « Fide titubante, caritas etiam languescit. Nam si a fide quisque ceciderit, a caritate etiam necesse est cadat; non enim potest diligere quod esse non credit; porro si et credit et diligit, bene agendo et praeceptis morum bonorum obtemperando efficit, ut etiam speret, se ad id quod diligit esse venturum. Itaque tria haec sunt, quibus et scientia omnis et prophetia militat: fides, spes, caritas ». Cfr. Enchirid. c. 7. n. 2: « In his duobus tria illa intuere: Fides credit, spes et caritas orant, sed sine fide esse non possunt; ac per hoc et fides orat ».

[3] Cap. 1. n. 1: « Ea recta intentio est, quae proficiscitur a fide ». Verbotenus tamen habetur ista sententia Enarrat. in Ps. 31. narrat. 2. n. 4: « Bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit ».

secundum Glossam ibidem [1], quod Christus non praedixit, quod Petrus non esset per negationem a fide casurus, sed quia praesciebat, rogabat, ne in infidelitate remaneret, quamvis ad horam fides in eo deficeret, sed cito resurgeret et ad fidei veritatem rediret.

Ad 2. dicendum, et primo ad illud quod obiicitur de Ezechia, quod illud dissolvit Augustinus VI. super Genesim ad litteram [2], dicens, quod duplices sunt causae: *superiores* et *inferiores;* superiores in divina voluntate reservatae, inferiores mundo contextae, et aliquid dicitur « futurum secundum causas inferiores, sicut dicitur futura senectus in iuvene, quae tamen vere futura non est, si ante sit moriturus. Hoc autem ita erit, non sicut se habent causae mundo contextae, sed sicut se habent aliae in divina praescientia reservatae. Nam secundum quasdam futurorum causas moriturus erat Ezechias, cui Deus addidit *quindecim annos* [3] ad vitam, id utique faciens, quod ante constitutionem mundi se facturum esse praesciebat et in sua voluntate servabat. Non ergo id fecit, quod secundum illas futurum erat, sed non se facturum esse praesciebat. Secundum aliquas igitur causas inferiores iam vitam finierat; secundum illas autem, quae sunt in voluntate et praescientia [4] Dei, qui ex aeternitate noverat, quid illo tempore facturus erat — et hoc vere futurum erat — tunc erat finiturus vitam, quando finivit vitam ». Non ergo prophetia Isaiae falsa fuit, mortem praedicendo Ezechiae. Nam vere secundum causas inferiores moriturus erat, et ad illa videnda fuit mens Prophetae illuminata; secundum tamen causas superiores elongata [5] fuit sibi vita, quod fuit occultatum Prophetae. Et huic etiam concordat Gregorius [6].

---

[1] Scil. *interlinearem* ex Beda sumtam: « *Et tu aliquando conversus* etc.: Sicut ego orando te protexi, ne deficeres, sic tu infirmiores fratres exemplo tuae poenitentiae conforta, ne de venia desperent ».

[2] Cap. 17. n. 28; in quo textu edit. infra rectius legit: « ita erit, sicut se habent aliae causae sive mundo contextae, sive in Dei praescientia reservatae ».

[3] Cfr. IV. Reg. 20, 6. et Isai. 38, 5. — Paulo inferius codd. *sciebat... praeservabat* pro *praesciebat... servabat,* quod bene habet editio.

[4] Ita edit., pro quo codd. minus bene solum *in scientia.*

[5] Ita codd.; *elongare* idem est ac prolongare, differre.

[6] XII. Moral. c. 2. n. 2; cfr. et ibid. c. 52. n. 58. seq. ac XVI. c. 8. n. 12.

iectura falsum aliquod existimare; non propter hoc fidei falsum subest aut subesse potest.

Ad 6. dicendum, quod non est simile, quoniam alia est natura *intellectus* atque alia *affectus*, ac per hoc alia est natura habituum intellectualium et affectualium. Affectus enim necessario praesupponit actum intellectus, quia, ut dicit Augustinus X. de Trinitate [1], « incognita non possumus diligere »; et ideo fertur super obiectum ut apprehensum et ut repraesentatum sibi per intellectum. Et quia intellectus repraesentat bonum, quamvis non sit bonum, ideo semper caritas bonum diligit, nec ei malum subest, quia non est suum discernere, sed est suum moveri secundum apprehensionem intellectus. Sed intellectus fertur super verum, quod dicit inhaerentiam et existentiam actualem; ideo fertur immediate super rem ipsam. Ideo suum est discernere, utrum sit, vel non sit; et si decipitur, falsum sibi subest. Sed quia fides movetur secundum illustrationem divinae veritatis, quae falli non potest, ut dictum est, ideo non potest sibi subesse falsum, aut si falsum subest, fides non est.

Vel potest adhuc alio modo responderi, distinguendo de caritate et de fide. Est enim duplex fides: una, quae est principium religionis, prout credimus articulos fidei vel [2] sacrae Scripturae et his quae articulos consequuntur et quae ex Scriptura eliciuntur; alia est fides, qua de quolibet homine credendum est bonum, nisi constet contrarium, et utraque fides virtus est. Dictat enim veritas prima, esse sibi assentiendum, praecipit nihilominus, de quolibet bonum esse credendum. Fidei primo modo dictae nullo modo potest subesse falsum, quia innititur primae veritati; fidei secundo modo dictae potest falsum subesse, quia innititur signis apparentibus et probabilibus. Sicut autem est duplex fides vel dupliciter dicta, ita est duplex caritas sive dupliciter dicta. Una est, quae sequitur dictamen fidei primo modo dictae et in his, de quibus est ipsa; et isti caritati nullo modo potest subesse malum, sicut nec fidei falsum. Caritati enim, qua diligimus bonum in generali, malum

---

[1] Cap. 1. n. 3. et 4. ac n. 1: « Rem prorsus ignotam amare omnino nullus potest ». Cfr. idem, VIII. de Trin. c. 4. n. 8; IX. c. 12. n. 18; XIII. c. 4. n. 7.

[2] Ita B a secunda manu; primitus cum A omisit *vel*.

subesse non potest. Alia est caritas vel alio modo dicta, quae sequitur fidem humanae existimationis et probabilitatis, quae dicit ex signis apparentibus, hunc esse bonum; et sicut huic fidei potest subesse falsum, ita huic caritati potest subesse malum.

Ad 7. dicendum, quod *spei* non potest subesse falsum, sicut nec fidei. Cuius ratio est, quoniam spes-virtus respicit et praesupponit exigentiam meritorum et perseverantiam finalem cum auxilio gratiae Dei. Qui autem sic sperat nunquam fallitur; omnis enim, qui habet gratiam et per illam se exercet in bonis operibus et in illis perseverat usque in finem, salvabitur; qui aliter sperat non sperat, sed praesumit.

Ad 8. dicendum, quod *adorationi* fide regulatae et directae non potest subesse falsum, sicut nec fidei. Fides enim dicit, adorandum corpus Christi, ubicumque sit; sed non dictat, esse corpus Christi, nisi servata forma a Christo et Ecclesia tradita. Et quia hoc non potest sciri, ideo dicit adorandum sub conditione: si factum est quod rite debuit, quia alias non est ibi corpus Christi; et sic adorans nunquam errat.

Ad 9. dicendum, quod non est simile, quoniam actus *divinae cognitionis* aeternus est et semper manet, actus autem factionis non semper est: immo desinit; propterea scita nunquam possunt falsificari, sed facta possunt destrui. Tamen sicut, quamdiu durat actus cognitionis, non possunt scita falsificari, ita, quamdiu durat actus factionis, non possunt facta destrui; secundum enim rationes illas causales producit res diversimode duraturas secundum exigentiam naturae suae et tamdiu eas conservat, quamdiu disposuit et ordinavit, eas manere secundum certam periodum; et quamdiu ordinavit, eas manere et durare, non possunt destrui, sicut nec scita a Deo falsificari. — Vel posset dici, quod [1] non est simile argumentum, quoniam *corruptio* dicit defectum rei absolutae et in se consideratae, qui in nullo repugnat causae efficienti [2]; sed falsificatio respicit potius defectum intellectus per comparationem ad rem, quia « falsum est in intellectu », secundum Philosophum [3]. Et

[1] Ita B a secunda manu; primitus ut A omisit *quod*.

[2] Ita bene B, A *facienti*.

[3] VI. Metaph. text. 8. (V. c. 4.): « Falsum et verum non sunt in rebus (ut quod bonum verum, quod vero malum falsum), sed in mente ». Cfr. etiam I.

— Et *si obiiciatur*, quod est dictum de praeterito, et omne dictum de praeterito verum est necessarium; dicunt, quod verum est de eo quod totum est de praeterito; sed quod sic est de praeterito, quod tamen connotat aliquid de futuro et ex futuro dependet, non est necessarium, pro eo quod, quando dictum componitur sive complectitur simul necessarium et contingens, totum iudicatur contingens. Et ideo, licet Abraham credidisse sit necessarium, tamen, quia Christum incarnandum futurum est et contingens, totum dictum, scilicet Abraham credidisse, Christum incarnari, est *contingens*. — Et *si obiiciatur* eis, quod necesse est, Abraham cogitasse de hoc et assensisse huic, ergo credidisse; respondent, quod necesse est, cogitasse de hoc, sed huic contingenti assensisse assensu fidei non est necessarium. Quamvis enim necesse sit, habuisse illum motum, et illum motum fuisse meritorium, tamen ordinatio ad futurum non est necessaria; assensus autem et credulitas dicit illam ordinationem: ideo credidisse et assensisse est contingens. — Quod etiam manifestant sic: assensus fidei est conformis divinae praecognitioni, quia secundum illam illustrationem assentit. Quamvis autem actus divinae praecognitionis sit in se necessarius, tamen ordo sive comparatio ad hoc futurum contingens est contingens, non necessaria. Ita intelligendum est in proposito et in omnibus similibus.

Ad 5. dicendum, quod istud argumentum quaerit, utrum obiectum fidei sit verum complexum, vel incomplexum, id est, utrum articuli sint *res*, vel *enuntiabilia* [1]. Dico ergo, quod fides non tantum est circa verum *incomplexum*, sed *complexum*. « Credere enim, secundum Augustinum [2], est cum assensione cogitare », ac per hoc hoc [3] de hoc enuntiare; et ad fidei perfectionem non tantum oportet cogitare de incarnatione, sed oportet credere, Christum incarnandum vel incarnatum esse, ita quod errans circa hoc simpliciter iudicatur haereticus, sicut Iudaei. — Et *praeterea*, cum fides circa aliquos articulos simul respiciat creatum et increatum et de nullo creato possit esse, nisi prout componitur aliquo modo increato; necesse est,

---

[1] Cfr. Bonav., III. Sent. d. 24. a. 1. q. 3.

[2] De Praedest. Sanctorum, c. 2. n. 5.

[3] Ita recte A; in B desideratur istud verbum *hoc*.

quod fides sit circa complexum. Dico etiam, quod non est idem enuntiabile sub verbis diversorum temporum, ut: Petrum cucurrisse, currere et cursurum esse, propter identitatem rei significatae, ut dixerunt Nominales [1], immo est aliud enuntiabile propter diversitatem modi significandi. Unde aliud enuntiabile est, Christum incarnandum et incarnatum. Nec tamen fides mutata est; nam, ut dicit Augustinus ad Deogratias [2] et XVIII. de Civitate Dei [3], « eadem fides fecit salvos antiquos et novos, magnos et parvos, senes et iuvenes, quia sicut illi crediderunt incarnandum, ita nos credimus incarnatum ». Dico ergo, quod fides est circa verum complexum. Sed hoc potest esse duobus modis: aut sub indeterminata differentia temporis, id est, ut: Christum quandoque esse nasciturum, et hoc est de essentia fidei; aut sub determinata differentia temporis, et hoc non est de essentia fidei, sed est quaedam circumstantia respiciens potius fidei explicationem. « Sicut ergo explicatio accidit fidei nec mutat fidei essentiam, sic variatio temporis determinati fidem non variat [4] ». — Cornelius ergo, quantum est de ratione fidei, credidit, quandoque incarnandum [5]; illa autem determinatio temporis, in qua decipiebatur, non erat ex fide, sed ex coniectura humana. Possibile enim est, hominem fidelem ex humana con-

---

[1] De quibus cfr. Bonav., I. Sent. d. 41. a. 2. q. 2. in corp. (opinio 2.) et III. Sent. d. 24. a. 1. q. 3.

[2] Epist. 102. (alias 49.) q. 2. n. 12. « Itaque ab exordio generis humani, quicumque in eum crediderunt eumque utcumque intellexerunt et secundum eius praecepta pie et iuste vixerunt, quandolibet et ubilibet fuerint, per eum procul dubio salvi facti sunt. Sicut enim nos in eum credimus et apud Patrem manentem et qui in carne iam venerit, sic credebant in eum antiqui et apud Patrem manentem et in carne venturum »; cfr. supra q. 2. arg. 2.

[3] Loc. cit. c. 47, in quo s. Doctor de quaestione tractat, « an ante tempora christiana aliqui fuerint extra Israeliticum genus, qui ad caelestis civitatis consortium pertinerent », et dicit: « Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus est unus Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui venturus in carne sic antiquis Sanctis pronuntiabatur, quemadmodum nobis venisse nuntiatus est, ut una eademque per ipsum fides omnes in Dei civitatem, Dei domum, Dei templum praedestinatos perducat ad Deum ». — Cfr. August., II. de Nuptiis et concupiscentiis, c. 11. n. 24: « Eadem fides Mediatoris salvos iustos faciebat antiquos, pusillos cum magnis ». Vide etiam Bonav., III. pag. 515, notam 2; pag. 531, notam 1. ad textum Magistri et pag. 532, notam 1.

[4] Ut etiam dicit Bonav., III. Sent. d. 24. a. 1. q. 3. in corpore circa finem.

[5] Ita B a secunda manu; primitus legebat ut A *incarnari*.

iectura falsum aliquod existimare; non propter hoc fidei falsum subest aut subesse potest.

Ad 6. dicendum, quod non est simile, quoniam alia est natura *intellectus* atque alia *affectus*, ac per hoc alia est natura habituum intellectualium et affectualium. Affectus enim necessario praesupponit actum intellectus, quia, ut dicit Augustinus X. de Trinitate [1], « incognita non possumus diligere »; et ideo fertur super obiectum ut apprehensum et ut repraesentatum sibi per intellectum. Et quia intellectus repraesentat bonum, quamvis non sit bonum, ideo semper caritas bonum diligit, nec ei malum subest, quia non est suum discernere, sed est suum moveri secundum apprehensionem intellectus. Sed intellectus fertur super verum, quod dicit inhaerentiam et existentiam actualem; ideo fertur immediate super rem ipsam. Ideo suum est discernere, utrum sit, vel non sit; et si decipitur, falsum sibi subest. Sed quia fides movetur secundum illustrationem divinae veritatis, quae falli non potest, ut dictum est, ideo non potest sibi subesse falsum, aut si falsum subest, fides non est.

Vel potest adhuc alio modo responderi, distinguendo de caritate et de fide. Est enim duplex fides: una, quae est principium religionis, prout credimus articulos fidei vel [2] sacrae Scripturae et his quae articulos consequuntur et quae ex Scriptura eliciuntur; alia est fides, qua de quolibet homine credendum est bonum, nisi constet contrarium, et utraque fides virtus est. Dictat enim veritas prima, esse sibi assentiendum, praecipit nihilominus, de quolibet bonum esse credendum. Fidei primo modo dictae nullo modo potest subesse falsum, quia innititur primae veritati; fidei secundo modo dictae potest falsum subesse, quia innititur signis apparentibus et probabilibus. Sicut autem est duplex fides vel dupliciter dicta, ita est duplex caritas sive dupliciter dicta. Una est, quae sequitur dictamen fidei primo modo dictae et in his, de quibus est ipsa; et isti caritati nullo modo potest subesse malum, sicut nec fidei falsum. Caritati enim, qua diligimus bonum in generali, malum

---

[1] Cap. 1. n. 3. et 4. ac n. 1: « Rem prorsus ignotam amare omnino nullus potest ». Cfr. idem, VIII. de Trin. c. 4. n. 8; IX. c. 12. n. 18; XIII. c. 4. n. 7.

[2] Ita B a secunda manu; primitus cum A omisit *vel*.

subesse non potest. Alia est caritas vel alio modo dicta, quae sequitur fidem humanae existimationis et probabilitatis, quae dicit ex signis apparentibus, hunc esse bonum; et sicut huic fidei potest subesse falsum, ita huic caritati potest subesse malum.

Ad 7. dicendum, quod *spei* non potest subesse falsum, sicut nec fidei. Cuius ratio est, quoniam spes-virtus respicit et praesupponit exigentiam meritorum et perseverantiam finalem cum auxilio gratiae Dei. Qui autem sic sperat nunquam fallitur; omnis enim, qui habet gratiam et per illam se exercet in bonis operibus et in illis perseverat usque in finem, salvabitur; qui aliter sperat non sperat, sed praesumit.

Ad 8. dicendum, quod *adorationi* fide regulatae et directae non potest subesse falsum, sicut nec fidei. Fides enim dicit, adorandum corpus Christi, ubicumque sit; sed non dictat, esse corpus Christi, nisi servata forma a Christo et Ecclesia tradita. Et quia hoc non potest sciri, ideo dicit adorandum sub conditione: si factum est quod rite debuit, quia alias non est ibi corpus Christi; et sic adorans nunquam errat.

Ad 9. dicendum, quod non est simile, quoniam actus *divinae cognitionis* aeternus est et semper manet, actus autem factionis non semper est: immo desinit; propterea scita nunquam possunt falsificari, sed facta possunt destrui. Tamen sicut, quamdiu durat actus cognitionis, non possunt scita falsificari, ita, quamdiu durat actus factionis, non possunt facta destrui; secundum enim rationes illas causales producit res diversimode duraturas secundum exigentiam naturae suae et tamdiu eas conservat, quamdiu disposuit et ordinavit, eas manere secundum certam periodum; et quamdiu ordinavit, eas manere et durare, non possunt destrui, sicut nec scita a Deo falsificari. — Vel posset dici, quod [1] non est simile argumentum, quoniam *corruptio* dicit defectum rei absolutae et in se consideratae, qui in nullo repugnat causae efficienti [2]; sed falsificatio respicit potius defectum intellectus per comparationem ad rem, quia « falsum est in intellectu », secundum Philosophum [3]. Et

[1] Ita B a secunda manu; primitus ut A omisit *quod*.

[2] Ita bene B, A *facienti*.

[3] VI. Metaph. text. 8. (V. c. 4.): « Falsum et verum non sunt in rebus (ut quod bonum verum, quod vero malum falsum), sed in mente ». Cfr. etiam I.

quia res de se habent, quod possint deficere, quamvis sint a Deo conditae; sed intellectus divinus non habet, quod possit errare aut deficere. Hinc est, quod *facta* possunt corrumpi et destrui, sed *scita* non possunt falsificari.

Ad 10. dicendum, quod nullum est *credibile*, quod non possit mente percipi. — Ad auctoritatem autem Augustini dico, quod aliquid potest dici *intelligibile* duobus modis: aut quia intellectu perceptibile, aut quia per rationem sive demonstrationem probabile. Primo modo omnia historica sunt intelligibilia, quia intellectu percipiuntur, sicut et quaelibet singularia; secundo modo non sunt intelligibilia nec intelliguntur, quoniam facta particularia ratione probari non possunt. — Vel secundo posset dici, quod, licet singularia non sint intelligibilia, demus; tamen veritas singularium est intelligibilis, immo non nisi intellectu et mente percipi potest, sicut aequalia, licet sint sensibilia, tamen « ratio aequalitatis non nisi intellectu et mente percipitur », ut dicit Augustinus de Vera Religione [1]. Haec autem sensibilia sive particularia quaecumque non sunt credibilia secundum id quod sunt, sed prout sunt vera. — Vel tertio dicendum, quod, licet multa sint credibilia materialia, tamen unum est *formale credibile*, quod est ratio credendi in omni credito per fidem, et illud est prima veritas, cui fides propter se assentit; et illud est summe *intelligibile* et non nisi mente perceptibile.

Ad 11. patet responsio in solutione alterius argumenti consimilis [2], quoniam non tenetur credere, confitenti remitti peccatum simpliciter et in omnem eventum, sed concurrentibus omnibus, quae ad remissionem debent concurrere, scilicet vera contritione, pura confessione et proposito non peccandi et gratiae infusione; istis concurrentibus, tenetur credere, sed tunc fides non fallitur. Utrum autem iste sit pure confessus et vere contritus, aut habeat perfectum propositum non peccandi, aut gratia sit sibi infusa, sine qua peccata non remittuntur, hoc non tenetur credere nec est de fide, sed de humana existima-

---

Periherm. c. 1. seqq., et Bonav., l. pag. 562, nota 10; pag. 590, nota 2; pag. 828, nota 2.

[1] Cap. 30. n. 55: « Ipsa vera aequalitas ac similitudo atque ipsa vera et prima unitas non oculis carneis neque ullo tali sensu, sed mente intellecta conspicitur ».

[2] Scilicet ad 8. (pag. 123).

tione vel coniectura; haec autem fallitur frequenter, nec est mirum. Debemus autem de quolibet bonum existimare, nisi constet contrarium, sed ista non est credulitas fidei, de qua hic loquimur.

Ad 12. patet responsio in alio consimili argumento facto de caritate [1]. Posset tamen dici ad propositum, quod quia stimulus malum est, ideo amotio stimuli bonum erat; sed illud, licet esset bonum simpliciter, tamen per accidens poterat esse non bonum vel malum, in quantum scilicet Apostolus per hoc humiliabatur. Apostolus ergo volebat, sibi auferri stimulum, prout bonum erat *per se;* nec est hoc inconveniens. — Vel dicendum, quod caritas, quia faciebat voluntatem Apostoli conformem voluntati divinae, non faciebat velle amotionem stimuli simpliciter et in omnem eventum, sed si Deo esset placitum, vel salva divina voluntate. Hoc autem in volendo non fuit malum; sicut enim caritas diligit per se bonum primum et omnia alia propter illud, facit omnia velle, prout Deus vult et si Deus vult, in certis simpliciter, in dubiis sub conditione.

Ad 13. dicendum, quod revera divina praescientia aut fides non immutat rei naturam nec aufert contingentiam aut imponit necessitatem absolutam, immo semper remanet contingens in natura sua et absolute, tamen relatum ad divinam praescientiam sortitur quandam *necessitatem;* quae non est necessitas simpliciter, sed *conditionalis,* eo quod non possunt ista duo stare simul, ut Deus praesciat, et fides credat, et aliter eveniat; et illam vocant magistri *necessitatem consequentiae.* Licet enim necessario sequatur: si Deus praescit hoc, ergo erit; non tamen erit de necessitate, quam Boethius vocat V. de Consolatione [2] *necessitatem conditionis,* Anselmus vero *necessitatem sequentem rei positionem;* sicut, me sedere est contingens, tamen sedentem sedere est necessarium; similiter, te sedere, est contingens, tamen si video, te sedere, te sedere est necessarium; nec tamen mea visio cogit te sedere, aut prohibet, te non sedere. Ita omnino in parte ista intelligendum est.

---

[1] Supra pag. 122, solut. ad 6.

[2] Prosa 3. et 6, et Anselm., II. Cur Deus homo, c. 18. (alias 17.): «Est necessitas praecedens (efficiens), quae causa est, ut sit res; et est necessitas sequens, quam res facit»; et de Concord. praesc. Dei cum lib. arb. q. 1. c. 3. et q. 2. c. 3. Cfr. supra pag. 118, solut. ad 3. nota 3.

Ad 14. dicendum, quod divina praescientia non est causa crediti, sicut nec praesciti; unde argumentum non valet. Potest tamen dici, quod si causa praesciti est *contingens*, et ipsum est contingens *in se* et *absolute;* tamen quia divina veritas est ratio praesciendi vel credendi, quae falli non potest, ideo praescitum non potest non evenire relatum ad divinam praescientiam; sed ista non est *necessitas absoluta*, quae tollit contingentiam, sed *conditionalis*, quae stat cum *contingentia*. Ut enim pluries dictum est[1], necessitas relata vel conditionalis et contingentia absoluta simul stant.

Ad 15. similiter patet responsio. Possumus enim loqui de *credito* duobus modis: vel secundum id *quod est*, vel *ut est creditum;* quamvis ergo divina praescientia non sit de ratione crediti secundum id quod est, est tamen de ratione crediti, ut creditum est, quia est *ratio credendi*, et ei in credendo fides innititur. Ideo argumentum non valet.

Ad 16. potest multipliciter responderi: primo, quod Hugo non describit ibi fidem, prout hic de fide loquimur; accipit enim fidem, prout dicitur quidam assensus ex probabilitate rationum, et tunc ista tria, quae ponit, se habent per ordinem illum, quem Hugo ponit. Cum enim aliquid proponitur nobis, quod habeat *rationes* ad *utramque partem*, licet rationes ad unam partem praeponderent, accipimus illam partem, tamen cum formidine, et vocatur *opinio*. Aliquando aliquid proponitur nobis, quod habeat *probabilitatem rationum* magnam et evidentem, non tamen habet rationes demonstrativas, et huic simpliciter assentimus, et vocatur *fides*. Aliquando aliquid proponitur nobis, quod habeat demonstrativas rationes, et huic assentimus certius, et haec notitia vocatur *scientia*. — Vel potest dici secundum mentem Hugonis melius, quod *fides* et *scientia* possunt comparari respectu *eiusdem*, vel respectu *diversorum*. Si respectu eiusdem, utpote quando id quod primo credimus per fidem, postmodum scimus per rationem demonstrativam, aut per visum; tunc absque dubio verum est, quod maior est *certitudo scientiae* quam *fidei*, maior, dico, quantum ad *cognitionem*, non maior quantum ad *meritum*. Si respectu diversorum, *scientiam* scilicet per *rationes natura-*

[1] Supra in solut. ad 3. et 13.

*les* de rebus naturalibus et *fidem*, qua assentimus rebus divinis, ab ipsa prima veritate illustrari, tunc absque dubio non est verum; maior enim est *certitudo fidei* quam *scientiae*, non certitudo demonstrationis, sed revelationis et adhaesionis et internae illuminationis. Unde *ibi* est maior certitudo evidentiae, sed in *fide* est maior certitudo adhaerentiae, quia est de absentibus sive non apparentibus. Alias forma argumenti non valet; non enim sequitur: obiectum est infra obiectum; hoc est certissimum: ergo illud est incertum, vel potest esse falsum; sunt enim gradus in *certis* et in *veris* secundum plus et minus.

Ad 17. dicendum est, quod aliter accipitur *argumentum* ab Apostolo, quam in logicis accipitur; ibi enim *argumentum* facit fidem, sed hic fides facit *argumentum*, id est certitudinem. Unde exponit illud Hugo in X. parte I. libri de Sacramentis [1], dicens: « *Fides est argumentum non apparentium*, quia per eam probantur quae occulta sunt nobis ». — Vel dicendum, quod sicut *argumentum* facit certitudinem rebus dubiis, non quod remaneant dubiae, sed quae erant dubiae, per argumentum fiunt certae; ita *fides* res, quae nobis erant dubiae, facit certas et indubitabiles.

Ad 18. dicendum, quod infallibilitas et certitudo in fide sive in credendo non est ex parte *crediti*, quod secundum naturam suam mutabile est et contingens; neque ex parte habitus *fidei*, qui similiter est mutabilis; nec ex parte *mentis*, quae de fideli potest fieri infidelis, sed ex parte *increatae veritatis*, quae est ratio credendi, et cui mens per habitum fidei innititur, ita quod, quamdiu manet fides, et per eam mens primae veritati innititur, de his quae fides dictat, non potest decipi, sicut nec prima veritas falli potest. Et est exemplum beati Augustini XIV. de Trinitate [2], ubi dicit, quod « mens videt quaedam vera immutabilia. Ubi ergo videt? Non in rebus ipsis, quae mutabiles sunt, neque in habitu suae mentis, cum eas constet esse mutabiles. Ubi ergo videt? In libro lucis illius, quae *Veritas* dicitur ». Ita est in proposito suo modo.

---

[1] Cap. 2. — Locus Scripturae est Hebr. 11, 1.

[2] Cap. 15. n. 24. Cfr. supra pag. 55, nota 1. et pag. 8, nota 1. — Pro *illius, quae* codd. iterum minus congrue *illius, qui*.

Ad 19. patet responsio: quoniam verum est, quod *voluntas* est mutabilis et cogitatio mutabilis et *voluntarie* assentit, non necessario. Non est autem certitudo ex parte *cogitationis* aut *voluntatis*, quia de se potest mutari de fide in errorem; sed ex parte *luminis primi*, cui quamdiu mens innititur, falli non potest in his, in quibus sibi innititur. — Quod tamen dicit, quod intellectus potest intelligere falsum, et voluntas potest velle malum; dico, quod est falsum; « falsa enim non intelliguntur, ut dicit Augustinus XII. super Genesim ad litteram [1]; si enim intelligit, est verum, aut si non intelligit, non est verum »; potest tamen intellectus [2] existimare verum quod falsum est. Similiter *voluntas* non potest velle malum ut malum, sed aut vult bonum, aut, si malum, sub aliqua ratione et apparentia *boni*.

## QUAESTIO V.

**Quinto quaeritur, utrum ea, de quibus est fides, possint ratione probari.**

Ad quaestionem arguitur primo, quod ea, de quibus est fides, non possint *ratione probari*.

1. Apostolus [3]: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium;* quod tractans Gregorius dicit: « Profecto liquet, quia fides illarum rerum argumentum est, quae apparere non possunt. Quae etenim apparent iam fidem non habent, sed agnitionem ». Sed quae per rationem probantur apparent. Ea igitur, de quibus est fides, non possunt ratione probari.

---

[1] Cap. 14. n. 29: « Aut enim non intelligit qui aliud opinatur, quam est; aut si intelligit, continuo verum est »; et c. 25. n. 52: « In illis intellectualibus visis non fallitur; aut enim intelligit et verum est; aut si verum non est, non intelligit ». Cfr. etiam Serm. 23. c. 5. n. 5: « Qui enim intelligit verum intelligit; qui autem putat falsum non intelligit »; XV. de Trin. c. 10. n. 17: « Nemo enim falsa novit, nisi cum falsa esse novit; quod si novit, verum novit. Verum est enim, quod illa falsa sint »; ac Aristot., I. Poster. c. 2: « Quod non est non est scire »; cfr. et II. Metaph. text. 4. (I. brevior, c. 1.).

[2] Codd. minus bene *intellectu*.

[3] Hebr. 11, 1, quae verba tractat Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 8.

2. Item, Hugo I. libro de Sacramentis [1], assignans gradus notitiae sive cognitionis, dicit, quod « aliqui sunt negantes, aliqui dubitantes, aliqui existimantes, aliqui credentes, aliqui intelligentes ». Inde arguitur sic: nulla duorum membrorum praecedentium simul possunt coincidere: ergo neque duo ultima pari ratione; verbi gratia: Nullo modo possunt simul stare negantes et dubitantes, dubitantes et existimantes, existimantes sive opinantes et credentes: ergo neque simul credentes et per rationem intelligentes: ergo etc.

3. Item, Augustinus in Epistola ad Paulinam de Videndo Deo in numero Epistolarum 112 [2]: « Aliud, inquit, est aliquid sentire per corpus, sicut in caelo solem et in terra montem, arborem corpusve quodlibet; et aliud mentis intuitu rem nihilominus evidentem conspicere, sicut nostra voluntas a nobismetipsis intus aspicitur, cum aliquid volumus, vel memoria, dum recordamur, vel cogitatio, cum cogitamus, vel tale aliquid in animo sine corpore; aliud autem credere quod in corporis mentisve conspectu nec adest nec affuisse recolitur, sicut sine parentibus creatum Adam et natum ex Virgine passumque resurrexisse Christum », et his similia; et post [3]: « Inter videre

---

[1] Part. X. c. 2: « Sunt enim quidam, qui audita statim animo repellunt et contradicunt his quae dicuntur; et hi sunt *negantes*. (Alii de iis quae audiunt, iudicium rationis suspendunt respectu utriusque partis contradictionis, ita quod neutrum praeeligant alteri; hi sunt *dubitantes*). Alii in iis quae audiunt, alteram quamcumque partem eligunt ad existimationem, sed non approbant ad affirmationem; quamvis enim unum ex duobus magis probabile intelligant, utrum tamen adhuc id ipsum verum sit, asserere non praesumunt; hi sunt *opinantes*. Alii sic alteram partem approbant, ut eius approbationem etiam in assertionem assumant; hi sunt *credentes*. Post ista genera cognitionis illud perfectius sequitur, cum res non ex auditu solo, sed per suam praesentiam notificatur. Perfectius enim agnoscunt qui ipsam rem, ut est in sua praesentia, comprehendunt; hi sunt *scientes*. Primi ergo sunt negantes, secundi dubitantes, tertii opinantes, quarti credentes, quinti scientes ». — Quae leguntur in parenthesi sunt secundum Bonav., III. Sent. d. 17. dub. 3; in edit. Migne hoc membrum desideratur.

[2] Nunc 147. c. 4. n. 6.

[3] Loc. cit. c. 2. n. 7: « Num satis est, ut inter videre et credere hoc distare dicamus, quia praesentia videntur, creduntur absentia? Plane forsitan satis est, si praesentia illa hoc loco intelligamus dicta, quae praesto sunt sensibus sive animi, sive corporis, unde etiam ducto vocabulo praesentia nominantur. Sic enim hanc lucem corporis sensu, sic et meam voluntatem plane video, quia praesto est animi sensibus atque intus mihi praesens est. Si quis vero mihi indicet

et credere hoc distat, quod videntur praesentia, creduntur absentia; creduntur quae absunt, videntur quae praesto sunt ». Sed quae per rationem probantur et cernuntur praesentia et praesto sunt sive praesentia mentis conspectui: ergo ea, de quibus est fides, ratione probari non possunt.

4. Item, Hugo I. libro de Sacramentis [1] dicit: « Alia sunt ex ratione, alia secundum rationem, alia supra rationem, alia contra rationem. Ex ratione sunt necessaria, secundum rationem sunt probabilia, supra rationem sunt mirabilia, contra rationem sunt incredibilia. Et duo quidem extrema omnino fidem non capiunt. Quae enim sunt ex ratione omnino nota sunt et credi non possunt, quia sciuntur; quae vero contra rationem sunt nulla similiter ratione credi possunt, quoniam non suscipiunt ullam rationem, nec acquiescit his ratio aliquando: ergo quae secundum rationem sunt et quae supra rationem tantummodo fidem suscipiunt. Et in primo quidem genere fides ratione adiuvatur, et ratio fide perficitur, quoniam secundum rationem sunt quae creduntur. Quorum veritatem etsi ratio non comprehendit, fidei tamen illorum non contradicit. In iis autem, quae supra rationem sunt, non adiuvatur fides ratione ulla, quoniam non capit ea ratio, quae fides credit ». Ex primo apparet, quod fides nullo modo potest esse eorum, de quibus est scientia; ex tertio, quod nullo modo ratio haberi potest de his quorum est fides: ergo etc.

5. Item, secundum Philosophum [2] « singularia non possunt demonstrari ». Cui concordat Augustinus in libro 83 Quaestionum [3], ubi dicit, quod « aliqua sunt, quae semper creduntur et nunquam intelliguntur, sicut est omnis historia particularia

---

voluntatem suam, cuius os et vox mihi praesens est; tamen, quia ipsa voluntas, quam mihi indicat, latet sensum corporis et animi mei, credo, non video; aut si eum mentiri existimo, non credo, etsi forte, ut dicit, ita sit. Creduntur ergo illa, quae absunt a sensibus nostris, si videtur idoneum, quod eis testimonium perhibetur, videntur autem quae praesto sunt, unde et praesentia nominantur vel animi vel corporis sensibus ».

[1] Part. III. c. 30.

[2] I. Poster. c. 14. (c. 18.): « Singularium enim sensus est; non enim contingit accipere ipsorum scientiam ». Cfr. ibid. c. 24. (c. 31.) et II. de Anima, text. 60. (c. 5.). Vide etiam Bonav., V. Collat. in Hexaëm. collat. 10. (pag. 377) n. 4. et pag. 207, notam 1.

[3] Quaest. 48, ubi textus *temporalia et humana gesta* pro *particularia facta*.

facta percurrens »; sed fides tota fere est de singularibus: ergo ea, de quibus est fides, non possunt ratione probari.

6. Item, ea, de quibus est fides nostra, pro magna parte sunt contingentia, sicut mundum produci, antequam produceretur, et Christum incarnari, antequam incarnaretur, et resurrectionem futuram. Sed secundum Philosophum [1] « ratio demonstrativa non est nisi eorum quae non contingit aliter se habere »: ergo etc.

7. Item, « in nulla scientia probantur propria principia, sed supponuntur tanquam per se nota [2] »; alias esset abire in infinitum, sicut patet de hoc principio: « Omne totum est maius sua parte [3] »; sed articuli, de quibus est fides, potissime sunt principia altissimae scientiae: ergo nullo modo possunt probari ratione.

8. Item, omnis ratiocinatio nostra accipitur ex rebus sensibilibus, aut saltem ex rebus creatis [4]; sed « omnis creatura deficit a divinis, nec invenitur similitudo, quae non sit ex maiori parte dissimilis », secundum Augustinum XV. de Trinitate [5]. — *Rursus*, mirabilia opera, de quibus est fides, nec rationem nec exemplum habent in natura; alias non essent mirabilia, secundum Augustinum ad Volusianum [6] dicentem: « Hic si exemplum poscitur, non erit singulare; est loquens de incarnatione; si ratio quaeritur, non erit admirabile. In rebus enim mirabilibus tota ratio facti est potentia facientis »: ergo etc.

---

[1] I. Poster. c. 4: « Quoniam autem impossibile est, aliter se habere id cuius est scientia simpliciter, necessarium utique erit, id esse scibile, quod est secundum demonstrativam scientiam. Demonstrativa autem est, quam habemus in habendo demonstrationem; ex necessariisque itaque syllogismis est demonstratio ». Cfr. etiam ibid. c. 1. et 5. seqq. [2] Aristot., I. Poster. c. 7. seq.

[3] Ut etiam dicit Aristot., Problem. sect. 16. n. 7: « Totum maius apparet partibus divisis ».

[4] Cfr. Aristot., III. de Anima, text. 39. (c. 8.): « Formis sensibilibus innituntur intelligibilia... atque idcirco qui nihil sentit nihil discere vel comprehendere potest »; vide et de Sensu et sensibilibus, c. 6.

[5] Cap. 20. n. 39: « Verum ne hanc imaginem ab eadem Trinitate factam et suo vitio in deterius commutatam ita eidem comparet Trinitati, ut omni modo existimet similem, sed potius in qualicumque ista similitudine magnam quoque dissimilitudinem cernat, quantum esse satis videbatur, admonui » (cfr. c. 11. n. 20. seq., c. 14. n. 23, c. 15. n. 26, ubi inter alia legitur: « Semper enim natura minor est faciente, quae facta est »). Cfr. Bonav., I. Sent. d. 13. dub. 8.

[6] Epist. 137. (alias 3.) c. 2. n. 8.

9. Item, secundum Philosophum in II. Ethicorum [1], « virtus est circa difficile », et circa maxime difficile, maxima virtus; sed fides virtus est et inter virtutes maxime habet de ratione virtutis. Sed ea quae habent rationem, nullam habent difficultatem: ergo ea, de quibus est fides, non possunt habere rationem.

10. Item, quaecumque possunt per rationem probari subsunt iudicio rationis; nam, secundum Augustinum [2], iudicium non est nisi de re inferiori; sed ea, de quibus est fides, sunt supra rationem et supra rationis iudicium: ergo ea, de quibus est fides, non possunt ratione probari.

11. Item, Damascenus [3]: « Quocirca omnia, quae tradita sunt nobis, tam per Legem et Prophetas quam per Apostolos et Evangelistas, suscipimus et veneramur et cognoscimus, nihil ultra hoc inquirentes ». Ergo in his quae fidei sunt, non debet ratio requiri; sed si posset haberi, deberet requiri: ergo etc.

12. Item, Apostolus [4]: *Captivantes omnem intellectum in obsequium Christi.* Ex hoc colligitur, quod ea quae fidei sunt, transcendunt nostrum intellectum. Ex hoc arguitur sic: « Nullum accidens transcendit seu excedit subiectum, in quo est », secundum quod dicit Augustinus IX. libro de Trinitate [5]; sed ratio

---

[1] Cap. 3.

[2] II. de Lib. Arb. c. 14. n. 38: « Nullus de illis legibus (per quas iudicamus certitudinaliter de omnibus sensibilibus) intellectus iudicat, sed per illas »; de Vera Religione, c. 31. n. 58: « Iudex non iudicat de lege, sed secundum ipsam iudicat de aliis ». Cfr. Bonav., I. pag. 69, nota 12; V. pag. 302, nota 1. et pag. 17, nota 4; ac de Humanae Cognitionis ratione, pag. 50 seqq.

[3] I. de Fide orthod. c. 1, ubi in textu pro *suscipimus* etc. leguntur: amplectimur, agnoscimus et veneramur, nec ultra ea quidquam inquirimus. — Pro *Quocirca* codd. perperam *Quoniam* (quod tamen in B a secunda manu expunctum est).

[4] II. Cor. 10, 5, ubi Vulgata: In captivitatem redigentes omnem etc.

[5] Cap. 4. n. 5: « Simul etiam admonemur, si utcumque videre possumus, haec (scil. mentem et amorem et notitiam) in anima existere et tanquam involuta evolvi, ut sentiantur et dinumerentur substantialiter, vel, ut ita dicam, essentialiter non tanquam in subiecto, ut color aut figura in corpore, aut ulla alia qualitas, aut quantitas. Quidquid enim tale est, non excedit subiectum, in quo est. Non enim color iste, aut figura huius corporis potest esse et alterius corporis. Mens autem amore, quo se amat, potest amare et aliud praeter se. Item, non se solam cognoscit mens, sed et alia multa. Quam ob rem non amor et cognitio tanquam in subiecto insunt menti, sed substantialiter etiam ista sunt, sicut ipsa mens, quia, etsi relative dicuntur ad invicem, in sua tamen singula quaeque substantia ». Cfr. Bonav., I. Sent. d. 3. p. II. a. 2. q. 2.

est accidens intellectus: ergo non transcendit intellectum: ergo sicut intellectus non potest pertingere ad ea quae fidei sunt, ita nec ratio: ergo etc.

13. Item, ea quae sunt *contra rationem* non possunt per rationem probari; sed multa, de quibus est fides, sunt contra rationem: ergo saltem illa non possunt per rationem probari. *Probatio minoris* apparet in Sacramento altaris, in quo accidentia manent sine subiecto; quod omnino est contra rationem, implicat enim contradictionem; « accidentis enim esse est inesse [1] »: ergo si non inest, non est: ergo simul est et non est: ergo etc.

14. Item, ea quae se habent *secundum sub* et *supra*, id quod convenit ei quod est supra secundum quod huiusmodi, non convenit ei quod est infra secundum quod huiusmodi; sed fides et scientia se habent secundum sub et supra. Nam, ut dicit Hugo I. libro de Sacramentis [2], « fides est quaedam certitudo mentis supra opinionem et infra scientiam constituta ». Sed « scientiae convenit, ut scientia est, secundum Augustinum [3], ratione habere suasum »: ergo hoc non convenit fidei, ut fides est: ergo ea quae fidei sunt per rationem suaderi non possunt.

15. Item, sicut se habet spes ad obtinendum quod speratur, ita se habet fides ad sciendum quod creditur; sed nihil, quod speratur, dum speratur, obtinetur: ergo nihil, quod creditur, dum creditur, scitur sive intelligitur: ergo nihil creditum potest per rationem probari.

16. Item, duo importat fides, scilicet certitudinem et obscuritatem. Unde posset sic describi fides, quod est certitudo quaedam de divinis cum aenigmate, ita quod per certitudinem convenit cum scientia, per obscuritatem convenit cum igno-

---

[1] Ut dicit Aristot., I. Topic. c. 5: « Accidens rei inest et est id quod contingit inesse et non inesse »; et de Praedicam. c. *de Substantia:* « Nullum accidens est nisi in substantia individua »; ac VII. Metaph. text. 2. (VI. c. 1.): « Accidens non est *ens*, sed *quid entis* » (scil. substantiae).

[2] Part. X. c. 2: « Fides est certitudo quaedam animi de rebus absentibus supra opinionem et infra scientiam constituta ».

[3] I. Retract. c. 14. n. 3: « Proprie quippe cum loquimur, id solum scire dicimus, quod mentis firma ratione comprehendimus »; cfr. idem, de Quantitate animae, c. 26. n. 50: « Scientia tunc est, cum aliquid firma ratione percipitur ».

rantia. Sed ex ea parte, qua convenit cum scientia, propter certitudinem nullum creditum ignoratur: ergo ex ea parte, qua convenit cum ignorantia, nihil, quod creditur, scitur: ergo etc.

CONTRA:

1. Augustinus XIV. de Trinitate[1]: « Non quidquid ab homine sciri potest in rebus humanis, ubi est plurimum supervacaneae vanitatis et noxiae curiositatis, huic scientiae tribuo, sed illud tantummodo, quo fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur ». Sed nutritio fidei et roboratio est per rationes: ergo etc.

2. Item, Hugo I. libro de Sacramentis[2] distinguens tria genera credentium, dicit: « Quidam sunt fideles, qui sola pietate credere eligunt, qui tamen, utrum credendum sit, an non credendum sit, ratione non comprehendunt; alii ratione approbant quod fide credunt; alii puritate cordis et munda conscientia interius iam gustare incipiunt quod fide credunt. In primis sola pietas facit electionem; in secundis ratio adiungit approbationem; in tertiis puritas intelligentiae apprehendit certitudinem »: ergo etc.

3. Item, Augustinus de Utilitate credendi[3]: « Quod credimus, debemus auctoritati; quod intelligimus, rationi »; sed omnia credibilia sunt intelligibilia, quia ad hoc ordinatur donum intellectus: ergo omnia credibilia possunt per rationem probari.

4. Item, inter omnia ea, de quibus est fides, maximum, excellentissimum et arduissimum est mysterium Trinitatis; sed ad hoc philosophi pervenerunt per rationes, cum non essent illuminati radio fidei: ergo omnia alia multo fortius possunt per rationem probari. *Probatio minoris* apparet per Augustinum X. de Civitate Dei[4], ubi dicit, quod « Porphyrius Pla-

---

[1] Cap. 1. n. 3; cfr. XIII. de Trin. c. 1. et 19.

[2] Part. X. c. 4. [3] Cap. 11. n. 25.

[4] Cap. 23: « Dicit enim Deum Patrem et Deum Filium, quem Graece appellat paternum intellectum vel paternam mentem; de Spiritu autem sancto aut nihil, aut non aperte aliquid dicit; quamvis quem alium dicat horum, non intelligo. Si enim tertiam, sicut Plotinus, ubi de tribus principalibus substantiis disputat, animae naturam etiam iste vellet intelligi, non utique diceret horum me-

tonicus praedicabat Patrem et paternum intellectum et quoddam medium, per hoc intelligens Spiritum sanctum ».

5. Item, idem VII. Confessionum [1] recitat, quod invenit in quibusdam libris Platonicorum Evangelium Ioannis, etsi non eisdem verbis, tamen eisdem sententiis: « quod *in principio erat Verbum*, et quod *Verbum erat apud Deum*, et quod *Deus erat Verbum*, et quod *omnia per ipsum facta sunt*, et quod *factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hominum*, et quod *lux in tenebris lucet*, usque: *Fuit homo missus a Deo* ». Sed hic explicatur mysterium Trinitatis: ergo etc.

6. Item, nulla potentia merito culpatur, si non deveniat aut tendat in obiectum suum, si medium deveniendi in illud sibi deficiat. Exemplum de visu. Sed medium in cognitione certitudinali intellectuali est aut demonstrationis violentia, aut rei evidentia; sed intellectus culpatur, quia non pervenit ad notitiam divinorum: ergo non deest sibi medium perveniendi ad illorum notitiam. Sed constat, quod non est ibi rei evidentia: ergo potest habere necessariam demonstrationem.

7. Item, in libro Posteriorum [2] distinguit Philosophus *demonstrationem propter quid*, quae est per causam, et *demonstrationem quia*, quae est per effectum. « Effectus autem proprius necessario ducit in cognitionem causae [3] »; sed daemones sciunt, homines damnatos esse propter peccatum infidelitatis: ergo necessario sciunt ea quae credenda sunt, quia non possunt scire, istos esse infideles, nisi sciant et intelligant credenda per fidem. Ergo etc.

8. Item, Augustinus I. de Trinitate [4] dicit, quod « nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquid invenitur, quam ubi quaeritur unitas Trini-

---

dium, id est Patris et Fili medium. Postponit quippe Plotinus animae naturam paterno intellectui; iste autem, cum dicit medium, non postponit, sed interponit. Et nimirum hoc dixit, ut potuit sive ut voluit, quod nos Spiritum sanctum Patris tantum nec Filii tantum, sed utriusque Spiritum dicimus ».

[1] Cap. 9. n. 13. — De istis sententiis cfr. Ioan. 1, 1-5.

[2] Scil. I. c. 10. (c. 13.) et II. c. 1. seqq. Cfr. Bonav., III. pag. 521, nota. 8.

[3] Ut dicit Aristot., II. Poster. c. 12. (c. 15.): « Ab effectu ad causam valet demonstratio », et c. 17. (c. 14.): « Ex causato sequitur causa et contra (causa enim prius est eo cuius est causa) ». Cfr. etiam Bonav., Sent. I. d. 3. p. I. q. 2.

[4] Cap. 3. n. 5.

tatis, Patris et Filii et Spiritus sancti »: ergo notitia Trinitatis necessaria est ad salutem. Sed « natura inferior non deficit in necessariis », secundum Philosophum [1]: ergo multo minus natura suprema. Ergo de se humanus intellectus sine habitu fidei potest ad notitiam Trinitatis pervenire; et hoc non nisi per rationes naturales: ergo etc.

9. Item, « qui potest in maius potest in minus [2] »; sed maius est diligere Deum propter se et super omnia, quam intelligere Deum trinum et unum, quod est per fidem credibile. Sed per rationem probari potest, Deum esse propter se et super omnia diligendum: ergo per rationem probari potest, Deum esse trinum et unum.

10. Item, quod non creditur impossibile est sciri: ergo quod creditur necesse est sciri; sed « scire non est nisi per rationem », secundum Augustinum [3]: ergo etc.

RESPONDEO:

Circa istam quaestionem diversae sunt opiniones. Quidam enim dicunt, quod ea quae fidei sunt, nullo modo possunt esse per rationem probata, ita quod unus et idem, vel [4] apud unum et eundem sit aliquid per fidem creditum et per rationem probatum. Quorum ratio est, quoniam *creditum*, unde creditum, est *non visum; scitum* autem per rationem, hoc ipso quod scitum, est *visum:* ideo sicut idem non potest esse visum et non visum ab uno et eodem, ita nec creditum per fidem et scitum per rationem.

Ista positio, licet sit magnorum [5], tamen sine praeiudicio non videtur mihi *probabilis*, primo: quoniam, si unus et idem non potest unam et eandem veritatem credere et scire, tunc si primo credat et postea per rationem intelligat, ratio fidem tolleret; quod est falsum. Nam cum omnes articuli fidei sint per donum intellectus sive per rationem intelligibiles, ut dicit Augustinus [6], tantum posset quis proficere in vita ista, quod

---

[1] l. de Anima, text. 45. (c. 9.).

[2] Ut dicit regula iuris 35. in VI: « Plus semper in se continet quod est minus »; cfr. ibid. regula 53.

[3] l. Retract. c. 14. n. 3; cfr. supra pag. 133, nota 3.

[4] Ita A, B *et.*

[5] Verbi gratia: S. Thomae; cfr. Bonav., III. Sent. d. 24. a. 2. q. 3. in corp. et scholion ac dub. 3.

[6] Cfr. Bonav., III. Sent. d. 24. a. 3. q. 1. seqq.

omnino tolleretur fides; quod omnino est falsum, et videmus contrarium, quoniam quanto quis magis proficit in intellectu, tanto magis proficit in fide. — Secundo, quoniam certum est, quod Deum esse unum, demonstrative probatum est a philosophis, sicut apparet in VIII. Physicorum [1], similiter Deum esse creatorem; *ulterius*, manifestum est, quod hoc dicit auctoritas Scripturae a Deo revelatae in Deuteronomio [2]: *Dominus Deus tuus Deus unus est;* et in principio Genesis: *In principio creavit Deus caelum et terram:* quaero, utrum isti veritati magis adhaereat intellectus fidelis propter rationem, vel propter auctoritatem. Certum est, quod propter auctoritatem, quia propter illam exponeret vitam. Ergo ista duo simul stant, quod *intelligat* per rationem et quod *credat* per fidem, et unum alterum non excludit. *Ulterius* pono, quod iste qui credit primo et postea intellexit per rationem, si ratio fidem tollit, dato, quod obliviscatur rationis, quod possibile est, tunc aut remanebit sine omni notitia; aut necesse est, isti iterato fidem infundi, quod non videtur probabile; aut necesse est, simul stare fidem et rationem. — Tertio, quoniam ponit omnino incompossibilia fidem et intellectum, quoniam, ut dicit Augustinus de Utilitate credendi [3], « quod credimus, debemus auctoritati; quod intelligimus, rationi »; quod omnino falsum est, immo intellectus nunquam est sine fide, prout dicitur Isaiae septimo [4]: *Nisi credideritis, non intelligetis.*

Et ideo ad quaestionem propositam respondendum est sine praeiudicio, quod de *credibilibus* possumus loqui duobus modis: aut ex parte *ipsorum credibilium*, aut ex parte *nostrorum intellectuum*. Si ex parte *ipsorum credibilium*, dico, quod omnia credibilia habent certissimas rationes. Veritas enim prima, quae ad credendum illustrat, non potest esse sine ratione; et hoc dicit Richardus de sancto Victore I. libro de Trinitate [5]: « Credo sine dubio, ad quorumlibet explanationem, quae necesse est esse, non modo probabilia, immo etiam

---

[1] Per totum, praesertim a text. 45. usque ad text. 54. Cfr. Bonav., V. Collat. in Hexaëm. collat. 5. n. 15.

[2] Cap. 6, 4. et sequitur Gen. 1, 1.

[3] Cap. 11. n. 25.

[4] Vers. 9. (secundum LXX).

[5] Cap. 4. — In edit. legitur, sicut etiam primitus in codd., certe tamen superflue, *quoniam* post *dubio*.

argumenta necessaria non deesse, quamvis illa interim contingat industriam nostram latere »; et post: « Videtur autem omnino impossibile, omne necessarium non esse et necessaria ratione carere ».

Si autem loquamur de credibilibus sive de his quae fidei sunt, ex parte *nostrorum intellectuum;* dico, quod quaedam sunt credibilia, quae sunt quasi fidei fundamenta sive fundamentalia principia, ut sunt communia in divinis, ut Deum esse, Deum esse unum, Deum esse simplicem, aeternum, immensum sive infinitum, immutabilem, summe potentem, summe sapientem et summe bonum, et his similia; et haec quidem possunt demonstrative probari necessaria ratione per naturalem investigationem ab intellectu, tam fideli quam infideli, sicut et demonstraverunt philosophi, sicut apparet per Philosophum VIII. Physicorum [1] et II. Metaphysicorum; et Apostolus dicit [2]: *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et Divinitas,* quoniam, ut dicitur in libro Sapientiae, *a magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Quamvis autem ista demonstrativa ratione probentur, nihilominus tamen per fidem creduntur, sicut Apostolus dicit [3]: *Oportet accedentem credere, quia est;* et Augustinus XI. de Civitate Dei: « Visibilium omnium maximum mundus est, invisibilium omnium maximus est Deus; tamen mundum esse videmus et Deum esse credimus », ita quod in his istae duae notitiae, scilicet per fidem et per demonstrationem, se invicem non excludunt, ut iam in parte visum est et adhuc planius et plenius videbitur.

Alia sunt credibilia, quae pertinent ad *propria in divinis,* ut est mysterium Trinitatis, quod Pater genuit Filium sibi coaequalem et consubstantialem, quod a Patre et Filio procedit eis coaequalis et consubstantialis Spiritus sanctus tanquam utriusque amor mutuus et nexus, et hae tres personae unus sunt Deus. Haec autem quamvis, ut dictum est, « habeant necessarias rationes », quoniam « habent necessariam et immuta-

[1] Per totum, praesertim a textu 45. usque ad 54. (cfr. supra pag. 137, nota 1.) et II. Metaph. text. 6. (II. c. 2.).

[2] Rom. 1, 20. et sequitur Sap. 13, 5.

[3] Hebr. 11, 6. — Sequitur August., loc. cit. c. 4. n. 1.

bilem veritatem », ut dicit Richardus [1], tamen, quia excedunt intellectum humanum et omnino sunt supra rationem, ideo virtute intellectus ad illorum probationem pertingi non potest; sed mens fide purgata et elevata, per quam venitur ad intellectum, quia, ut dicit Augustinus [2], « fides aperit viam intellectui », et dono intellectus superinfuso ad illorum cognitionem et probationem pervenire potest, tam ex conditionibus divinis quam ex vestigiis in creatura repertis, et maxime ex ratione imaginis, sicut probaverunt Augustinus et Richardus. Unde Augustinus [3], distinguens tria genera credibilium, dicit: « Tertium genus est eorum quae primo creduntur et postea intelliguntur, qualia sunt ea quae de divinis rebus non possunt intelligi, nisi ab his qui *mundo sunt corde;* quod fit praeceptis servatis, quae de bene vivendo accipiuntur ». Propter quod idem doctor I. de Trinitate [4] suscipit « Deo adiuvante rationem reddere, quam flagitant, quod Trinitas sit unus et solus et verus Deus, et quam recte Pater et Filius et Spiritus sanctus unius eiusdemque substantiae vel essentiae dicatur, credatur, intelligatur, ut non quasi excusationibus illudantur, sed re ipsa experiantur, et esse illud summum bonum, quod purgatissimis men-

---

[1] Loco supra pag. 137, nota 5. cit., ibi prosequens: « Omnia, quae coeperunt esse ex tempore pro beneplacito Conditoris, possibile est esse, possibile est non esse, unde et eo ipso eorum esse non tam ratiocinando colligitur, quam experiendo probatur. Quae vero aeterna sunt omnino non esse non possunt; sicut nunquam non fuerunt, sic certe nunquam non erunt, immo semper sunt quod sunt, nec aliud nec aliter esse possunt ».

[2] I. de Peccatorum meritis et remissione, c. 21. n. 29: « Prius sanctarum Scripturarum auctoritatibus colla subdenda sunt, ut ad intellectum per fidem quisque perveniat »: et in Ioan. Evang. tr. 22. n. 2: « Gradus pietatis est fides, fidei fructus, intellectus »; ac tr. 48. n. 1: « Verbum, quod quis intelligere non potest, credere non cunctetur. Fides enim meritum est, intellectus praemium ». Cfr. etiam I. de Lib. Arb. c. 2. n. 2. ac II. c. 2. n. 6; de Vera Religione, c. 8. n. 14; in Ioan. Evang. tr. 27. n. 7. ac tr. 29. n. 6; Enarrat. in Ps. 109. n. 8. ac in Ps. 118. serm. 19. n. 3; de Mendacio, c. 8. n. 11; de Agone christiano, c. 13. n. 14: « Priusquam mens nostra purgetur, debemus credere quod intelligere nondum valemus ».

[3] Libr. 83 Qq. q. 48: « *Credibilium* tria sunt genera. Alia sunt, quae semper creduntur et nunquam intelliguntur, sicut est omnis historia, temporalia et humana gesta percurrens. Alia, quae mox, ut creduntur, intelliguntur, sicut sunt omnes rationes humanae vel de numeris, vel de quibuslibet disciplinis. Tertium, quae primo » etc. — Inferius respicitur Matth. 5, 8.

[4] Cap. 2. n. 4.

tibus cernitur, et a se propterea cerni comprehendique non posse, quia humanae mentis acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei nutrita vegetetur »; et post dicit, quod « istis garrulis ratiocinatoribus, elatioribus quam capacioribus, sic serviet, ut inveniant aliquid, unde dubitare non possint ». Et Richardus I. de Trinitate [1] dicit, « suae intentionis esse ad ea quae credidimus, non modo probabiles, verum etiam necessarias rationes adducere »; et Anselmus I. Cur Deus homo, in principio [2]: « Sicut rectus ordo exigit, ut profunda fidei christianae prius credamus, quam ea praesumamus ratione discutere, ita negligentia mihi videtur, si, postquam confirmati sumus in fide, non studemus quod credimus intelligere ».

Alia sunt credibilia, quae pertinent ad *divina opera*, vel ad opus creationis, ut mundum esse creatum; vel ad opus reparationis, ut Christum incarnatum, mortuum et his similia; alia ad opus retributionis, ut resurrectio corporum, perpetua gloria Sanctorum et aeterna poena malorum; et quia ista pendent ex divina voluntate nec habent necessariam et immutabilem veritatem, quantum est de se, quia sunt contingentia, ideo nec ab intellectu etiam fideli per rationem necessariam probari possunt. Non enim necessario probari potest [3], mundum creatum, quia nec necessario creatus est, nec necessario, Christum incarnatum, quia nec necessario incarnatus est, nec necessario resurrectionem futuram, quia nec necessario futura est; sed primo per fidem creduntur, postmodum mente proficiente ad intellectum cum auxilio illius doni probari possunt, non fuisse aut esse impossibilia, sed sic fieri oportuisse vel oportere. Unde Augustinus de Vera Religione [4] praemittens, quod indivisa sunt opera Patris et Filii et Spiritus sancti, et quomodo in omni creatura invenitur vestigium Trinitatis, addit [5]: « Quo comperto, satis apparebit, quantum homo assequi potest, quam necessariis et invictis et iustis legibus Deo et Domino suo cuncta subiecta sint; ex quo illa omnia, quae primo credidimus, nihil nisi auctoritatem secuti, partim

[1] Cap. 4. [2] Scil. c. 2.

[3] Scil. probatione *propter quid*, de qua infra pag. 143.

[4] Cap. 7. n. 13.

[5] Loc. cit. c. 8. n. 14, ubi textus edit. pro *comperto* habet *cognito*, quod exhibebat etiam primitus B.

sic intelliguntur, ut videamus, esse certissima; partim sic, ut videamus, fieri potuisse [1] atque ita fieri oportuisse, doleamusque illos haec non credentes, qui nos antea credentes irridere quam nobiscum credere maluerunt. Non enim iam illa hominis sacrosancta susceptio et Virginis partus et mors Filii Dei pro nobis et resurrectio a mortuis et in caelum ascensio et consessus ad dexteram Patris et peccatorum abolitio et iudicii dies et corporum resuscitatio, cognita aeternitate Trinitatis et mutabilitate creaturae, creduntur tantum, et non etiam iudicantur ad summi Dei misericordiam, quam generi humano exhibet, pertinere ».

Attendendum tamen est hic, quod divinorum operum licet non possit reddi necessaria ratio, quare producta sunt, ut quare Christus sit incarnatus et quare mundus sit productus; potest tamen necessaria ratione aliquid circa Christum probari et circa mundum productum, etiam ab infidelibus; potest enim necessaria ratione probari, mundum non esse productum ab aeterno, quoniam hoc ipsa ratio creationis excludit; potest necessaria ratione probari, Christum non esse natum ab aeterno ex matre, et his similia.

Sic ergo breviter dico, quod ad ea quae *fidei* sunt sive ea, de quibus est fides, possunt *ratione probari* eo modo, quo dictum est. Ad cuius intelligentiam potest sumi ratio:

Primo ex parte *creditorum*, quae dictat credenda, et quibus dictat assentiendum prima veritas. Prima autem veritas, ut dictum est [2], a qua fluit et emanat omnis ratio et omnis vere ratiocinantis lumen accenditur, sine ratione nihil potest dictare.

Secundo sumitur ratio ex parte *divinorum effectuum*. In omni enim effectu, secundum Augustinum XI. de Civitate Dei [3], impressit divina sapientia sua vestigia, licet alii magis, alii

---

[1] Edit. *posse*.

[2] Supra pag. 137, nota 5. Cfr. etiam Bonav., V. pag. 304, nota 5, ubi recurrit ista sententia et est August., de Vera Relig. c. 39, n. 72. et c. 52. n. 101. — In codd., incongrue tamen, ante *accenditur* addita sunt verba *ab ea*.

[3] Cap. 24: « Sed si nihil aliud est bonitas divina quam sanctitas, profecto et illa diligentia rationis est, non praesumtionis audacia, ut in operibus Dei secreto quodam loquendi modo, quo nostra exerceatur intentio, eadem nobis insinuata intelligatur Trinitas, unamquamque creaturam quis fecerit, per quid fecerit, propter quid fecerit »; cfr. ibid. c. 26, ubi de imagine Dei.

minus, quae ducunt intelligentes et qui non habent oculos excaecatos, in cognitionem divinorum, et maxime ratio imaginis, quae reperitur in creatura rationali.

Tertio sumitur ratio ex parte *creatorum*, et maxime humanorum intellectuum. Humanus autem intellectus hoc ipso, quod est ad *imaginem Dei factus* [1], est et natus ad intelligendum Deum, licet propter obnubilationem peccati et sarcinam corporis corruptibilis ad illud non possit perfecte assurgere.

Et ideo quarta sumitur ratio ex parte *doni infusi*. Intellectus enim noster purgatur per fidem, ut « illud ineffabile ineffabiliter videri possit », ut dicit Augustinus I. de Trinitate [2]. Intellectu autem per fidem purgato, additur intellectus donum, quo mens amplius elevatur et illuminatur, ut ea quae credit, ad quae intelligenda per se non potest attingere, videat certissima ratione, sicut apparuit supra [3] per auctoritatem Augustini. Infideles autem per ista vestigia, quae relucent in speculo creaturae rationalis, non possunt cognoscere Trinitatem, quia sine fide corda mundante non possunt cognoscere etiam, utrum sit speculum, et ideo nec per speculum cognoscere quae apparent in speculo. Unde Augustinus XV. de Trinitate [4]: « Qui intelligunt suam mentem, quomodo videri potest, et in ea Trinitatem istam, nec tamen eam credunt vel intelligunt esse imaginem Dei, speculum quidem vident, sed usque adeo non vident per speculum eum qui est per speculum nunc videndus, ut nec ipsum speculum, quod vident, sciant esse speculum, id est imaginem. Quod si scirent, fortassis et eum cuius est hoc speculum, per hoc quaerendum et per hoc utcumque interim videndum esse sentirent, *fide non ficta* corda mundante, ut *facie ad faciem* possit videri, qui *per speculum* nunc videtur ».

Sed tunc restat videndum, quomodo cum tanta evidentia rationis maneat et simul stare possit latentia fidei et obscuritas credulitatis. Sed hoc manifeste et luculenter apparet, tribus consideratis.

---

[1] Gen. 9, 6.

[2] Cap. 1. n. 3: « Necessaria est purgatio mentis nostrae, qua illud » etc.

[3] Pag. 139, nota 2. seqq. ac August., XIV. de Trin. c. 1. n. 3, et Bonav., III. Sent. d. 24. a. 3. q. 2. ad 5.

[4] Cap. 24. n. 44: Qui ergo vident suam etc. — In fine citatur I. Tim. 1, 5.

Primum est *excessus rerum intellectarum et defectus nostrorum intellectuum* propter sarcinam corporum et obnubilationem phantasmatum, propter quae, quantumcumque mens videat et intelligat, nunquam ita intelligit, quin, etsi non fallatur, tamen possit ambigere, et ideo necessarium est credi; quantumcumque enim videat et intelligat, nunquam ita plene intelligit, quin aliquid restet non intellectum, quod credi oportet. Unde Augustinus I. Soliloquiorum [1]: « Dum in hoc corpore est anima, etiam si plenissime videat, hoc est, intelligat Deum; tamen, quia etiam corporis sensus utuntur opere proprio, si nihil quidem valent ad fallendum, non tamen nihil ad ambigendum, potest adhuc dici fides ea, qua his resistitur, et illud potius verum esse creditur ». Augustinus XIX. de Civitate Dei [2]: « Anima de rebus, quas mente atque ratione apprehendit, licet parvam propter carnem corporis aggravantem, tamen certissimam habet scientiam »; dicit XV. de Trinitate [3]: « Fides quaerit, intellectus invenit; propter quod ait Propheta: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Et rursus, intellectus eum quem invenit, adhuc quaerit. *Deus* enim *respexit super filios hominum, ut videret, si est intelligens aut requirens Deum.* Ad hoc ergo debet esse homo intelligens, ut requirat Deum ». Sic ergo intellectus invenit, ut tamen semper fides quaerat.

Secundum est *modus ratiocinationum* sive *demonstrationum.* Secundum enim Philosophum [4] duplex est *modus demonstrandi:* ostensivus et ducens ad impossibile; *ostensivus* duplex: per *causam a priori,* et haec est demonstratio dicens *propter quid,* quomodo *credibilia* demonstrari non possunt, nec enim divina habent aliquam causam. Secundo modo a *po-*

---

[1] Cap. 7. n. 14, in quo textu B contra A et edit. legit incongrue *valeat* pro *valent* et deinde addit perperam *valet* post *nihil* ac *et* ante *potest.*

[2] Cap. 18, in quo textu B *apprehendit* pro *comprehendit,* et edit. *corpus corruptibile, quod aggravat animam* (cfr. Sap. 9, 15.) loco *carnem corporis aggravantem.*

[3] Cap. 20. n. 2; cfr. etiam VII. de Trin. c. ultimo (scil. 6.) n. 12. in fine: « Quod si intellectu capi non potest, fide teneatur, donec illucescat in cordibus ille qui ait per Prophetam: *Nisi credideritis, non intelligetis* » (Isai. 7, 9. sec. LXX). Sequitur in textu Ps. 13, 2. — Pro *XV. de Trin. c. 20.* codd. citant *XIV. de Trin. c. ultimo,* sed perperam, nihil enim ibi invenitur de hoc.

[4] I. Prior. c. 22; II. c. 14. et I. Poster. c. 22, ubi demonstratio ostensiva etiam *ex hypothesi* vocatur.

*steriori per effectus* et [1] per signa, et haec est demonstratio dicens *quia*, quae licet faciat scire; tamen, quia non dicit *propter quid* nec modum indicat, quo res est, sic facit intelligere, quod tamen quantum ad modum et causam oportet credere. — Alius modus est *ducens ad impossibile*, et iste modus, licet convincat et cogat intellectum assentire, non tamen aufert caliginem; nec enim *propter quid* aut modum declarat et ostendit rem, et ideo semper cum hoc fides est necessaria. Unde Augustinus I. libro Retractationum [2] dicit, quod «exiguissima est scientia veritatis in vita ista».

Tertium est *habitudo et connexio ad invicem credendorum*. Quamvis enim ratione possit probari unitas divinae essentiae seorsum considerata et trinitas personarum seorsum considerata, tamen, quomodo simul stat unitas cum trinitate, omnino est incomprehensibile. Similiter, quamvis possit ratione probari, mundum ex tempore de nihilo productum, possit nihilominus, Deum esse immutabilem; tamen, quomodo sine omni sui mutatione et innovatione de novo mundum producat, nisi fides credat, necessario intellectus haesitat. Unde Richardus IV. de Trinitate [3], optime praemittens, quomodo rationibus necessariis probatur unitas divinae essentiae et quomodo similiter trinitas personarum, dicit: « Et quidem quaelibet harum considerationum et assertionum, cum per semetipsam solam et seorsum attenditur, nihil credibilius, nihil verius videtur; sed quando unam cum alia conferimus, et quomodo concorditer et simul stare possit, attendimus, nisi fidei firmitas obsistat, protinus in ambiguum venit, quidquid multiplex ratio persuasit».

Sic ergo dico, quod simul stant cognitio per fidem et cognitio per rationem de divinis, ita quod unam alia non excludit. Sola enim cognitio *visionis* manifestae et immediatae fidem evacuabit, quando *videbimus eum, sicuti est;* quae quidem cognitio vocatur *facie ad faciem*, de qua dicit Apostolus [4]: *Videmus nunc per speculum* et *in aenigmate, tunc autem facie ad faciem.*

---

[1] In A deest *et.*

[2] Cap. 14. n. 2. in fine: « In hac enim vita, quantumcumque id sciatur, nondum est beatissimum, quoniam incomparabiliter longe est amplius quod inde nescitur ».

[3] Cap. 1, in quo textu codd. *possunt* pro *possit.*

[4] I. Cor. 13, 12.

His visis, argumenta hinc inde satis faciliter possunt dissolvi.

Ad 1. *in contrarium* dicendum, quod *apparere* est duobus modis, scilicet per *plenam* et apertam et *immediatam evidentiam;* et istorum apparentium fides esse non potest, immo ista apparentia omnino fidem evacuat[1]. Alio modo est apparere per *semiplenam* et *mediatam notitiam;* et istorum apparentium fides esse potest, nec ista apparentia fidem tollit, ut dictum est in solutione principali[2]. Apparentia autem rationum non est per immediatam evidentiam seu plenam, idcirco fidei obscuritas et aenigma stat cum apparentia rationum.

Ad 2. dicendum, quod non est simile de membris praecedentibus et ultimis, quoniam negare et dubitare, dubitare et existimare, existimare et credere opponuntur; sed *credere* et per rationem *intelligere* non opponuntur, immo unum ad aliud ordinatur, ut visum est.

Ad 3. patet responsio. Dico enim, quod est *visio aperta* et *immediata;* et haec sola fidem tollit, ut praedictum est[3]. Alia est *visio* per *medium rationis,* et haec fidem non tollit. Et hoc ibi insinuat Augustinus. Voluntatem enim meam, dum volo, aut memoriam, dum recolo, aut cogitationem, dum cogito, immediate cerno et conspicio, et ideo illa non credo; quae autem per rationem probantur videntur quidem per quandam arguitionem et sunt praesentia per medium, propter quod[4] sic videntur aut sic sunt praesentia, quod possunt nihilominus credi propter rationes supra dictas.

Ad 4. dicendum, quod Hugo in illis verbis insinuat distinctionem in principali solutione[5] positam; aliqua enim sunt *ex ratione,* sicut fidei fundamenta et quasi praeambula, quae *per se* nota sunt, ut Deum esse, et his similia. Et dico *ex ratione,* non quia subsint rationi, sed quia ratio in illa potest *de se;* et ista quidem in quantum huiusmodi « fidem non capiunt ». Unde verbum Hugonis *per se* intelligendum est et cum reduplicatione. — Alia sunt *secundum rationem,* sicut pro-

---

[1] Ita A et primitus B, qui tamen nunc habet *evacuant.*

[2] Pag. 144 in fine.

[3] Hic ad 1.

[4] Ita A, B *quae.*

[5] Cfr. supra pag. 137 in fine et seq.

pria in divinis, ad quae etsi ratio *per se* non possit, tamen illuminata radio fidei et per donum intellectus elevata, etsi veritatem eorum non comprehendat, fidei tamen illorum non contradicit, immo fides ratione adiuvatur, et ratio fide perficitur. — Alia sunt *supra rationem*, sicut opera divina mirabilia, quae ratio non comprehendit; quia enim contingentia sunt, rationem necessariam habere non possunt; « tamen per donum intellectus mens elevata et illuminata videt, fieri potuisse et sic fieri oportuisse », ut dicit Augustinus de Vera Religione in auctoritate praeallegata [1].

Ad 5. patet responsio: quoniam singularia non demonstrantur nec habent necessariam rationem, nec demonstratio sive ratio cadit super singularia, quod necessarium [2] sit ea esse, sed tamen secundum Augustinum bene potest intelligi fieri potuisse et sic fieri oportuisse, prout in principali solutione [3] dictum est. — Alias potest dici, quod singularia ut singularia non demonstrantur, neque de his est scientia, sed singularia, ut induunt quandam rationem universalis, possunt demonstrari; Christus autem, quamvis sit quoddam singulare, est tamen universale principium humanae reparationis. Et sic de singulis credibilibus aliqua ratio universalis inveniri potest, ratione cuius possunt per rationem probari.

Ad 6. patet responsio: quoniam contingentia non possunt habere in nobis necessariam rationem nec necessaria ratione possunt probari; potest tamen probari, haec non fuisse impossibilia, et sic fieri oportuisse. — Vel dicendum, quod contingentia in se considerata et sub ratione contingentis non possunt demonstrative probari; sed contingentia relata ad divinam sapientiam, iustitiam vel misericordiam sortiuntur rationem necessitatis, et pro tanto probari possunt per rationem.

Ad 7. dicendum, quod principia non probantur seu demonstrantur demonstratione *propter quid* et *per causam*, quia sic esset abire in infinitum, sed demonstratione *quia* et *per effectum*; vel si non probantur demonstratione *ostensiva*, probantur demonstratione *ducente ad impossibile*. — Alias posset

---

[1] Supra pag. 140, nota 5.

[2] Ita A, B *necessaria*.

[3] Supra pag. 140, nota 5.

dici, quod non est simile de principiis istius scientiae et aliarum scientiarum. Principia enim aliarum scientiarum debent esse supposita tanquam *per se* nota, quia humana sunt ratione repertae, ratio autem humana procedit ex certis sibi; sed principia istius scientiae debent esse supposita tanquam credita et a Deo revelata, quia fides excedit rationem humanam et est principium meriti, nihilominus tamen, accedente dono intelligentiae, fiunt intellecta. Primo ergo supponuntur per fidem, deinde intelliguntur per donum intellectus.

Ad 8. patet responsio: quoniam, ut dictum est [1], per creaturas non probantur divina demonstratione *propter quid* seu ostendente modum, quomodo sunt, sed demonstratione *quia*. Similiter opera mirabilia non habent demonstrationem, qua probentur necessario futura esse, antequam sint, aut necessario fuisse, postquam fuerunt, sed qua demonstrantur, non fuisse impossibilia et sic fieri oportuisse.

Ad 9. dicendum, quod ea, de quibus est fides, maximam habent difficultatem ratione sui, tamen fiunt facilia per habitum fidei; haec est natura habitus, ut reddat potentiam facilem. — Quod *ulterius* procedit: quae habent rationem nullam habent difficultatem; dico, quod semper remanet difficultas, in quantum credita sunt, et fortassis maioris difficultatis est assentire eis non propter rationem, sed propter auctoritatem; aut si propter rationem et auctoritatem, magis tamen propter auctoritatem, ita quod omnino auctoritatem praeferat rationi. — Quod *ulterius* dicit, quod ea quae habent rationem, nullam habent difficultatem; dic, quod ea quae habent rationem ostensivam et per causam et dicentem *propter quid* et ostendentem *quomodo*, verum est. Demonstrationes autem, quae sunt credibilium, non sunt huiusmodi, ut in solutione principali [2] visum est.

Ad 10. dicendum, quod *maior* est falsa; non enim quaecumque ratione probantur subsunt iudicio rationis. Ad *probationem* autem *minoris* per auctoritatem Augustini dicendum, quod duobus modis contingit [3] iudicari de re, quia sic est vel

---

[1] Supra ad 7.

[2] Cfr. supra pag. 137 seq.

[3] Ita A, B *est* pro *duobus modis contingit*.

sic esse debet vel per causam rei et per proprium lumen iudicantis; et sic verum est, quod iudicium non est nisi de re inferiori. — Alio modo contingit iudicare de re, quia est per effectum vel per lumen rei, de quo iudicatur; et sic non est verum. Ita est in proposito, ut explicatum est supra [1].

Ad 11. dicendum, quod Damascenus non vult neque intendit excludere inquisitionem sobriam, sed investigationem curiosam. — Quod autem dicit: nihil ultra; dico, quod non inquirimus aliquid ultra ea quae per Scripturas tradita sunt nobis; sed hic eadem, quae primo nota sunt nobis per fidem, investigamus, ut intelligamus per rationem, secundum doctrinam Anselmi in auctoritate supra [2] allegata, I. libro Cur Deus homo.

Ad 12. dicendum, quod revera credibilia, quae proprie sunt articuli, omnino transcendunt nostrum intellectum, et ideo oportet, *eum captivari in obsequium Christi*, secundum Apostolum [3]; tamen sicut ad ea credenda attingit per habitum et lumen fidei, ita ad ea per rationem probanda et videnda attingit per habitum sive donum intelligentiae. — Quod autem dicit: quoniam « accidens non transcendit subiectum, in quo est »; dico, ut Augustinus ibidem [4] insinuat, quod transcendere subiectum, in quo est accidens, potest intelligi duobus modis: per *informationem*, et sic verum est, quod non transcendit; vel per *operationem*, et sic transcendit. Nam accidens existens in hac superficie movet visum ibi existentem, non tamen accidens hic existens in aliquo subiecto potest in alio esse; et hoc dicit Augustinus, quod « figura vel color, qui est in hoc corpore, non potest esse in alio corpore ». Attendendum tamen, quod cum dicimus: fides vel ratio attingit ad Deum vel credendum, vel intelligendum; non est intelligendum, quod illi habitus per se sine subiecto suo illuc pertingant, sed quod intellectus, qui de se ad illud non attingit, per istos habitus illuc elevatur, et est ibi unum propter alterum.

Ad 13. dicendum, quod nulla credibilia sunt contra rationem, aut implicant contradictionem. — Quod vero *obiicit* de

---

[1] Pag. 146 ad 7.

[2] Pag. 140, nota 2.

[3] II. Cor. 10, 6.

[4] IX. de Trin. c. 4. n. 5; cfr. supra pag. 132, nota 5.

Sacramento altaris, dico, accidens esse sine subiecto non est *contra rationem*, sed *supra*, ac per hoc neque implicat contradictionem. Nec est intelligendum, ut accidentis esse sit inesse, ita quod suum esse sit suum inesse, vel ipsum inesse sit esse, sed quod de natura sua est, ut insit, et de natura sua habet aptitudinem ad hoc, quod insit. Definitiones enim non semper dicunt actum, sed aptitudinem. Unde homo definitur esse « animal rationale, mortale [1] », non quod semper actu ratiocinetur, alias non semper esset rationale; sed quod semper habet aptitudinem et aptus natus est ratiocinari. Ita dico in proposito.

Ad 14. dicendum, quod illud argumentum verum concludit, quoniam nec fidei, ut fides est, convenit, ut ea quae creduntur, per rationem intelligantur; alias, si non intelligerentur, non crederentur; nec scientiae, ut scientia est, convenit, ut ea quae sciuntur, per fidem credantur, prout hic loquimur de fide et credulitate; alias non esset scientia sine hac fide, quod est falsum.

Ad 15. posset eodem modo responderi, quod verum concludit. Quemadmodum enim illud quod speratur, dum speratur et in quantum speratur, non obtinetur, ita id quod creditur, dum creditur et in quantum creditur, non scitur. — Alias posset responderi per *interemptionem minoris* [2], quoniam id quod speratur, dum speratur, obtinetur, licet non plene possideatur; et similiter id quod creditur, dum creditur, non plene scitur, quia nec videtur illa visione aperta, quae erit *facie ad faciem*, secundum Apostolum [3]. — Tertio modo adhuc posset dici, quod non est simile, quoniam fides est maioris ambitus quam spes. Spes enim tantum est de futuris, obtentus autem est rei praesentis, et ideo quod speratur, dum speratur, non obtinetur; sed fides est de futuris, praesentibus et praeteritis,

---

[1] Cfr. August., VII. de Trin. c. 4. n. 7; II. de Ordine c. 11. n. 31; Serm. 359. (alias 36. ex Sirmondianis) n. 3, ac Bonav., I. Sent. d. 25. a. 1. q. 2. solut. ad 1.

[2] Locutio *per interemptionem* idem dicit ac *per negationem*. Cfr. Petrus Hispan., Summula tract. de syllog. sophist. seu de fallaciis, et Aristot., II. Elench. c. 3. (c. 18.), ac Bonav., III. pag. 87, nota 4. et pag. 259, nota 5.

[3] I. Cor. 13, 12.

et ideo non sic opponitur scientiae, sicut spes sive exspectatio obtentioni; dicamus infra [1].

Ad 16. posset etiam dici, quod verum concludit, quoniam sicut certitudo in fide excludit ignorantiam; ita obscuritas et aenigma excludit scientiam perfectam, vel excludit scientiam in quantum huiusmodi, hoc est dictu [2], quod illud quod creditur nec perfecte scitur nec perfecte ignoratur. — Vel dicendum, quod non ita obscuritas excludit scientiam, sicut certitudo ignorantiam, quia nec ita sibi opponitur; certitudo enim ignorantiae opponitur, sed obscuritas non opponitur certitudini, sed dubietas; dubietas autem excludit scientiam, non obscuritas; sed obscuritas excludit claram scientiam seu [3] notitiam. Ideo argumentum non valet.

Ad argumenta *in oppositum*, quia aliqua non bene nec recte concludunt, respondendum est.

Ad 4. dicendum, quod per rationes ad notitiam Trinitatis perveniri non potest sine lumine fidei. Illi autem philosophi, qui ad hoc pervenerunt, non pervenerunt per se seu propria virtute, sed quoniam fuerunt contemporanei Prophetis, quibus fuit revelatum, et fortassis ab eis didicerunt et in suis scriptis reliquerunt. — Vel dicendum, quod non est inconveniens, ut aliqui illuminentur aliquo lumine fidei quantum ad unum articulum, et non illuminentur quantum ad alium, sicut patet de haereticis, qui errant in uno, et tamen recte sentiunt in alio [4]. — Vel dicendum est tertio, sicut dictum est, et dicit Richardus [5], quod, etsi trinitas personarum per se et seorsum considerata possit ratione probari; tamen, quomodo simul stet trinitas personarum cum omnimoda unitate substantiae, hoc ratio non capit, et ideo necessaria est fides. Potest igitur esse, quod illi philosophi sic posuerunt trinitatem, quod non posuerunt cum illa unitatem substantiae, sicut ponit fides recta.

---

[1] Scilicet in solutione ad argumentum sequens.

[2] Ita sine dubio legendum est; in A et probabiliter etiam a secunda manu in B legitur *hoc etiam dico*, qui B primitus habebat *et hoc etiam dico* (nunc quidem *et* expunctum est, pro *etiam* potius *est* et *dico* correctum est in margine *dictu*.

[3] In A desunt verba *scientiam seu*.

[4] A *de alio* pro *in alio*.

[5] IV. de Trin. c. 1.

Ad 5. dicendum, quod *minor* illius argumenti est falsa. Medium enim deveniendi ad notitiam certam non solum est ratio necessaria aut rei evidentia, sed etiam revelatio seu inspiratio divina, testimonium sive auctoritas aliena, cui credendum est. Illud autem medium non deest; nam etsi non possit habere quis fidem *per se*, quoniam est donum Dei, tamen nulli deest, qui vult illud recipere. Semper enim Deus, qui *vult, omnem hominem salvum fieri et ad agnitionem veritatis venire* [1], paratus est dare et infundit lumen fidei, nisi sit impedimentum ex parte recipientis.

Ad 6. dicendum, quod daemones noverunt, hos homines puniri propter peccatum infidelitatis; noverunt etiam ea quae non crediderunt et quae credere debuerunt, non tamen propter hoc haec credenda per rationem intelligunt. Differt enim scire quod credendum est, et illud credere, et creditum per rationem intelligere. Et est exemplum: aliquis scit, esse grammaticam scientiam recte loquendi recteque scribendi, et ideo vult discere grammaticam; non propter hoc novit grammaticam. Cum enim dico: iste puer scit, grammaticam esse scientiam etc., et daemon scit quod credendum est, *grammaticam* [2] et *credendum* ponuntur *materialiter;* cum autem dico *credere hoc,* aut *intelligere creditum,* hic ponitur *formaliter.* — Est et aliud exemplum: iste enim haereticus videt, alium haereticum puniri et comburi propter crimen haereseos, quia non credidit quod credidit [3] Ecclesia; scit igitur, quod credere debuit, quod quia non credidit, punitur; non tamen propter hoc [4] credit ipse, aut credita per rationem intelligit.

Ad 7. dicendum, quod absque dubio notitia Trinitatis est necessaria ad salutem. Sed de nobilitate creaturae rationalis est, ut ordinetur ad aliquod intelligibile ita arduum, quod excedat limites et facultatem naturae [5], non tamen natura suprema deficit, quoniam et dedit aptitudinem ex eo, quod naturam rationalem *ad imaginem suam condidit* [6], et superaddit

---

[1] I. Tim. 2, 4, ubi Vulgata: Qui omnes homines vult salvos fieri etc.

[2] B legit *grammatica.*

[3] Ita quidem codd., melius fortasse esset *credit.*

[4] In B hic aliud verbum *hoc,* ut videtur superflue, additum est.

[5] De quo cfr. supra pag. 104 in fine et pag. 106.

[6] Cfr. Gen. 1, 27.

ad complementum habitum fidei et lumen intellectus, per quod potest ad illud credendum et intelligendum pervenire.

Ad 8. dicendum, quod non est ibi maius et minus. Quemadmodum enim diligere Deum propter se et super omnia est supra vim et facultatem affectus, ita intelligere Deum trinum et unum est supra vim et facultatem intellectus. — Vel dicendum, quod, si uniformiter accipiat utrumque, verum concludit. Sicut enim per rationem probari potest, Deum esse propter se et super omnia diligendum, ita probari potest, Deum trinum et unum esse credendum, quia hoc dictat veritas; tamen, sicut per naturalem affectionem non potest Deus propter se et super omnia diligi, ita non potest Deus trinus et unus per rationem naturalem intelligi.

Ad 9. dicendum, quod argumentum verum concludit. Sicut enim non creditum non potest sciri, ita creditum necesse est sciri. Sed distinguendum secundum Augustinum I. libro Retractationum [1], quod « scire duobus modis accipitur: uno modo scire est certa ratione aliquid comprehendere; alio modo dicitur scire quod aut corporis sensu percipitur aut idoneis testibus creditur ». — Alias posset responderi ad formam argumenti, quoniam in argumento est *fallacia consequentis* [2] a positione consequentis: quod non creditur nescitur: ergo quod creditur scitur. Credere enim est superius ad scire, si accipiatur scire proprie; et ideo credere clauditur in intellectu eius quod est scire. Cum ergo arguitur sic: quod non creditur nescitur, bonus est processus; sed quando ulterius dicitur [3]: ergo quod creditur scitur, proceditur a superiori ad inferius affirmando, et ideo in illatione est fallacia consequentis, ac si diceretur: quod non est animal non est homo: ergo quod est animal est homo. Et ideo argumentum non valet, immo deficit secundum consequens.

---

[1] Cap. 14. n. 3: « Proprie quippe cum loquimur, id solum scire dicimus, quod mentis firma ratione comprehendimus. Cum vero loquimur verbis consuetudini aptioribus, sicut loquitur etiam divina Scriptura, non dubitemus dicere, scire nos et quod percipimus nostri corporis sensibus et quod fide dignis credimus testibus, dum tamen inter haec et illud, quid distet, intelligamus ».

[2] Cfr. Aristot., I. Elench. c. 4. (c. 6.): « ideo est, quod putent, converti consequentiam ». Cfr. etiam Bonav., III. Sent. d. 11. dub. 4. cum nota 5.

[3] In B deest *dicitur*.

# QUAESTIO VI.

**Quaestio est, utrum fides manebit vel evacuabitur in patria.**

*Quod non evacuetur*[1], *ostenditur:*

1. Evacuatio est quaedam corruptio. Sed Philosophus in libro de Morte et vita[2] dicit, quod « quidquid corrumpitur, aut corrumpitur, quia est in subiecto habente contrarium, aut quia compositum est ex contrariis, aut quia habet contrarium, a quo corrumpitur ». Sed fides non est in subiecto habente contrarium, quia est in intellectu sicut in subiecto, qui non habet contrarium; nec ipsa fides composita est ex contrariis, quia habitus simplex est; nec corrumpitur ex contrario, quia fides cognitio quaedam est, et visio patriae beatifica cognitio est. Similiter fides est quoddam lumen, et gloria lumen est; sed nec cognitio opponitur cognitioni nec lumen lumini: ergo etc.

2. Item, quod inchoatur in via et perficitur in patria non evacuatur; sed cognitio, quae est per fidem, in via inchoatur, in patria perficitur: ergo non evacuatur, ergo nec ipsa fides. *Probatio minoris* apparet per Augustinum IX. de Trinitate[3]: « Certa fides utcumque inchoat cognitionem, cognitio vero certa non perficietur nisi post hanc vitam, quando *videbimus facie ad faciem* »: ergo etc.

3. Item, secundum Augustinum XIV. de Trinitate[4] et in aliis locis « fides est de aeternis et temporalibus »; sed utroque modo remanebit: ergo etc. *Probatio minoris:* passio Christi et resurrectio temporalis fuit, de qua fides est; sed passio Christi et resurrectio in patria non videbitur, quia praeterita

---

[1] Ita A, B vero: *Et quod maneat, non vacuetur.*

[2] Cap. 3. et 5, ubi tamen solum duo modi corruptionis recensentur, scil. *a se ipso* et *a contrario*. In altero autem opusculo de Longitudine et brevitate vitae inscripto c. 2. iste triplex modus corruptionis insinuatur. Cfr. Bonav., II. Sent. d. 1. p. II. a. 1. q. 2. nota 4. et IV. Sent. d. 1. p. II. a. 2. q. 3.

[3] Cap. 1, in quo textu citatur I. Cor. 13, 12.

[4] Cap. 1. n. 3. Cfr. idem, de Agone christiano, c. 13. n. 15: « Fides in Ecclesia brevissime traditur, in qua commendantur aeterna, quae intelligi a carnalibus nondum possunt; et temporalia praeterita et futura, quae pro salute hominum gessit et gestura est aeternitas divinae providentiae »; et de Vera Relig. c. 50. n. 99.

erit: ergo credetur. — *Ulterius,* Beati non comprehendunt: aliquid igitur vident, aliquid non vident, et unus Beatus plus quam alius videt, et quod non videtur creditur; credere autem est actus fidei: ergo aliquid aeternum credunt: ergo fides nec prout est de aeternis, nec prout est de temporalibus, evacuatur.

4. Item, Augustinus I. de Doctrina christiana in fine[1] dicit, quod « caritas sine fide esse non potest; et si a fide quisque ceciderit, necesse est, ut cadat a caritate »; sed caritas semper manebit: ergo et fides.

5. Item, quia respondebatur, quod hoc verum est pro statu isto, non tamen pro statu patriae; opponitur sic: Prius naturae ordine intelligitur, fidem evacuari, quam perfectionem beatae visionis introduci; sed caritas necessario substernit sibi aliquam cognitionem, quia « incognita non possumus diligere », secundum Augustinum X. de Trinitate[2]: ergo si non simul stant cognitio per fidem et per apertam visionem, necesse est intelligere, caritatem corrumpi, fide evacuata. Sed hoc falsum est: ergo et illud, ex quo sequitur: ergo fides non evacuatur.

6. Item, quia dicebatur, quod fides evacuatur, eo quod opponitur illi beatae visioni; opponebatur sic: Secundum Hugonem de sancto Victore, I. libro de Sacramentis[3], ista tria se habent per ordinem: opinio, fides et scientia. Est enim fides, ut dicit ibi, « certitudo quaedam mentis supra opinionem et infra scientiam constituta ». Magis ergo distat opinio a certa scientia quam fides; sed de uno et eodem simul stant opinio et certa scientia, quia contingit aliquid scire scientia certitudinali per syllogismum demonstrativum et illud idem opinari, vel scire notitia probabili per syllogismum dialecticum: ergo multo magis stat fides cum beata visione.

7. Item, quia dicebatur, quod fides sive cognitio, quae est per fidem, perficitur non per fidei mutationem de imperfecto ad perfectum, sed per alterius perfectioris cognitionis successionem; arguebatur contra hoc, quoniam fides aut evacuatur in via, aut in patria. Si in patria: ergo fides est in patria: ergo simul potest stare cum visione beatifica. Si in via: ergo

---

[1] Cap. 36. n. 41: « Fide titubante, caritas etiam languescit. Nam si » etc. Cfr. supra pag. 116, nota 2.

[2] Cap. 1. n. 1. seqq. Cfr. supra pag. 122, nota 1.

[3] Part. X. c. 2; cfr. supra pag. 111, nota 4. et q. 4. solut. ad 16. (pag. 126).

in via est cognitio beatifica, per quam fides evacuatur: ergo simul stant: ergo nec in via nec in patria: ergo nusquam evacuatur.

8. Item, quandocumque aliqua duo ita se habent, quod simul incipiunt, simul proficiunt, simul perficiuntur, unum [1] aliud non evacuat. Sed gratia et fides simul incipiunt, similiter fides et contemplatio, et simul proficiunt, quia, quanto aliquis magis proficit in gratia, tanto magis proficit in fide; et similiter, quanto quis magis proficit in contemplatione, tanto magis proficit in fide: ergo gratia et fides [2], fides et contemplatio simul perficiuntur, et nec gratia perfecta nec contemplatio fidem evacuant.

9. Item, cognitio per fidem est cognitio imperfecta, cognitio per visionem apertam est cognitio perfecta; sed in patria simul stant cognitio perfecta et imperfecta: ergo simul possunt stare cognitio per fidem et per apertam visionem. *Probatio minoris:* certum est, quod Angeli simul habent cognitionem matutinam in Verbo et vespertinam in proprio genere rerum [3]; sed cognitio in proprio genere est imperfecta respectu cognitionis in Verbo, quia illa est obscura, propter hoc vocatur vespertina, illa clara, propterea vocatur matutina: ergo etc.

10. Item, fides dicit cognitionem cum aenigmate sive aenigmaticam, similiter visio beatifica dicit cognitionem apertam: ergo cognitio communis est ad fidem et visionem, aenigma autem est fidei proprium. Sed regula est et doctrina philosophi, quod, amoto proprio, manet quod commune est, super propositione de Causis [4] de *esse, vivo* et *homine.* « Remoto enim rationali, non manet homo, sed manet vivum », et sic de aliis.

---

[1] A et primitus B praefigunt *et,* sed incongrue.

[2] In B desunt verba *gratia et fides.*

[3] De quo cfr. Bonav., II. Sent. d. 4. a. 3. q. 1. seq. et III. Sent. d. 14. a. 3. q. 1.

[4] Propos. 1: « Oportet, ut sit res esse in primis, deinde vivum, postea homo. Vivum ergo est causa hominis propinqua, et esse est causa eius longinqua: ergo vehementius est causa homini quam vivum, quoniam est causa vivo quod est causa homini; et similiter, quando ponis rationalitatem causam homini, est *esse* vehementius causa homini quam rationalitas, quoniam est causa causae eius. Et illius quod dicimus, significatio est, quod, quando removes virtutem rationalem ab homine, non remanet homo, et remanet vivum, spirans, sensibile; et quando removes ab eo vivum, non remanet vivum, et remanet esse, quoniam esse non removetur ab eo, sed removetur vivum, quoniam causa non removetur per remotionem causati sui: remanet ergo homo esse; cum ergo non est individuum homo, est animal, et si non est animal, est esse tantum ».

Ergo amoto aenigmate, manet cognitio: ergo aut fides non evacuatur, aut non totaliter evacuatur, sed aliquid sui manet.

11. Item, secundum Dionysium, Hierarchia angelica [1], corporalia sunt quaedam symbola et vestigia spiritualium; sed in luminibus corporalibus maius lumen non exstinguit minus, licet aliquo modo occultet secundum apparentiam: ergo ita est in luminibus spiritualibus. Sed lumen fidei et lumen beatificae visionis se habent sicut minus lumen et maius: ergo lumen gloriae non exstinguit aut evacuat lumen fidei.

12. Item, secundum doctrinam Dionysii, Hierarchia angelica [2], Angeli superiores illuminant inferiores revelando quod eis erat incognitum; sed quod Angeli inferiores recipiunt a superioribus, utpote de aliquo effectu futuro contingente, non vident, et tamen immobiliter assentiunt: ergo illud credunt, quia credere est immutabiliter alicui vero non viso adhaerere [3]:

---

[1] Sive Caelesti Hierarchia, c. 1. § 3, in qua ostendit, res caelestes et spirituales ad captum nostrum in Scriptura materialibus figuris describi, et methodum ac rationem suggerit, quomodo ex illis ad caelestes contemplationes assurgere mens nostra possit, dicens, secundum versionem Ioannem Scoti Erigenae: « Impossibile est nostro animo ad immaterialem illam ascendere caelestium hierarchiarum et imitationem et contemplationem, nisi ea quae secundum ipsum est materiali manuductione utatur... Propter hanc nostram conrationabilem theosin (i. e. deificationem; deificat enim sancta Trinitas nostram naturam, reducendo eam per sensibilia symbola in altitudinem angelicae naturae et deificans eam in his qui ultra omnia in ipsum Deum transeunt) misericors perfectionis principium, et caelestes hierarchias nobis manifestans et comministram earum perficiens hierarchiam nostram, ad virtutem nostram similitudine deiformis suae sanctificationis sensibilibus imaginibus supercaelestes descripsit intellectus in sacroscriptis eloquiorum compositionibus, quatenus nos reduceret per sensibilia in intellectualia et ex sacre figuratis symbolis in simplas caelestium hierarchiarum summitates ».

[2] Cap. 3. § 2, in qua exponit, quis sit finis sive scopus hierarchiae, et qualis in ea sit subordinatio, dicens: « Scopus hierarchiae est Dei, quanta fieri potest, assimilatio coniunctioque; quem cum habeat omnis sacrae et scientiae et operationis ducem, ad divinissimum eius decorem constanter intuendo, eundem, quoad potest, exprimit, nec non divinos sui consortes sacra quaedam perficit simulacra speculaque clarissima et immaculata, quae primitivae lucis summaeque Deitatis radium excipiant; cuius indito splendore sacro plena denuo eundem ex divinis legibus in ea quae sequuntur, sine invidia transfundant cfr. Bonav., II. pag. 83, nota 1.

[3] « Est enim fides virtus, qua creduntur quae non videntur », ut dicit August., II. Quaest. evang. q. 39. n. 1; in Ioan. Evang. tr. 79. n. 1; vel « fides est credere quod non vides », ut idem ait in Ioan. Evang. tr. 40. n. 9. et Serm. 43. (alias 27. de Verbis Apostoli) c. 1. n. 1.

ergo in eis est fides. — Consimiliter [1] ratio sic: huic revelationi sive revelato assentiunt Angeli: aut ergo per *necessariam demonstrationem*, aut per *apertam visionem*, aut propter *fidei adhaesionem*. Non per demonstrationem, quia futura contingentia demonstrari non possunt; non per apertam visionem, quia non vident, cum sit futurum; nec cognoscunt in Verbo — hoc supponimus — ergo assentiunt per fidem.

13. Item, Apostolus [2]: *Cum legitur Moyses, velamen positum est super corda ipsorum*, scilicet Iudaeorum; *cum autem conversi fuerint, auferetur velamen;* et: *Videmus nunc per speculum* et *in aenigmate*. Ut autem dicit Augustinus II. contra Simplicianum [3], « magis repugnat velamen cognitioni quam aenigma ». Sed cum convertuntur Iudaei, amoto velamine, remanet eadem cognitio, perfectior tamen: ergo multo fortius, amoto aenigmate, manet eadem cognitio: ergo fides non totaliter evacuatur.

14. Item, habitus fidei est quidam decor animae et necessarius ad salutem. Sunt autem alii habitus, qui praesupponunt necessario aliquid turpe, ut « verecundia, quae est de turpi facto », secundum Damascenum [4], et poenitentia, quae est de peccato; et tamen, secundum Philosophum IV. Ethicorum [5], verecundia est in innocentibus, et similiter poenitentia, quae est virtus. Inde arguitur sic: Magis repugnat verecundia et poenitentia innocentiae quam fides visioni apertae: ergo si ista stant cum innocentia, multo magis fides cum visione aperta.

15. Item, super illud Psalmi [6]: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*, distinguit Glossa triplicem imagi-

---

[1] Ita A et a secunda manu etiam B, qui primitus habebat *Consimilis est.* Paulo inferius in A deest *Angeli,* quod in B a secunda manu additum est.

[2] II. Cor. 3, 15. seq., ubi Vulgata *cor eorum* pro *corda ipsorum* et *conversus fuerit* loco *conversi fuerint.* — Locus seq. est I. Cor. 13, 12.

[3] In praefatione: « Velamen quippe omni modo intercludit aspectum, aenigma vero tanquam per speculum »; cfr. supra pag. 34, nota 2.

[4] II. de Fide orthod. c. 15: « Verecundia est metus ob admissum turpe facinus ».

[5] Cap. 9: « Ex his quae sponte agimus, verecundia existit; probus autem vir sponte nunquam male aget. Quocirca verecundia ex conditione probata res est; si enim ageret, erubesceret ».

[6] Psalm. 4, 6. — Glossa est *ordinaria* apud Lyranum: « Imago creationis, ratio; imago recreationis, gratia; imago similitudinis, tota Trinitas ». Cfr. Petr.

nem. Est enim imago creationis in potentiis naturalibus et imago recreationis sive reformationis in habitibus gratuitis et imago glorificationis in dotibus animae. Sicut ergo se habet imago recreationis ad imaginem creationis, ita se habet imago glorificationis ad imaginem recreationis. Sed imago recreationis imaginem creationis necessario supponit nec tollit eam, sed perficit: ergo similiter imago glorificationis necessario supponit, nec tollit, sed perficit imaginem recreationis. Sed fides est de essentia et integritate imaginis reparationis: ergo etc.

16. Item, sicut se habet caritas ad fidem informem, ita se habet cognitio aperta ad cognitionem aenigmaticam; sed caritas ita se habet ad fidem informem, quod tollit eius informitatem et perficit eam, non eam evacuat, immo manet cum ea eadem fides numero: ergo similiter cognitio aperta sic se habebit ad cognitionem aenigmaticam, quod tollit aenigma et perficit eam, nec eam evacuabit, sed potius manebit eadem cognitio. Ergo fides aut non evacuatur, aut saltem aliquid sui manet in patria.

17. Item, illud, sine quo vita aeterna nec acquiri nec possideri potest, necessario manet cum vita aeterna, nec evacuatur per illam; sed fides est illud, sine quo vita aeterna nec acquiri nec possideri potest[1]: ergo etc. *Probatio minoris* apparet per Augustinum de Fide ad Petrum[2], qui dicit in principio libri: « Sine fide nec in hoc saeculo quisque iustificationis gratiam consequitur nec in futuro vitam possidebit aeternam »: ergo etc.

18. Item, sicut est cognitio perfecta et imperfecta, ita et dilectio perfecta et imperfecta, ita quod cognitio sive dilectio superius est et commune ad perfectam et imperfectam. Sed eadem dilectio est, quae manet prius imperfecta, postea perfecta: ergo similiter eadem cognitio. Sed cognitio per fidem

---

Lombardus in hunc locum: « Gratia, qua renovatur imago creata, hic lumen est. Triplex enim est imago, imago scilicet creationis, imago recreationis, imago similitudinis. Imago creationis est, in qua creatus est homo, scilicet ratio; imago recreationis est, per quam reformatur imago creata, scil. Dei gratia, quae menti reparandae infunditur; imago similitudinis est, ad quam factus est homo, qui *factus est ad imaginem et similitudinem* non Patris tantum vel Filii vel Spiritus sancti, sed totius Trinitatis » (est sumta ex August., de Gen. ad litt. [libr. imperfect.] c. 16. n. 61; cfr. et n. 57. seq.).

[1] Ita A, B *acquiritur nec possidetur: ergo.*

[2] Seu de Regula verae fidei (inter opera August.), in prologo.

est cognitio imperfecta, cognitio aperta est cognitio perfecta: ergo eadem est cognitio differens solum secundum imperfectum et perfectum.

19. Item, quando aliqua duo ita se habent, quod unum fortificatur et vigoratur per aliud, quanto magis illud, per quod vigoratur et fortificatur, accedit ad suum vigorem, tanto magis et reliquum vigoratur et fortificatur; sed fides et gratia ita se habent, quod fides per gratiam fortificatur et vigoratur: ergo quanto magis gratia accedit ad perfectionem, tanto magis fides fortificatur: ergo, gratia simpliciter perfecta, fides erit fortissima: ergo fides per consummationem gratiae non evacuatur.

20. Item, ratio evacuationis fidei non videtur esse nisi imperfectio, quam habet essentialiter annexam, quae non potest stare cum perfectione gloriae; sed haec non est ratio: ergo etc. *Probatio minoris:* certum est, quod materia habet imperfectionem annexam essentialiter, et tamen forma adveniente, manet eadem materia cum sua perfectione, imperfectione non obstante: ergo similiter poterit manere fides cum visione aperta, non obstante imperfectione.

21. Item, si evacuatur fides, aut a parte *virtutis influentis*, aut a parte *subiecti recipientis*. Non a parte *virtutis influentis*, quia illa est virtus divina, quae semper manet eadem et eodem modo se habens; nec a parte *subiecti recipientis*, quoniam eadem est potentia cognitiva, differens solum secundum separationem et coniunctionem, quia hic est coniuncta, ibi est separata. Sed eadem est cognitio animae separatae et coniunctae secundum essentiam, differens solum secundum modum: ergo fides sive cognitio, quae est per fidem, non evacuatur. *Probatio minoris* apparet per Philosophum [1], qui dicit: Cognitio animae est similis tactui sphaerae respectu plani; sed tactus sphaerae mathematicae et separatae a materia et coniunctae est idem secundum essentiam, differens secundum

[1] Cfr. I. de Anima, text. 13, ubi dicit: «Si igitur est aliqua animae operatio aut passionum propria, continget utique, ipsam separari; si vero nulla est propria ipsius, non utique erit separabilis, sed sicut recto in quantum rectum multa accidunt, ut tangere aeneam sphaeram secundum punctum; non tamen tanget hoc separatum ipsum rectum; inseparabile enim siquidem semper cum corpore quodam est».

modum, quia sphaera abstracta a materia tangit semper planum in puncto, sphaera autem physica sive concreta materiae tangit in continuo. Ergo similiter eadem est cognitio animae separatae et coniunctae: ergo etc.

CONTRA:

1. Augustinus XIV. de Trinitate [1] dicit, quod « succedente specie, fides esse desistet et in praeteritis habebitur, ideo faciet aliam trinitatem »; sed quod desistit evacuatur: ergo in patria fides evacuatur.

2. Item, Apostolus [2]: *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec; maior autem horum est caritas.* Quod tractans Augustinus I. de Doctrina christiana in fine, dicit: « *Maior horum est caritas*, quia et, cum quisque ad aeterna pervenerit, duobus istis decedentibus, caritas auctior et certior permanebit ».

3. Item, Glossa super illud [3]: *Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*, dicit: « Omne, quod ex parte est, totaliter destruetur »; sed fides est ex parte, secundum Apostolum ibidem [4]: ergo totaliter destruetur: ergo ita evacuabitur, quod nihil remanebit.

RESPONDEO:

Circa istam quaestionem sunt duae opiniones. Quidam enim dicunt, quod fides evacuatur, secundum quod dicit Apostolus, sed *non omnino*. Ideo distinguunt, quod de fide possumus loqui duobus modis, sicut duo est in fide attendere et conside-

---

[1] Cap. 8. n. 11. in fine: « Ea quae oriuntur in animo, ubi non fuerunt, sicut fides et cetera huiusmodi, etsi adventitia videntur, cum doctrina inseruntur; non tamen foris posita vel foris peracta sunt, sicut illa quae creduntur, sed intus omnino in ipso animo esse coeperunt. Fides enim non est quod creditur, sed qua creditur; et illud creditur, illa conspicitur. Tamen, quia esse coepit in animo, qui iam erat animus, antequam in illo ista esse coepisset, adventitium quiddam videtur et in praeteritis habebitur, quando, succedente specie, iam esse destiterit, aliamque nunc trinitatem facit per suam praesentiam, retenta, conspecta, dilecta; aliam tunc faciet per quoddam sui vestigium, quod in memoria praeteriens dereliquerit ».

[2] I. Cor. 13, 13. — Locus August. est ibi c. 39. n. 43.

[3] I. Cor. 13, 10. — Glossa est *ordinaria* apud Lyranum.

[4] Vers. 8. seq. et 12. — Cfr. Bonav., III. Sent. d. 31. a. 3. q. 1. ad 1.

rare; dicit enim fides quandam *cognitionem* et *illuminationem mentis*, tamen cum *aenigmate* et *obscuritate*. Si ergo loquamur de fide quantum ad substantiam *cognitionis* vel luminis, sic dicunt, quod fides non evacuatur, immo perficitur; si vero quantum ad *aenigma* vel obscuritatem, sic dicunt, quod evacuatur. Et innituntur auctoritati Glossae super illud [1]: *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*, ubi dicit Glossa: « Destruetur imperfectio nostra, non id quod verum est, auferetur vel evacuabitur. Destructio enim imperfectionis est, quando id quod imperfectum est, impletur in verum ». — Innituntur exemplo naturali; videmus enim, quod aurora duo importat, quia claritatem luminis diurni cum quadam admixtione tenebrae propter defectum plenitudinis praesentiae solaris et propter reliquias nocturnae obscuritatis; adveniente autem luce diurna, dicitur transire aurora, non propter corruptionem aut evacuationem illius claritatis, quoniam eadem est claritas, idem est lumen primo imperfectum, postea perfectum propter plenam praesentiam solis super nostrum hemisphaerium; sed propter obscuritatis expulsionem seu fugationem per illuminationem solis perfectam. Ita dicunt ipsi in parte ista, quod fides sive cognitio et illuminatio fidei est sicut illuminatio aurorae, quae inchoat diem; ideo adveniente plenitudine lucis, sic pellitur *aenigma* et obscuritas, quod tamen lux, illuminatio, cognitio non tollitur, sed *perficitur*. — Innituntur nihilominus rationi, quoniam, ubicumque sunt duae perfectiones ad invicem ordinatae secundum prius et posterius, perfectum et minus perfectum, perfectione ultima adveniente, prior non tollitur, sed magis perficitur; verbi gratia forma generis ordinatur ad formam speciei sicut forma corporis ad formam animati; adveniente enim anima, corpus non corrumpitur, sed potius idem manens perficitur per formam animae. Ita dicunt esse in proposito. Cum enim cognitio viae, quae est per

[1] I. Cor. 13, 10. — Glossa est ex Commentario (olim Ambrosio attributo), in qua post *evacuabitur* sequitur: « sed, dum additur imperfecto quod deest, destruetur »; partim etiam (a verbis scil. *Destructio enim*) est in Glossa *ordinaria* apud Lyranum. — Petr. Lombardus in hunc locum habet sic: « *Cum autem*, quasi dicat: Scientia est ex parte et prophetia, sed omne, *quod ex parte est, evacuabitur*, id est, destruetur, *cum venerit quod perfectum est* (Ambrosius), id est, destruetur imperfectio.... verum est, evacuabitur. Destructio imperfectionis » etc.

*fidem*, ordinetur ad cognitionem patriae, quae est per *apertam visionem*, cognitio haec ultima, quae per illam inchoatur, non evacuat, sed perficit priorem. Sic ergo dicunt isti, quod *fides* sic tollitur quantum ad *aenigma* et obscuritatem, quod tamen quantum ad *illuminationem* et cognitionem non evacuatur, sed manet in patria.

Ista positio, ut videtur, satis probabilis est et aliquando fuit magnorum et authenticorum doctorum, nec facile est eam improbare; tamen, quia videtur non multum consona verbis Apostoli, qui dicit, solam caritatem remanere, alias duas virtutes, scilicet fidem et spem, evacuari; et tamen certum est, quod caritatis *imperfectio* tollitur; « augmentabitur » enim, sicut dicit Augustinus [1]. Si diceretur fides evacuari propter ablatio-

---

[1] l. de Doctr. christ. c. 38. n. 42. infra cit., et Bonav., III. Sent. d. 31. a. 2. q. 1. seqq. ac a. 3. q. 1. — Petr. Lombardus (et etiam Glossa *ordinaria* apud Lyranum, de qua supra pag. 161, nota 1.) dicit post *in verum* sic: « Hic opponitur a quibusdam, quod eadem ratione caritas debeat dici evacuari, quia modo ex parte est, id est imperfecta comparatione futuri status. Ad quod quidam dicunt, non ipsam *scientiam*, id est ipsum donum scientiae evacuari, sed *modum*, quia nunc cognoscimus aenigmatice et per speculum, id est umbratiliter et obscure, tunc autem per speciem, id est clarissime. — Sed ad hoc inquiunt illi: Sic et modo imperfecte diligimus, tunc autem perfectissime: ergo modus diligendi evacuabitur; sic ergo caritas potest dici evacuanda ut scientia. Ad quod illi: Verum quidem est, quod de caritate sicut de scientia omnis imperfectio tolletur; sed sicut duo sunt diligenda, id est Deus et proximus, ita et duo sunt principales modi diligendi, scil. ut Deus propter se et proximus propter Deum diligatur. Hique modi in futuro non evacuabuntur, sed modus imperfectionis tolletur; sciendi autem modus aenigmaticus et specularis omnino tolletur. Alii dicunt, non solum modum scientiae, sed etiam actum sive ipsam scientiam, quae nunc est, in futuro evacuari. De actu quidem et usu ipsius scientiae probabile est, quod evacuetur. De ipsa vero scientia non adeo; scientia enim est ipsa mentis qualitas, cuius actus est visio ipsa, qua videmus nunc, a qua ad aliam perducemur. Unde Augustinus (XIV. de Trin. c. 17. n. 24.): ‚*Scimus, quia, cum apparuerit*, sicut ait Ioannes (I. 3, 2.), *similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* Hinc apparet, tunc in ista imagine Dei fieri eius plenam similitudinem, quando eius plenam perceperit visionem'. Haec visio nobis promittitur, ad hanc visionem erudimur, ad hanc cor mundamus. — Vel *ex parte* esse dicitur, cui aliud succedit. At, ut ait August., in libro I. de Doctr. christ. c. 38. n. 42, ‚fidei succedit species, quam videbimus, et spei succedit beatitudo ipsa, ad quam perventuri sumus; caritas autem, etiam istis decedentibus, augebitur potius', nec ei aliquid succedet. Destruetur tamen, in quantum ex parte est, quia desinet esse ex parte, sed nec ipsa nec eius actus destruetur. Omne ergo, quod ex parte est, destruetur vel ex toto, ut fides et spes, vel ex parte, ut

nem imperfectionis, ita diceretur caritas evacuari; quod nullus dicit. Igitur non tantum quantum ad imperfectionem tolletur, sed quantum ad ipsam habitus substantiam evacuabitur. — Repugnat nihilominus auctoritati Augustini, qui dicit, eam omnino auferri, et nihil eius manere nisi speciem vel similitudinem eius sicut quoddam imaginarium vestigium in memoria derelictum. Unde dicit XIV. de Trinitate [1]: « Mens quippe humana, cum fidem suam videt, qua credit quod non videt, non aliquid sempiternum videt; non enim semper hoc erit, quod utique non erit, quando, ista peregrinatione finita, qua *peregrinatur a Domino*, ut per fidem ambulare necesse sit, species illa succedet, per quam *videmus facie ad faciem* [2]. Perducti ergo ad speciem, non iam fides erit, qua credantur quae non videntur; sed species, qua videantur quae credebantur. Tunc ergo, etsi vitae huius mortalis transactae meminerimus, et credidisse nos aliquando quae non videbamus, memoriter recoluerimus, in praeteritis atque transactis deputabitur fides ista, non in praesentibus rebus semperque manentibus »; et post in capitulo sequenti [3], quod « aliam tunc

---

scientia, cuius actus et modus destruetur, et caritas, cuius quidam modus tolletur, sed non ipsa nec eius actus nec quidam modus ». Cfr. card. Hugo de S. Charo, in hunc locum, ubi etiam ista Glossa exponitur et dicitur, quod « fides et spes evacuabuntur, quia habent aliquid vanitatis et imperfectionis »; et Aristot., IV. Topic. c. 5: « Non enim contingit, idem amplius permanere, si ex specie omnino permutatum sit ».

[1] Cap. 2. n. 4, in quo respicitur II. Cor. 5, 6. — Post *faciem* edit. pergit: « sicut modo non videntes, tamen, quia credimus, videre merebimur atque ad speciem nos per fidem perductos esse gaudebimus. Neque enim iam fides erit » etc.; et infra post *manentibus* continuat: « ac per hoc etiam trinitas ista, quae nunc in eiusdem fidei praesentis ac manentis memoria, contuitu, dilectione consistit, tunc transacta et praeterita reperietur esse, non permanens. Ex quo colligitur, ut, si iam imago Dei est ista trinitas, etiam ipsa non in eis quae semper sunt, sed in rebus sit habenda transeuntibus. Absit autem, ut, cum animae natura sit immortalis nec ab initio, quo creata est, unquam deinceps esse desistat, id quo nihil melius habet, non cum eius immortalitate perduret. Quid vero melius in eius natura creatum est, quam quod ad sui Creatoris *imaginem facta est* (Gen. 1, 27.)? Non igitur in fidei retentione, contemplatione, dilectione, quae non erit semper, sed in eo quod semper erit, invenienda est quam dici oporteat imaginem Dei ».

[2] Respicitur I. Cor. 13, 12.

[3] Scil. c. 3. n. 5, ubi s. doctor, difficultatem quandam diluens, praemittit sequentia: « An adhuc utrum ita se res habeat, aliquanto diligentius atque ab-

faciet trinitatem, quando non ipsam, sed eius velut imaginarium vestigium in memoria reconditum contuebimur; modo autem ipsam praesentem fidem tenemus, videmus, amamus in nobis ». Ille igitur habitus fidei, qui in anima existebat, tolletur et evacuabitur secundum substantiam suam. — Videtur etiam non multum consona rationi, quoniam fides est habitus simplex, de cuius essentia et ratione et definitione est obscuritas et aenigma; et ideo non potest intelligi quantum ad aliquid sui manere et quantum ad aliquid evacuari. — *Rursus*, remota differentia specifica, non manet species sive natura speciei; remoto enim rationali [1], non manet homo; et ideo remoto aenigmate et obscuritate, nullo modo manet fides, quae est eius differentia specifica.

Et ideo est alius modus dicendi et alia opinio probabilior, ut mihi videtur, et communior, quod fides *totaliter evacuabitur*, ita quod nihil eius manebit, nec substantia habitus nec obscuritas aenigmatis. Et hanc opinionem ad praesens sustineo sine praeiudicio. Ad istius autem intelligentiam et confirmationem multiplex ratio est.

Quarum prima potest sumi per *comparationem ad statum*. Status enim beatitudinis sive gloriae est status omnimodae perfectionis. « Est enim, ut dicit Boethius [2], status omnium bonorum aggregatione perfectus »; ideo est status perfectae claritatis, ideo nulla ibi erit vel esse poterit obscuritas; et quia fides dicit et importat de sui ratione obscuritatem sive cogni-

---

strusius perscrutabimur? Dici enim potest, non perire istam trinitatem (de qua August. mox dixit), etiam cum fides ipsa transierit; quia, sicut nunc eam et memoria tenemus et cogitatione cernimus et voluntate diligimus, ita etiam tunc, cum eam nos habuisse memoria tenebimus et recolemus et hoc utrumque tertia voluntate iungemus, eadem trinitas permanebit. Quoniam si nullum in nobis quasi vestigium transiens reliquerit, profecto nec in memoria nostra eius aliquid habebimus, quo recurramus eam praeteritam recordantes atque id intentione tertia copulantes, et quod erat, scilicet in memoria, non inde cogitantibus nobis, et quod inde cogitatione formatur. Sed qui hoc dicit non discernit, aliam nunc esse trinitatem, quando praesentem fidem tenemus, videmus, amamus in nobis; aliam tunc futuram, quando non ipsam » etc.; et post *contuebimur* edit. addit: « et duo haec, id est, quod erat in memoria retinentis et quod inde imprimitur in acie recordantis, tertia voluntate iungemus ».

[1] Cfr. supra pag. 155, nota 4.

[2] III. de Consol. prosa 2; cfr. supra pag. 33, nota 2.

tionem obscuram et aenigmaticam, fides in illo statu manere non poterit. — *Rursus*, status viae est status peregrinationis et motus. Illud ergo, quod convenit statui isti de ratione status, non potest manere, statu deficiente, cum statu perfectae quietis. Quia enim iste est status meriti, ideo, deficiente statu, non est ulterius possibile meritum vel demeritum; fides secundum rationem et substantiam sui habitus ad istum statum pertinet et huic statui convenit: ergo isto statu deficiente et transacto, fides non manet. Quod autem fides ad statum peregrinationis pertineat tantum, dicit Apostolus[1]: *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus, non per speciem*. Hanc rationem ponit Augustinus XII. super Genesim ad litteram pene ante finem[2]: « Quaedam sunt virtutes permansurae, ut pietas; quaedam non permansurae et postea non futurae, quae huic vitae sunt utiles, sicut fides, qua credimus ea quae nondum videmus, et spes, qua futura cum patientia exspectamus, et ipsa patientia, qua omnia patienter toleramus adversa, donec, quo volumus, veniamus. Istae quippe et huiusmodi virtutes, quae nunc propter transigendam istam peregrinationem valde necessariae sunt, non erunt in illa vita, propter quam adipiscendam sunt necessariae ». Idem dicit I. Soliloquiorum non multum post principium[3]: « Fides non erit necessaria, quando Deum videbit, nec spes, quando tenebit; caritati autem nihil detrahetur, sed addetur plurimum. Sed dum in hoc corpore est anima, etiamsi plenissime videat, hoc est, intelligat Deum; tamen, quia etiam corporis sensus utuntur opere proprio, si nihil quidem valent ad fallendum, non tamen nihil ad ambigendum, potest adhuc dici fides ea, qua his resistitur, et illud

---

[1] II. Cor. 5, 6. seq.

[2] Scil. c. 31. n. 59: « Sic etiam in illo genere intellectualium visionum alia sunt, quae in ipsa anima videntur, velut virtutes, quibus vitia sunt contraria, sive permansurae, ut pietas, sive utiles huic vitae et postea non futurae, sicut fides » etc.

[3] Scil. c. 7. n. 14: « Ergo cum animae Deum videre, hoc est, Deum intelligere contigerit, videamus, utrum adhuc ei tria illa sint necessaria: fides, quare sit necessaria, cum iam videat? spes nihilominus, quia iam tenet? caritati vero non solum nihil detrahetur, sed addetur etiam plurimum. Nam et illam singularem veramque pulcritudinem, cum viderit, plus amabit; et nisi ingenti amore oculum infixerit, nec ab aspiciendo uspiam declinaverit, manere in illa beatissima visione non poterit. Sed » etc.

potius verum esse creditur. — Item, quia in ista vita quamquam Deo intellecto anima iam beata sit; tamen, quia multas molestias corporis sustinet, sperandum est, ei post mortem omnia ista incommoda non futura. Ergo nec spes, dum in hac est vita, deserit animam. Cum autem post hanc vitam tota se in Deum collegerit, caritas restat, qua ibi teneatur. Nam neque dicenda est fidem habere, quod illa sint vera, quando nulla falsorum interpellatione sollicitatur, neque quidquam sperandum ei restat, cum totum secura possideat [1]. Haec ergo tria: fides, spes et caritas, in hac vita semper sunt necessaria, post hanc vitam sola caritas ».

Secunda ratio sumitur per *comparationem fidei* et beatificae visionis *ad suum obiectum.* Obiectum enim proprium et formale fidei est verum non visum, ut dicit Augustinus ad Paulinam [2], quod « inter credere et videre hoc distat, quod creduntur absentia, videntur praesentia ». Et hoc dicit Apostolus [3]: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium;* super quo dicit Gregorius, quod « ea quae apparent fidem non habent, sed agnitionem »: ergo « fides est credere quod non videtur [4] ». Ergo cum in vita illa Deum manifeste Beati vident et *facie ad faciem;* nec poterit illud *verum esse non visum:* ergo nec fides erit in patria, cuius obiectum formale est verum non visum. Hoc dicit Augustinus de Perfectione iustitiae pene post medium [5]: « Quotquot perfecti sumus, hoc sapiamus; id est, quotquot perfecte currimus, hoc sapiamus, quod nondum perfecti sumus, ut illic perficiamur,

---

[1] Edit. pergit: « Tria igitur ad animam pertinent, ut sana sit, ut aspiciat, ut videat; alia vero tria: fides, spes et caritas, primo illorum trium et secundo semper sunt necessaria, tertio vero in hac vita omnia, post hanc vitam sola caritas ».

[2] Epist. 147. (alias 112.) c. 2. n. 7; cfr. supra pag. 129, nota 3.

[3] Hebr. 11, 1. — Sententia Gregorii est II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 8.

[4] Ut dicit August., XIII. de Civ. Dei, c. 4: « Est fides, quando exspectatur in spe quod in re nondum videtur ». — Pro *videtur* habet A *vides,* sic respicitur definitio August., in Ioan. Evang. tr. 40. n. 9. et Serm. 43. (alias 27. de Verbis Apostoli), c. 1. n. 1: « Fides est quod non vides credere »; cfr. supra pag. 156, nota 3.

[5] Cap. 8. n. 19, in quo citatur I. Cor. 13, 10, ubi Vulgata *evacuabitur* pro *destruatur.*

quo perfecte adhuc currimus, ut, *cum venerit quod perfectum est, quod ex parte est destruatur*, id est, ut non iam sit ex parte, sed ex toto, quia fidei et spei iam res ipsa, non quae credatur et speretur, sed quae videatur teneaturque, succedet; caritas autem, quae in his tribus maior est, non auferetur, sed augebitur et implebitur, contemplata quod credebat, et quod sperabat adepta ». Idem dicit de Doctrina christiana in fine [1].

Tertia ratio sumitur per *comparationem fidei ad suum actum*. Actus enim fidei est assensus voluntatis. Ita enim dicit Augustinus de Praedestinatione Sanctorum [2], quod « credere est cum assensione cogitare »; et quaedam Glossa super illud Genesis [3]: *Dixerunt Laban et Bathuel: Vocemus puellam et quaeramus eius voluntatem;* dicit, quod « credere *voluntatis* est, non necessitatis »: ergo credere, quod est actus fidei, est voluntarie assentire vero non viso, aut non intellecto, ita quod voluntas sive affectus trahit et inclinat intellectum et captivat ad credendum quod non intelligit et praeit ipsum; ideo dicit Apostolus [4]: *Captivantes omnem intellectum in obsequium Christi*. Hoc autem esse non potest, nisi quamdiu intellectus incertus est et non videt ea quae credere iubetur; sed in patria illuminatio et claritas visionis praecedent motum affectus, nec iam ab ipso inclinabitur intellectus, cum intellectus perfecte illuminatus et aeternam veritatem manifeste, limpide et aperte contemplatus ab ea nullo modo poterit dissentire; et ideo necesse est, fidem quantum ad substantiam habitus per visionem gloriae tolli.

Quarta ratio sumitur per *comparationem ad ipsius fidei habitum*. Habitus enim fidei, ut dictum est [5], habet annexam imperfectionem, a qua absolvi non potest; et ideo, imperfectione exclusa, necessario ipsa fides tollitur. Quae autem est ista im-

---

[1] Scil. l. c. 38. n. 42; de quo cfr. supra pag. 162, nota 1.

[2] Cap. 2. n. 5: « Credere nihil aliud est quam cum assensione cogitare ».

[3] Cap. 24, 50. et 57. — Glossa est *interlinearis* apud Lyranum et est ex Comment. (olim Ambrosio tributo) in I. Cor. 1, 22: « Fides non necessitatis, sed voluntatis res est »; ibid. in Rom. 4, 4. etiam seq. sententia habetur: « Credere aut non credere voluntatis est ».

[4] II. Cor. 10, 5; cfr. supra pag. 24, nota 2.

[5] Supra pag. 163 in principio.

perfectio? Quia dicit cognitionem obscuram et aenigmaticam rei non apparentis; sublata igitur imperfectione, obscuritate, aenigmate, necessario fides excludetur. Hanc rationem ponit Augustinus IV. de Trinitate [1], dicens, quod « sicut se habet mortalitas ad aeternitatem, ita se habet fides ad veritatem. Quamdiu enim sumus in hac vita, fidem debemus rebus temporaliter gestis propter nos et per ipsam mundamur, ut, cum ad speciem venerimus, quemadmodum succedit fidei veritas, ita mortalitati succedat aeternitas ». Sicut ergo mortalitas totali-

[1] Cap. 18. n. 24: « Non enim proprie vocatur aeternum, quod aliqua ex parte mutatur. In quantum igitur mutabiles sumus, in tantum ab aeternitate distamus. Promittitur autem nobis vita aeterna per Veritatem, a cuius perspicuitate rursus tantum distat fides nostra quantum ab aeternitate mortalitas. Nunc ergo adhibemus fidem rebus temporaliter gestis » etc.; et post *aeternitas* prosequitur: « Quapropter, quoniam fides nostra fiet veritas, cum ad id quod nobis credentibus promittitur, pervenerimus; promittitur autem nobis vita aeterna, et dixit Veritas, non quae fiet, sicut futura est fides nostra, sed quae semper est Veritas, quia ibi est aeternitas; dixit ergo Veritas: *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Iesum Christum* (Ioan. 17, 3.); cum fides nostra videndo fiet veritas, tunc mortalitatem nostram commutatam tenebit aeternitas. Quod donec fiat et ut fiat, quia rebus ortis accommodamus fidem credulitatis, sicut in aeternis speramus veritatem contemplationis, ne fides mortalis vitae dissonaret a veritate aeternae vitae, ipsa Veritas Patri coaeterna de terra orta est, cum Filius Dei sic venit, ut fieret Filius hominis et ipse in se exciperet fidem nostram, qua nos perduceret ad veritatem suam, qui sic suscepit mortalitatem nostram, ut non amitteret aeternitatem suam. Quantum enim ad id quod ortum est, aeternitas valet, tantum ad fidem veritas. Ita ergo non purgari oportebat, ut ille nobis fieret ortus, qui maneret aeternus, ne alter nobis esset in fide, alter in veritate. Nec ab eo quod orti sumus, ad aeterna transire possemus, nisi aeterno per ortum nostrum nobis sociato, ad aeternitatem ipsius traiicéremur. Nunc itaque illuc quodam modo secuta est fides nostra, quo ascendit in quem credidimus ortus, mortuus, resuscitatus, assumtus. Horum quatuor duo priora noveramus in nobis; scimus enim, homines et oriri et mori; duo autem reliqua, id est resuscitari et assumi, iuste in nobis futura speramus, quia in illo facta credidimus. Itaque in illo, quia et id quod ortum erat, transiit ad aeternitatem, transiturum est et nostrum, cum fides pervenerit ad veritatem. Iam enim credentibus, ut in verbo fidei manerent et inde ad veritatem ac per hoc ad aeternitatem perducti a morte liberarentur, ita loquitur: *Si manseritis in verbo meo, vere discipuli mei eritis* (Ioan. 8, 31.). Et quasi quaererent: Quo fructu? secutus ait: *Et cognoscetis veritatem.* Et rursus quasi dicerent: Quid prodest mortalibus veritas? *Et veritas,* inquit, *liberabit vos.* Unde, nisi a morte, a corruptione, a mutabilitate? Veritas quippe immortalis, incorrupta, incommutabilis permanet; vera autem immortalitas, vera incorruptibilitas, vera incommutabilitas ipsa est aeternitas ».

ter auferetur sanitate perfecta, ita fides totaliter evacuabitur veritate manifesta. — *Rursus*, ipsa fides est velut sacramentum, velut figura, velut umbra manifestandae veritatis et apertae contemplationis; quod insinuat Apostolus [1]: *Videmus nunc per speculum* et *in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Videre* autem *per speculum* est imaginem videre, ipsam rem non videre [2]; *videre* autem *facie ad faciem* est ipsam rem videre, non per speculum videre imaginem. Exemplum est: si ab aliquo super nos vel post nos existente, adversam faciem habeamus, ipsum videre non possumus; si obiiciatur speculum, videre incipimus, non ipsum intuendo, sed imaginem eius. Si autem ipse se obiiciat obtutibus nostris, et faciem ad eum convertimus, non iam per speculum videmus, aut eius intuemur imaginem, sed ipsum *facie ad faciem*. Fides est igitur quasi umbra et sacramentum et figura manifestandae veritatis et futurae contemplationis. Ergo sicut adveniente veritate et ea manifestata, necessario umbra aut sacramentum et figura evacuantur, ita manifestata veritate, quando *facie ad faciem videbimus*, fides evacuabitur. Hanc deductionem ponit Hugo in libro I. de Sacramentis [3]; et Augustinus in libro I. de Trini-

---

[1] I. Cor. 13, 12.

[2] Ita A, B legit: *est videre ipsam imaginem, et non videre.*

[3] Part. X. c. ultimo (scil. 9.): « Sacramentum fidei dupliciter potest intelligi. Sacramentum enim fidei vel ipsa fides intelligitur, quae sacramentum est; vel sacramenta fidei intelliguntur quae cum fide suscipienda sunt et ad sanctificationem fidelium praeparata sunt.... Primum ergo consideremus, qua ratione ipsa fides sacramentum dicatur, vel cuius rei sacramentum esse intelligatur. Apostolus dicit: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem* (I. Cor. 13, 12.). Nunc scilicet, quando per fidem videmus, *videmus per speculum in aenigmate; tunc autem*, quando videbimus per contemplationem, *videbimus facie ad faciem*. Quid est per *speculum* videre? Imaginem videre. Quid est *facie ad faciem* videre? Rem videre. Puta, aliquem esse post te vel supra te, aversus es ab illo nec vides facie ad faciem, facie tua ad faciem illius. Aversa est enim facies tua ab illo; et si forte ille respicit ad te, non tamen tu similiter ad illum. Quamdiu igitur sic eris, non poteris illum videre facie ad faciem. Exhibe speculum et pone ante te, statim videbis in eo imaginem illius qui est ad dorsum tuum, vel supra verticem tuum, et dices: Video te. Quid vides? Iam aliquid vides, sed imaginem solam; vides illum, sed in imagine sua, nondum in facie sua. Nondum cognoscis, sicut cognosceris; nondum vides, sicut videris. Videris in te, vides in imagine. Ille ad te respicit, qui te videt; tu autem aversus es ab illo. Converte te ad illum et pone faciem ad faciem, et videmus iam non imaginem, sed ipsam rem. Prius vidisti illum, sed in imagine sua, modo vides

tate [1]: « *Cum Christus apparuerit, vita nostra, tunc et nos apparebimus cum ipso in gloria.* Quod antequam fiat, *videmus nunc per speculum* et *in aenigmate,* hoc est in similitudinibus, *tunc autem facie ad faciem* »; quando autem *facie ad faciem videbimus,* iam non erunt istae similitudines. Si igitur essentiale est fidei videre per speculum, videre per similitudines, videre in figura, in umbra; haec autem necesse est evacuari: necessario fides totaliter tolletur.

Quinta ratio sumitur per *comparationem fidei ad suum subiectum.* Subiectum autem fidei est intellectus. Regula au-

---

illum in facie sua. Tamen cum ipsam rem videre incipis, agnoscis, quia aliquid similitudinis fuit illi quod visum est in imagine ad id quod videtur in re. Quod videtur in imagine sacramentum est; quod videtur in re res sacramenti est. Quod ergo *videmus nunc per speculum in aenigmate,* sacramentum est ad illud quod *videbimus facie ad faciem* in manifesta contemplatione. Sed quod est aenigma et quod est speculum, in quo videtur imago, donec ipsa res videri possit? Aenigma est Scriptura sacra. Quare? Quia obscuram habet significationem. Speculum est cor tuum, si tamen mundum fuerit et extersum et clarificatum; imago in speculo fides in corde tuo. Ipsa enim fides imago est et sacramentum; contemplatio autem futura res et virtus sacramenti. Qui fidem non habent nihil vident; qui fidem habent iam aliquid videre incipiunt, sed imaginem solam ».

[1] Cap. 8. n. 16. in fine; in quo textu citatur Col. 3, 4, ubi Vulgata et August. *vita vestra, tunc et vos apparebitis* pro *vita nostra, tunc et nos apparebimus;* n. 17. vero dicit: « Haec enim contemplatio nobis promittitur actionum omnium finis atque aeterna perfectio gaudiorum. *Filii enim Dei sumus et nondum apparuit, quid erimus; scimus, quia, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est* (I. Ioan. 3, 2.). Quod enim dixit famulo suo Moysi: *Ego sum qui sum; haec dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos* (Exod. 3, 14.), hoc contemplabimur, cum vivemus in aeternum. Ita quippe ait: *Haec autem est vita aeterna, ut cognoscant te, unum* (solum) *verum Deum et quem misisti Iesum Christum* (Ioan. 17, 3.). Hoc fiet, *cum venerit Dominus et illuminaverit occulta tenebrarum* (I. Cor. 4, 5.), cum tenebrae mortalitatis huius corruptionisque transierint. Tunc enim est *mane nostrum,* de quo in Psalmo (5, 5.) dicitur: *Mane astabo tibi et contemplabor.* De hac contemplatione intelligo dictum (I. Cor. 15, 24.): *Cum tradiderit regnum Deo et Patri,* id est, cum perduxerit iustos, in quibus nunc ex fide viventibus regnat *Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus* (I. Tim. 2, 5.), ad contemplationem Dei et Patris. Si desipio hic, corrigat me qui melius sapit; mihi aliud non videtur. Neque enim quaeremus aliud, cum ad illius contemplationem pervenerimus, quae nunc non est, quamdiu gaudium nostrum in spe est: *Spes autem, quae videtur, non est spes; quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (Rom. 8, 24.), quoadusque Rex in recubitu suo est... Contemplatio quippe merces est fidei, cui mercedi per fidem corda mundantur ».

tem Philosophi [1] est, cui ratio naturalis concordat, quod « opposita in eodem subiecto esse non possunt respectu eiusdem ». Inter omnes autem oppositiones maior oppositio est, quae est secundum affirmationem et negationem. De ratione autem fidei est, ut intellectus credens non videat id quod credit; de ratione autem beatitudinis est, ut beatus intellectus videat id quo beatificatur: ergo impossibile est, quod fides maneat simul cum beatitudine in eodem subiecto.

Sic igitur dico sine praeiudicio, quod fides evacuabitur nec manebit in patria, nec *totaliter* nec quantum *ad aliquid sui*, sumta ratione tum per comparationem fidei ad statum viae et patriae, tum per comparationem sui ad suum obiectum, tum per comparationem sui ad suum actum, tum per comparationem ad ipsum habitum, tum per comparationem ad suum subiectum.

Quibus visis, respondendum est ad argumenta *in contrarium* adducta.

Ad 1. dicendum, quod fides tollitur et evacuatur a suo opposito sive contrario, quod est lumen gloriae et cognitio [2] beatifica, quae est cognitio aperta, quae non potest simul stare cum cognitione obscura et aenigmatica, qualis est cognitio fidei. — Quod vero *obiicit*, quod lumen non opponitur lumini, nec cognitio cognitioni; dic, quod lumen et cognitio in quantum lumen et cognitio lumini vel cognitioni non opponuntur *de se*, sed ratione *alicuius annexi* sibi essentialiter, a quo non potest absolvi, et istud est obscuritas et aenigma et absentia crediti, ut visum est. Et est exemplum *color;* unde color colori non opponitur, sed color niger opponitur colori albo, et e converso.

Ad 2. dicendum, quod absque dubio, ut dicit Augustinus, « perfecta fides inchoat cognitionem, et cognitio perficitur post hanc vitam ». Sed distinguendum est de *inchoatione* et de *initio*. Est enim quoddam *initiativum* et *inchoativum extra* et quoddam *initiativum intra*. Et initiativum *intra* quoddam est, quod *opponitur* perfectioni et complemento; quoddam, quod *convenit* cum ipso. Illud quod *extra* inchoativum est, intro-

---

[1] De Praedicam. c. *de Oppositis* et II. Periherm. c. 4. (c. 14.): « Simul autem non contingit eidem inesse contraria »; cfr. XI. Metaph. c. 4. (X. c. 5.).

[2] A *a cognitione.*

ducto eo quod initiat, pellitur, sicut patet de timore *servili*, quod initiat caritatem sive sapientiam; tamen, caritate introducta, pellitur sicut seta, introducto filo, ut dicit Augustinus super primam Canonicam Ioannis, homilia nona [1]; et istud improprie dicitur *initiare*. — Aliud est initiativum *intra*, tamen *opponitur* perfectioni, ita quod, si stat cum initio eius quod inchoat, non tamen cum complemento. Hoc modo proprie dicitur timor initialis inchoare caritatem, ita tamen, quod non stat cum caritate perfecta, eo quod aliquo modo habet oculum ad poenam. Unde dicit idem Augustinus: « *Timor non est in caritate* [2]; sed in qua caritate? Non in inchoata. In qua ergo? Caritate perfecta, quia *perfecta caritas foras mittit timorem* ». — Aliud est initiativum *intra*, quod tamen *convenit* perfectioni et complemento, et ideo manet cum perfectione et complemento eius quod initiat, sicut *timor castus, qui permanet in saeculum saeculi* [3]. Ita intelligendum est in proposito, quod fides est inchoativa beatae visionis, non *intra*, sed *extra*; et ideo, illa beata visione veniente, pellitur fides. Est tamen inchoativa contemplationis in via, ita tamen, quod contemplatione perfecta in patria, pellitur, eo quod opponitur illi perfectae contemplationi, ut visum est.

Ad 3. dicendum, quod fides, prout est de temporalibus et prout est de rebus aeternis, in patria evacuabitur. — Sed quod *obiicit*, quod non videbunt mortem et passionem Christi vel resurrectionem; dico, quod, quamvis non videant eam in proprio genere, vident tamen eam in *sua ratione* et in *lumine aeterno* sive in Verbo multo clarius, quam si viderent eam in

---

[1] Seu tractatu 9. n. 4: « Ergo incipiat timor, quia *initium sapientiae timor Domini* (Eccli. 1, 16.). Timor quasi locum praeparat caritati; cum autem coeperit caritas habitare, pellitur timor, qui ei praeparavit locum. Quantum enim illa crescit, ille decrescit, et quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Maior caritas, minor timor; minor caritas, maior timor; si autem nullus timor, non est qua intret caritas. Sicut videmus, per setam introduci linum, quando aliquid suitur, seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum; sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret caritatem ».

[2] I. Ioan. 4, 18. — Sententia August. est loc. nota 1. cit.

[3] Psalm. 18, 10, ubi Vulgata: Timor Domini sanctus permanens in etc. Cfr. August., loc. nota 1. cit. n. 7. et de Sancta Virginitate, c. 38. n. 39. ac liber de Gratia novi Testamenti seu Epist. 140. (alias 120.) ad Honorandum, c. 21. n. 53.

proprio genere, id est in facto, et ideo eam non credent. — Quod *obiicit*, quod non comprehendunt divinam immensitatem: ergo aliquid vident, aliquid non vident, quod tamen credunt; dico, quod immo totum vident, nec aliquid non vident, aliquid vident, quia nec est ibi aliquid et aliquid, sed non vident ita limpide, sicut videri potest, neque secundum omnem modum. — *Si tu obiicias*, quod non vident omnes rationes ideales, et tamen quas non vident credunt; dico, quod, quamvis non videant omnes rationes ideales, vident tamen illud quod est illae rationes *essentialiter* [1], licet non videant secundum omnem respectum; et ideo illas non credunt, quas [2] tamen sciunt esse infinitas. — Vel dicendum, quod fides sive credulitas accipitur duobus modis: *proprie*, prout dicit habitum, quo assentitur primae veritati propter se de re non visa. Alio modo accipitur *communiter* pro quacumque existimatione seu coniectura, sicut de quolibet existimandum est bonum, nisi constet contrarium [3]. Quia igitur Beati Deum non comprehendunt, quamvis tamen videant, existimant semper plus et plus de Deo, quem vident se comprehendere non posse; et hoc non est forte inconveniens, aliquid Beatos credere, quia nec omnia noverunt. Sed haec non est illa fides, de qua loquimur.

Ad 4. dicendum, quod absque dubio in isto statu caritas sine fide esse non potest; hoc tamen non est ratione *qua fides*, sed ratione *qua cognitio*, quia caritas necessario praeexigit cognitionem. Quando autem cognitio multo perfectior succedet, multo erit perfectior caritas, ut dicit Augustinus I. de Doctrina christiana in fine [4]. Si enim tantum diligit quod non videt, multo magis diliget quod videbit.

---

[1] Ita nunc ab alia manu B, et A a secunda manu *scilicet* (secundum?) *essentiam* pro *essentialiter*. [2] Ita A, B omittit *quas*.

[3] Vide supra pag. 107, notam 5.

[4] Cap. 38. n. 42: « Si enim credendo diligimus quod nondum videmus, quanto magis, cum videre coeperimus? Et si sperando diligimus, quo nondum pervenimus, quanto magis cum pervenerimus? Inter temporalia quippe atque aeterna hoc interest, quod temporale aliquid plus diligitur, antequam habeatur, vilescit autem, cum advenerit; non enim satiat animam, cui vera est et certa sedes aeternitas; aeternum autem ardentius diligitur adeptum quam desideratum: nulli enim desideranti conceditur plus de illo existimare quam se habet, ut ei vilescat, cum minus invenerit; sed quantum quisque veniens existimare potuerit, plus perveniens inventurus est ».

Ad 5, quod contra hoc *obiicitur*, quod prius ordine temporis evacuatur fides, quam beata visio introducatur: ergo est intelligere, caritatem esse sine cognitione; dicendum, quod, licet fides prius naturae ordine evacuetur [1], tamen non evacuatur *omnis cognitio*. Inchoatur enim hic contemplatio, quae perficitur in patria, secundum Augustinum super Ioannem [2], in qua fundatur caritas. — Posset tamen alias dici, quod alio modo prius introducitur *fides*, alio modo prius introducitur *lumen gloriae*, sicut de expulsione culpae per gratiam; gratia enim purgat et perficit. In ratione ergo purgantis prior est introductio gratiae quam expulsio culpae; in ratione perficientis prior est expulsio culpae quam introductio gratiae, tamen simul ordine temporis; introductio enim unius est expulsio alterius. Ita dico in parte ista, quod non refert, primo intelligi introduci lumen gloriae, quam expelli fidei obscuritatem, et e converso, secundum diversam considerationem et comparationem, et tamen simul sunt. Ex alia parte ordo naturalis sive intelligendi nihil facit; quamvis enim primo intelligatur fides pelli, quam lumen gloriae introduci, nunquam tamen est intellectus sine aliqua cognitione, quoniam in eodem instanti temporis, quo pellitur fides, introducitur lumen gloriae.

Ad 6. dicendum, quod opinio magis distat a cognitione certitudinali quam fides; tamen fides magis a cognitione, quae est per apertam visionem, quam opinio a cognitione, quae est per demonstrationem, quia illud includit contradictionem. Notitia enim probabilis et notitia scientialis utraque est per medium: opinio per syllogismum dialecticum, sed scientia per syllogismum demonstrativum. Sed fides necessario est per medium, beata visio necessario sine medio; fides de non viso, beatitudo de viso: et ideo magis distant et magis opponuntur et nec simul se compatiuntur. — Alias potest dici, quod, licet istae duae cognitiones, quarum una est perfecta, alia est imperfecta, opponantur quantum ad *medium*, non tamen quantum ad *subiectum*. Idem enim intellectus per diversa media potest simul habere de aliquo *opinionem probabilem* per medium logicum et *cognitionem certitudinalem* per demonstrativum.

---

[1] A habet a secunda manu *fides intelligatur prius naturae ordine evacuari.*

[2] Cfr. supra pag. 172, nota 1. et arg. 2. — Paulo inferius codd. *quod aliquo modo* pro *quod alio modo.*

Sed de ratione beatitudinis est, ut Beatus videat; de ratione fidei est, ut credens non videat; impossibile est autem, quod unus simul videat et non videat.

Ad 7. dicendum, quod evacuatio dicit desitionem; desitio autem potest duobus modis accipi, ut scilicet dicat vel *nunc ultimo esse*, vel *nunc primo non esse*. Si evacuatio vel desitio dicat nunc ultimo esse, sic evacuatur in *via*, quia in via terminatur; si vero dicat nunc primo non esse, sic evacuatur in *patria*. Et est simile argumentum, sicut si arguerem sic: aut desinit sive corrumpitur in instanti, in quo est, aut in instanti, in quo non est. Si in instanti, in quo est: ergo simul est et non est; si in instanti, in quo non est, non potest desinere, quia quod non est non desinit. — Si enim dicat terminum intra, ut si dicatur *desinere* nunc ultimo esse, desinit in instanti, in quo est; si vero dicat terminum extra, ut si dicatur *desinere* nunc primo non esse, corrumpitur sive desinit in instanti, in quo non est. Nec est aliquod medium, quia in desitione fidei terminatur status viae, et in introductione gloriae incipit status patriae.

Ad 8. patet responsio per responsionem secundi argumenti. Potest enim dici, quod propositio non habet universaliter veritatem et habet instantiam in motu. Formae enim introductio simul incipit cum motu, et quanto magis proficit forma, tanto magis intenditur motus; tamen, forma introducta, cessat motus. — Ad formam autem argumenti dico, quod aliquando aliqua simul incipiunt et simul proficiunt, utpote quia unum ordinatur ad aliud pro statu non solum initii aut profectus, sed etiam complementi; et ista simul perficiuntur, et unum aliud non evacuat, sicut patuit de caritate et timore casto [1]. Aliquando autem ita se habent, quod conveniunt sibi invicem et ad se ordinantur pro statu inchoationis et profectionis, non tamen pro statu complementi, sed potius sibi repugnant; et tunc non habet veritatem. Ita est in proposito de fide et gratia, sive de fide et contemplatione.

Ad 9. dicendum, quod non est simile: quia cognitio matutina et vespertina non sunt cognitio eiusdem nec respectu eiusdem, et ideo simul possunt stare. Cognitio enim *matutina* est de rebus, prout habent esse in Verbo; cognitio autem *ve-*

[1] Supra pag. 172.

*spertina* est de rebus, prout habent esse in proprio genere [1]. Sed fides et beatitudo sunt de eodem, circa quod simul non possunt esse, quoniam beatitudo ponit visum, fides ponit non visum. — Vel potest dici, quod utraque illarum cognitionum est *perfecta* in genere suo et in gradu suo; nec dicitur cognitio vespertina *imperfecta* absolute, sed in comparatione respectu cognitionis, quae est in Verbo. Quod autem dicitur *obscura*, ratio est, secundum Augustinum [2], quia « creatura in se tenebra est, in Deo est lux »; nec hoc dicitur, quia cognitio sit obscura, sed quia est rei obscurae in se, tamen cognitio est luminosa: et ideo non est simile, quia cognitio per fidem simpliciter est obscura et imperfecta, cognitio beatifica omnino perfecta et clara.

Ad 10. respondent aliqui, quod remoto proprio, non manet commune idem *numero*, sed idem *genere*. Remota enim differentia alicuius speciei, non remanet substantia generis eadem numero; remoto enim rationali, non manet idem vivum numero, sicut remota differentia constitutiva albedinis, non remanet eadem substantia coloris numero, ut idem color sit modo niger, modo albus; et ideo dicunt, quod manet cognitio absque dubio eadem genere, sicut omnis cognitio est cognitio, nihil tamen manet, quod fuerit de substantia fidei. — Sed iste modus videtur relabi in opinionem revocatam de unitate formae [3]; secundum hoc enim, remota vel separata anima, non remanet idem corpus; quod est falsum. Idem enim est corpus numero, primo vivum et postea mortuum. Et ideo dicendum est, quod in compositis ex diversis naturis absque dubio ita est, quod secundum diversos gradus essendi diversae sunt formae, tamen ad

---

[1] De cognitione matutina et vespertina cfr. August., XI. de Civ. Dei, c. 7. et IV. de Gen. ad litt. c. 22. n. 39. seq.; Bonav., II. Sent. d. 4. a. 3. q. 1. et 2. ac V. de Scientia Christi, q. 2. solut. ad 9.

[2] XIII. Confess. c. 2. n. 3: « Nunc et nos, qui secundum animam creatura spiritualis sumus, aversi a te, nostro lumine, in ea vita fuimus aliquando tenebrae et in reliquiis obscuritatis nostrae laboramus, donec simus iustitia tua in Unico tuo sicut montes Dei »; simile recurrit c. 8. n. 9; cfr. I. de Gen. ad litt. c. 4. n. 9. seqq., IV. c. 22. n. 39. et 40, ubi dicit: « In comparatione lucis illius, quae in Verbo Dei conspicitur, omnis cognitio, qua creaturam quamlibet in se ipsa novimus, non immerito nox dici potest »; et Serm. 67. de Verbis Evang. Matth. c. 5. n. 8. seq.

[3] De quo cfr. Bonav., II. Sent. d. 13. a. 2. q. 2. et scholion, et ibid. pag. 30. scholion.

invicem ordinatae. Ab alia enim forma est corpus, ab alia vivum; ab alia sensibile, ab alia rationale sive homo; et ideo, anima remota, remanet idem corpus *numero*. In his autem, quae non sunt composita ex diversis naturis, non est ille gradus formarum sicut in accidentibus. Ab eadem enim forma est aliquid *quale* coloratum et album, et similiter Angelus ab eadem forma est substantia, vivens et intelligens. Quia igitur habitus est quoddam accidens, et cognitio similiter et ab eodem habitu est cognoscens et cognoscens aenigmatice; ideo, remota cognitione aenigmatica, removetur cognitio simpliciter in illo genere, sicut remota albedine, non remanet coloratum. — Vel posset dici, quod secus est in formis naturalibus et in formis a Deo infusis. Uterque enim habitus est a Deo infusus, et ideo habitus fidei totaliter evacuatur, et habitus beatitudinis totaliter infunditur.

Ad 11. patet responsio per responsionem primi argumenti. Dico enim, quod unum lumen non exstinguit aliud lumen nec cognitio cognitionem, unde cognitio est, sed ratione alicuius annexi, quod est de essentia alterius; quod omnino est incompossibile cum alia. — Vel dicendum, quod non est simile: quia lumina corporalia non sunt in eodem subiecto sicut lumen alicuius stellae et lumen solis, vel lumen candelae et lumen solis; et ideo istae imperfectiones duorum luminum non opponuntur, cum non respiciant idem subiectum; sed imperfectiones istorum luminum spiritualium opponuntur ad invicem et idem subiectum respiciunt: ideo simul esse non possunt, sicut nec obscuritas et claritas in eadem parte aëris.

Ad 12. dicendum, quod inferiores a superioribus illuminati ea quae ab ipsis suscipiunt, non cognoscunt per fidem, sed vident manifesta veritate; et quamvis directe non videant in Verbo, vident tamen in virtute Verbi, cuius iussu et imperio eis talia revelantur. — *Ulterius,* fit in eis species rei futurae contingentis, per quam vident, sicut si esset res praesens, sicut quando per Angelos aliqua hominibus revelantur. Non tamen negandum est, quin possit esse fides de aliquo et aliqua existimatio, sicut creditur alieno testimonio, quae tamen non est proprie fides, sicut daemones multa coniecturant de secretis cordium per aliqua signa probabilia. Et ita, quando aliquis Angelus revelat alii secretum suum, credit ei, quia scit, eum non posse mentiri.

Ad 13. dicendum, quod *velamen* magis opponitur cognitioni, quae est per fidem, quam *aenigma* cognitioni fidei, quia est de essentia eius, vel cognitioni, quae est per rationem; tamen aenigma magis opponitur visioni beatificae quam cognitio in velamine cognitioni, quae est per fidem, ut supra [1] diffuse visum est.

Ad 14. dicendum, quod non est simile: quoniam magis opponitur *fides* visioni beatificae quam *verecundia* vel poenitentia innocentiae pro statu isto, quoniam in statu perfectae innocentiae nulla fuisset verecundia, aut poenitentia. Quamvis enim iste innocens pro statu isto non habeat peccatum, habuit tamen peccatum originale et potest habere actuale, quamdiu in via est; habet et passiones pudendas et rebellionem carnis ad spiritum, quae sunt contra animam et sunt viae ad peccatum et ad peccatum inclinant. Sed fides et beatitudo simpliciter opponuntur, quia impossibile est simul aliquid videre et non videre.

Ad 15. dicendum, quod non est similis comparatio imaginis creationis ad imaginem recreationis, et imaginis recreationis ad imaginem glorificationis, quia *imago creationis* consistit in *potentiis naturalibus*, quae sunt subiectum imaginis tam glorificationis quam recreationis; et ideo manent sub utraque. Sed *imago recreationis* et *glorificationis* consistunt in *habitibus*, quorum aliqui sunt necessarii tantum isti statui, sicut visum est [2], et habitibus perfectissimis opponuntur; ideo se non compatiuntur, immo, cum ad illos ventum fuerit, a Deo evacuabuntur.

Ad 16. dicendum, quod non sic se habet caritas ad fidei informationem sicut beatitudo sive visio beatifica ad cognitionem aenigmaticam, nec fides informis ad caritatem sicut cognitio aenigmatica ad cognitionem apertam. Quia enim informitas accidit fidei, ideo caritas, quae est forma virtutum, cum advenerit, tollit imperfectionem et perficit fidem ipsam. Sed quia aenigma est ita essentiale fidei, quod nullo modo stare potest cum aperta visione; ideo, amoto aenigmate, fides necessario tollitur.

Ad 17. dicendum, quod *maior* illius argumenti est falsa, sicut apparet in simili; si ego dicam: Illud, sine quo non pervenitur ad portum, nec potest quis remanere in portu, est neces-

[1] Pag. 171, solut. ad 2. [2] Supra pag. 167 seq.

sarium in portu; hoc est falsum, quia sine navi non pervenitur ad portum, et quia non pervenitur, ideo nec permanetur; non tamen navis est necessaria, cum pervenitur ad portum. Ita dico in proposito, quod sine fide nullus gratiam iustificationis consequitur, et quia non consequitur gratiam, nec possidebit vitam aeternam; non tamen propter hoc manet in vita aeterna. — Sed quod *dicit:* possidebit; intelligendum, non quod per fidem possideatur, sed non sine illa, quia ipsa disponit et introducit, et nullus potest possidere nisi introductus; tamen sicut seta pellitur, introducto filo, sic fides, vita aeterna adepta.

Ad 18. dicendum, quod non est similis communitas *dilectionis* ad perfectam et imperfectam et *cognitionis* ad perfectam et imperfectam. Communitas enim cognitionis est quasi communitas generis, ita quod cognitio perfecta et imperfecta differunt secundum essentiam sicut species sub genere. Ideo sicut una species non potest transmutari in aliam, ita nec cognitio imperfecta fidei in perfectam ista perfectione, de qua nunc loquimur [1]. Sed communitas dilectionis est quasi communitas subiecti, pro eo quod imperfectio accidit dilectioni, et ideo eadem dilectio potest esse imperfecta et perfecta; propterea sic manet eadem dilectio, sublata imperfectione et perducta ad perfectum, quod non manet eadem cognitio.

Ad 19. responsum est in alio simili argumento [2]: quia non est verum universaliter, sicut patuit per exemplum. Dico tamen ad argumentum, quod verum est, quando illa duo ordinantur ad invicem secundum omnem statum. Non ita est in proposito. Nam sic ordinantur in statu inchoationis et profectionis sive vigorationis, quod non in statu complementi, ut ostensum est.

Ad 20. dicendum, quod non est simile: quoniam materia ex sua imperfectione ordinatur ad formam, quae est eius perfectio complens eius imperfectionem; et tam nobilis potest esse forma, quod [3] omnino terminat fluxum et appetitum eius, sicut

---

[1] Ita probabiliter legit A; B etiam sic legebat primitus, non tamen hoc loco, sed, per defectum amanuensis, infra in sequenti quaestione in fine *secundi Item* post verba *exstinctionem oculi,* continuans sic: *Communitas enim* usque ad verba *eadem cognitio;* quae verba manus posterior expunxit et scripsit ad calcem: *Communitas enim.... non potest transire in aliam, ita nec cognitio imperfecta in perfectam et cognitio fidei in cognitionem apertam. Sed communitas* etc.

[2] Scil. ad 2. (pag. 171) et ad 8. (pag. 175). [3] Codd. minus bene *quae.*

apparet in corporibus caelestibus et in substantiis spiritualibus. Sed fides et beatitudo opponuntur tanquam duae formae oppositae, quarum una est essentialiter imperfecta, altera essentialiter perfecta, et ideo non simul stant. — Quod vero *dicit*, quod non potest materia absolvi a sua imperfectione; dico, quod materia *in se* considerata semper est imperfecta; ut tamen sub forma est, non remanet imperfecta.

Ad 21. dicendum, quod fides evacuatur a parte *virtutis influentis*, eo quod influit habitum oppositum, qui non potest stare cum *habitu fidei;* tamen ipse nullo modo mutatus prius non influit, postea influit, quia non operatur per motum, sed solo iussu, solo imperio, solo verbo. Evacuatur etiam ex parte *subiecti recipientis*, in quo duo opposita simul esse non possunt respectu eiusdem, ut *non videre*, quod est proprie fidei, et *videre*, quod est proprium beatitudinis sive gloriae; et ideo, beatitudine veniente, necessario pellitur. — Aliae etiam rationes supra positae sunt.

Sed adhuc arguitur: Augustinus [1] dicit, quod cum perventum fuerit ad beatitudinem, in anima continebitur fides et sapientia: ergo non evacuabitur. Respondeo: Dicendum, quod nomen *habitus* accipitur aliquando pro habitibus ipsis, aliquando pro *actibus*, aliquando pro *obiectis*, sicut Philosophus [2] ponit

---

[1] Codd. citant 83 Qq. q. 66; sed nihil ibi invenitur de hoc; fortasse respicitur q. 68. n. 3, ubi dicitur: « Merces cognitionis meritis redditur, credendo autem meritum comparatur »; cfr. etiam XIII. de Trin. c. 7. n. 10. ac XIV. c. 19. n. 25. seq.

[2] II. de Anima, text. 21. (c. 2.) et III. text. 2. seq., text. 18. seqq., text. 39. et text. 46. seqq. (c. 4. seq. et c. 8. seqq.). Quod Philosophus hisce locis de intellectu dicit valet etiam quoad scientiam; de qua in specie idem, XIII. Metaph. c. 10. (11.): « Scientia sicut et ipsum scire duplex est, quorum aliud potentia, aliud actu est. Potentia igitur, cum sit tanquam materia ipsius universalis ac indefinita, universalis indefinitique est; actus vero determinatus et determinati, cum quod quid huiusque alicuius sit. Verum per accidens videt visus colorem universalem, eo quod hic color, quem videt, color est, et quod grammaticus hoc A speculatur A est. Nam si necesse est, principia universalia esse, necesse est, illa quoque ex universalibus esse, quemadmodum in demonstrationibus est; quod quidem ita est, nihil erit separatum nec substantia quidem. Sed constat, quod quodam modo quidem scientia universalis est, quodam modo vero minime »; II. Magnorum Moral. c. 7. (6.): « Est quippe scire duplex: unum quidem habere scientiam (nam tum demum scire quempiam dicimus eam rem, cuius teneat scientiam), alterum vero ipsam exercere scientiam (i. e. operari eam et agere

exemplum de scientia, quod accipitur pro *habitu scientifico*, aliquando pro *actu sciendi*, aliquando pro *obiecto*, et similiter intellectus [1]; unde dicimus, quod testamentum est ultima hominis voluntas, accipientes voluntatem pro volito. Fides igitur accipitur pro *veritate*, quae est obiectum fidei, et ad quam fides ordinatur, non pro *habitu credendi*.

Item, arguitur: quoniam idem Augustinus IV. de Trinitate [2] dicit, quod « fides fiet veritas et transibit in veritatem »; sed quod transit in aliud perfectius non evacuatur: ergo etc. — Ad hoc dicendum, quod hoc *fieri hoc*, vel *hoc transire in hoc* potest intelligi duobus modis: uno modo, sicut puer fit senex, *idem manens* secundum *substantiam*; alio modo, sicut panis fit corpus Christi vel transit, non quod maneat corpus vel aliquid corporis, sed quia istud *prius* fuit, *modo* est illud, ad quod illud ordinabatur. Ita est in proposito.

## QUAESTIO VII.

**Quaestio est, utrum Angelus, vel homo in primo statu habuit fidem, aut fides pro illo statu fuit necessaria.**

*Quod non, ostenditur sic*:

1. Hugo I. libro de Sacramentis [3]: « Cognovit homo Creatorem suum — loquitur pro illo statu [4] — non ea cognitione, quae foris ex *auditu* solo percipitur, sed ea potius, quae intus per inspirationem ministratur; non ea quidem, qua Deus modo a credentibus absens fide quaeritur, sed ea qua tunc per prae-

---

per scientiam) »; cfr. VII. Ethic. Nicomachiorum, c. 3. et IV. Metaph. c. 7. et II. Moral. Eudem. c. 9.

[1] « Intellectus vocatur, sicut vult Philosophus, aliquando *potentia* intellectiva, aliquando *habitus* intelligendi, aliquando *actus* », ita Bonav., II. Sent. d. 25. p. I. q. 4. in corpore (pag. 601).

[2] Cap. 18. n. 24; cfr. supra pag. 168, nota 1.

[3] Part. VI. c. 14. — In publicando textu huius et seq. quaestionis usi sumus solo B, qui tamen in multis locis in margine correctus est iuxta originale A.

[4] Dicit enim loc. cit.: « Cognitionem vero Creatoris sui primum hominem habuisse, dubium non est. Quoniam si pro vita temporali conservanda in rebus transitoriis tam magnam scientiam accepit (homo), multo magis pro vita aeterna adipiscenda excellentiorem et abundantiorem in caelestibus cognitionem habere debuit ».

sentiam contemplationis scienti manifestius cernebatur ». Ex ista auctoritate potest ex duobus argui: primo, quia dicit non cognovisse eo modo, quo per fidem cognoscitur; secundo, quia dicit, quod scienti manifestius cernebatur, quia manifesta cognitio excludit cognitionem, quae est per fidem; et si sic homo novit, multo magis Angelus, cuius status sublimior et cognitio clarior.

2. Item, idem X. parte eiusdem libri [1] dicit, quod « homo in statu illo triplicem oculum accepit, scilicet oculum *carnis*, quo ea quae extra sunt, videret, mundum scilicet et quae in mundo sunt; oculum *rationis*, quo se ipsam anima videret et quae in ipsa sunt; oculum *contemplationis*, quo supra se Deum videret et ea quae in Deo erant. Hos ergo oculos quamdiu anima apertos et revelatos habebat, clare videbat et recte discernebat; postquam autem tenebrae peccati in illam intraverunt, oculus contemplationis exstinctus est, ut nihil videret »; et post: « Quia igitur oculum contemplationis non habet, Deum et quae in Deo sunt videre non valet ». Fides ergo necessaria est, qua creduntur quae non videntur. Quia ergo in illo statu fuit oculus contemplationis clarus, videbat Deum et quae in Deo erant: ergo fide non indigebat. Necessitas autem fidei solum est propter exstinctionem oculi: ergo etc.

3. Item, fides dicit cognitionem aenigmaticam, ita quod aenigma est sibi essentiale, sicut colligitur ex verbis Apostoli [2]: *Videmus nunc per speculum* et *in aenigmate*. Sed in statu primo non potuit ibi esse aenigma: ergo nec fides. *Probatio minoris:* Augustinus XV. de Trinitate [3]: « Aenigma est alle-

---

[1] Cap. 2; verba integra videsis supra pag. 66, nota 2. [2] I. Cor. 13, 12.

[3] Cap. 9. n. 15: « Huius tropi, id est allegoriae, plures sunt species, in quibus est etiam quod dicitur *aenigma*. Definitio autem ipsius nominis generalis omnes etiam species complectatur necesse est; ac per hoc, sicut omnis equus animal est, non omne animal equus est, ita omne aenigma allegoria est, non omnis allegoria aenigma est. Quid ergo est allegoria nisi tropus, ubi ex alio aliud intelligitur, quale illud est ad Thessalonicenses (I. 5, 6.): *Itaque non dormiamus sicut et ceteri, sed vigilemus et sobrii simus. Nam qui dormiunt nocte dormiunt, et qui inebriantur nocte ebrii sunt; nos autem, qui diei sumus, sobrii simus.* Sed haec allegoria non est aenigma; nam nisi multum tardis iste sensus in promptu est. Aenigma est autem, ut breviter explicem, obscura allegoria, sicuti est (Prov. 19, 15.): *Sanguisugae erant tres* (Vulgata *duae*) *filiae* »; et n. 16: « Sicut Apostolus nomine *speculi* imaginem voluit intelligi, ita nomine *aenigmatis* quamvis similitudinem, tamen obscuram et ad perspiciendum difficilem ».

goria », haec est « similitudo obscura »; sed in statu illo obscuritas esse non potuit, quia omnis obscuritas introducta est propter peccatum: ergo etc.

Respondebatur, quod duplex est obscuritas: una poenalis, et illa propter peccatum est introducta; alia naturalis, quae non est aliud quam quidam naturae defectus, et ista non est per peccatum introducta. Talis fuit in primo statu et ista sufficit ad rationem fidei. — Sed *contra:* naturalis defectus a natura est nec circumscribi nec tolli aut separari potest, et ideo non tantum manet in primo statu, immo in statu gloriae. Si igitur illa obscuritas sufficit ad fidei rationem: ergo fides non tantum fuit in primo statu, immo erit in statu perfectae beatitudinis.

4. Item, fides non est necessaria, nisi ubi est error vel dubitatio circa divina possibilis; sed in statu primo error non fuit possibilis, statu manente: ergo nec fuit fides necessaria. *Maior* videtur esse manifesta et potest elici ex verbis Augustini, I. libro Soliloquiorum non multum post principium [1]: « Dum anima est in hoc corpore, etiamsi plenissime videat Deum, hoc est, intelligat; tamen, quia etiam corporis sensus utuntur opere proprio, etsi nihil quidem valent ad fallendum, valent tamen nonnihil ad ambigendum, et potest adhuc dici *fides* ea qua his resistitur, et illud potius verum esse creditur ». Sed in statu illo, ut dictum est, error nullo modo esse potuit nec aliqua obsistentia sensus ad rationem: ergo etc.

Dicebatur, quod fides ad duos effectus ordinatur in anima, scilicet ad mentis elevationem et erroris exclusionem sive mentis directionem. Quamvis igitur fides pro illo statu non fuisset necessaria quantum ad secundum effectum, quia non indiguit directione; fuisset tamen necessaria quoad mentis elevationem, quae sine fidei habitu elevante non poterat in Deum elevari. — Sed *contra:* ubi est necessaria elevatio, ibi necessaria est directio: ergo si fides necessaria fuit propter mentis elevationem, fuit et necessaria propter mentis directionem vel erroris possibilis exclusionem. *Probatio consequentiae:* Supponamus,

---

[1] Scil. c. 7. n. 14; in quo textu edit. *si nihil quidem valent ad fallendum, non tamen nihil ad ambigendum, potest* pro *etsi nihil quidem valent fallendum, valent tamen nonnihil ad ambigendum, et potest.* Cfr. supra pag. 17, nota 2. seq.

quod primus homo, vel Angelus fidem non habuerit, et videbimus necessitatem fidei; proponatur aliquod credibile, puta Deum trinum et unum: aut assentiret, aut non assentiret. Si assentiret; nec habet fidem, ex hypothesi: ergo fide non indigebat. Si non assentiret: ergo posset errare, quia omnis, qui dissentit, aut non consentit, si habet usum rationis, est haereticus iudicandus: ergo pro illo statu fuit possibilis error; quod falsum est. Ergo si non fuit necessaria propter directionem aut erroris possibilis exclusionem: ergo nec fuit necessaria propter mentis elevationem.

5. Item, certum est, quod fides evacuatur in patria, secundum doctrinam Apostoli [1] et Augustini, I. de Doctrina christiana in fine [2] et in multis locis. Sed cognitio, quae fuit in primo statu, non fuisset evacuata, statu gloriae adveniente: ergo in primo statu non fuisset notitia illa, quae est per fidem. *Probatio minoris:* Hugo in libro I. de Sacramentis [3]: « Cognovit, inquit, homo Creatorem suum non ita excellenter, sicut cognoscere potuisset, si stetisset; et ideo illi cognitioni plurimum addendum fuit ». Cognitio igitur illa non fuisset evacuata, sed fuisset perfecta: ergo etc.

Dicebatur, quod fides dicitur evacuari in patria, non quod cognitio evacuetur, quae est substrata fidei, sed evacuatur modus imperfectus, qui est per speculum et aenigma. *Contra:* si propter ablationem imperfectionis dicitur fides in patria evacuari; cum imperfectio auferatur a caritate et perficiatur

---

[1] I. Cor. 13, 10: Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.

[2] Cap. 38. n. 42. seq.; cfr. idem, XIV. de Trin. c. 2. n. 4. et c. 3. n. 5. ac c. 9. n. 12; Epist. 155. (alias 52.) c. 4. n. 16; VI. Music. c. 16. n. 51. seqq.; XII. de Gen. ad litt. c. 31. n. 59; Enchirid. de Fide etc. c. 5. n. 1; Enarrat. in Ps. 44. n. 25: « Praedicatum est nobis quod nondum videmus et audiendo credidimus, credendo videbimus »; et Enarrat. in Ps. 109. n. 8: « Quae enim esset merces fidei, nisi lateret quod credimus? Merces autem fidei est videre quod credidimus, antequam videremus »; in Ioan. Evang. tr. 75. n. 4. — Vide etiam supra pag. 173, notam 4. et q. praecedentem.

[3] Part. VI. c. 14: « Cognovit homo Creatorem suum non ita excellenter, sicut postea cognoscere debuisset, si perstitisset. Sicut enim inobedientia hominis per subsequentem ignorantiam primae cognitioni multum abstulit, sic eidem cognitioni, si in obedientia homo perstitisset, per subsequentem revelationem plurimum addendum fuit ».

in patria: ergo similiter debet dici evacuari; quod est omnino contra Sanctorum doctrinam et omnium magistrorum sententiam.

6. Item, si prima Angelorum cognitio non fuit cognitio fidei, ergo in statu illo fidem non habuerunt; *consequentia* videtur esse necessaria. Sed prima cognitio non potuit esse cognitio fidei: ergo etc. *Probatio minoris* est, quia cognitio fidei est complexa; cognitio autem incomplexa necessario praecedit complexam, sicut simplex, compositum: ergo etc.

7. Item, super illud Apostoli [1]: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*, dicit Glossa: « Per fidem subsistunt in nobis speranda, quae non videmus ». Sed homo in primo statu vidit Deum per essentiam: ergo non indiguit fide nec fidem habuit. *Probatio minoris:* Magister Sententiarum [2] dicit, quod « homo videbat Deum sine medio »; sed visio immediata est visio per essentiam: ergo etc.

8. Item, si Angelus, vel homo fidem habuerunt, aut habuerunt *eandem* fidem *specie*, aut *aliam*. Si *aliam:* ergo fuit fides aequivoce, quod est falsum; nam « una est fides et uniformis in omnibus », secundum Augustinum XIII. de Trinitate [3]; si *eandem;* contra: fides in nobis acquiritur ex articulis; sed in illis non potuit ex articulis acquiri, cum non possent scire, Deum passurum pro peccatis, nec resurrectionem, quia non poterant se scire morituros. Sic enim praecognoscerent, se peccaturos, quod non potuerunt in illo statu, secundum doctrinam Augustini. Ergo si nec eandem nec aliam habuerunt, ergo nullam.

9. Item, si habuerunt fidem, aut formatam, aut informem. Non formatam, quia non habuerunt gratiam, saltem in crea-

---

[1] Hebr. 11, 1. — Glossa est *ordinaria* apud Lyranum: « Fides est causa, quae res sperandas faciet quandoque subsistere in nobis »; et apud Petr. Lombardum, qui etiam dicit: « Proprie dicitur fides substantia, quia sperandis substat et facit, ea esse in credente in alia vita »; et secundum eum tria sunt in ista definitione Apostoli, scilicet « quid efficiat in nobis, et quod fundamentum est omnium bonorum, et quod de non apparentibus est; de visis non est fides, sed agnitio ».

[2] IV. Sent. d. 1. c. 5. (cfr. Bonav. IV. pag. 8. seq.).

[3] Cap. 2. n. 5, ubi s. doctor dilucide explanat, quomodo fides, quae est res cordis, non corporis, communis et una sit omnium credentium, et quidem eadem credentium fides *una*, non secus ac eadem volentium voluntas una: una non numero, sed genere.

tione. Nec informem. *Probatio:* quia, ut dicit Augustinus de Praedestinatione Sanctorum [1], « credere est cum assensu cogitare »: ergo credere est actus deliberatus. Sed omnis actus deliberatus fuit aut meritorius, aut demeritorius: ergo credere fuisset meritorium; et non nisi per gratiam: ergo non fuisset fides informis: ergo neque formatam fidem habuerunt nec informem.

10. Item, omne corrumpens, quod corrumpit aliquam formam, corrumpit omnes dispositiones necessarias et essentiales ad illam formam vel statim, vel post tempus, sicut separata anima rationali, corrumpitur sensitiva et vegetativa statim; forma autem corporis, etsi ad tempus maneat, necessario postmodum corrumpitur. Sed fides informis est dispositio ad fidem formatam. Ergo si Angeli habuerunt fidem formatam; et fides formata corrupta est propter peccatum: ergo vel tunc immediate, vel saltem postea corrupta est fides informis: ergo illa fides, quae est in daemonibus, qua *credunt et contremiscunt* [2], non est aliquis habitus fidei informis vel formatae: ergo nec fidem habuerunt nec fidem habent.

11. Item, secundum doctrinam Augustini, II. et IV. super Genesim ad litteram [3] et II. de Civitate Dei, « Angeli viderunt

---

[1] Cap. 2. n. 5.

[2] Iac. 2, 19.

[3] II. c. 7. n. 18: « *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia* (Rom. 11, 36.) Ex ipso ergo discebant Angeli, cum in eis fieret cognitio creaturae deinceps faciendae, ac deinde fieret in genere proprio » (vide et c. 6. n. 12.); et IV. c. 32. n. 49: « Neque cognitio fieri potest, nisi cognoscenda praecedant; quae item priora sunt in Verbo, per quod facta sunt, quam in iis quae facta sunt omnibus. Mens itaque humana prius haec quae facta sunt, per sensus corporis experitur eorumque notitiam pro infirmitatis humanae modulo capit et deinde quaerit eorum causas, si quo modo possit ad eas pervenire principaliter atque incommutabiliter manentes in Verbo Dei, ac sic *invisibilia eius per ea quae facta sunt, intellecta conspicere* (Rom. 1, 20.). Quod quanta tarditate ac difficultate agat et quanta temporis mora propter corpus corruptibile, *quod aggravat animam* (Sap. 9, 15.), etiam quae ferventissimo studio rapitur, ut instanter ac perseveranter hoc agat, quis ignorat? Mens vero angelica, pura caritate inhaerens Verbo Dei, posteaquam illo ordine creata est, ut praecederet cetera, prius ea vidit in Verbo Dei facienda, quam facta sunt; ac sic prius in eius fiebant cognitione, cum Deus dicebat, ut fierent, quam in sua propria natura, quae itidem facta, in eis ipsis etiam cognovit, minore utique notitia, quae *vespera* dicta est. Quam notitiam sane praecedebant quae fiebant, quia praecedit cognitionem quidquid cognosci potest. Nisi enim prius sit quod cognoscatur, cognosci

res fiendas in Verbo ». Sed qui videt res fiendas in Verbo videt Verbum necessario, sicut qui videt imaginem in speculo necessario videt speculum: ergo Angeli videbant ipsum Verbum. Sed visio Verbi secum non compatitur fidem: ergo etc.

CONTRA:

1. In omni statu est fides necessaria, in quo aliquid exspectatur, quod nondum habetur; sed tam Angelus quam homo in statu primo aliquid exspectabant, quod nondum habebant: ergo fidem habebant. *Minor* patet, quoniam exspectabant completam beatitudinem; *maior* probatur per Augustinum XIII. de Civitate Dei [1], ubi dicit, quod « tunc est fides, quando exspectatur in spe quod in re nondum habetur ».

2. Item, Hugo in I. libro de Sacramentis [2] dicit, quod « Deus homini duo bona praeparavit: unum visibile, alterum invisibile; unum corporale, alterum spirituale; unum transitorium, alterum aeternum; utrumque plenum et utrumque in suo genere perfectum; unum carni, alterum spiritui, ut in uno sensus carnis ad iucunditatem foveretur, in altero sensus mentis ad felicitatem repleretur: carni visibilia, spiritui invisibilia; carni ad solatium, spiritui ad gaudium. Ex his bonis unum dedit, alterum promisit ». Tunc aut credidit veritati promittentis, aut non credidit. Si non credidit, ergo peccavit mortaliter: ergo cecidit per infidelitatem; quod nullus dicit. Si credidit: ergo fidem habuit, quoniam credere est actus fidei. Proprius autem actus et determinatus non potest esse nisi a proprio et determinato habitu.

---

non potest ». Ac XI. de Civ. Dei, c. 9. dicit s. doctor: « Cum enim dixit Deus: *Fiat lux, et facta est lux,* si recte in hac luce creatio intelligitur Angelorum, profecto facti sunt participes lucis aeternae, quod (quae ?) est ipsa incommutabilis sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, quem (quam ?) dicimus unigenitum Dei Filium, ut ea luce illuminati, qua creati, fierent lux et vocarentur *dies* participatione incommutabilis lucis et diei, quod est Verbum Dei, per quod et ipsi et omnia facta sunt ». Cfr. etiam c. 7. et c. 29, ubi tractatur de sanctorum Angelorum scientia, qua Trinitatem in ipsa eius Deitate noverunt et qua causas prius in operantis arte quam in ipsis operibus artificis intuentur. — Vide Bonav., II. Sent. d. 4. a. 3. q. 1. et 2. cum scholio.

[1] Cap. 4, ubi edit. *videtur* pro *habetur*.

[2] Part. VI. c.

3. Item, Augustinus in Enchiridio [1]: « In Epistola, inquit, ad Hebraeos, qua teste usi sunt illustres catholicae Regulae defensores, fides esse dicta est *convictio rerum, quae non videntur* »; et ad Hebraeos [2]: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Sed certum est, quod tam Angelus quam homo in primo statu Deum cognovit nec vidit, quia visio facit beatum: ergo uterque fidem habuit et per fidem cognovit.

4. Item, in primo statu homo, vel Angelus aut videbat *facie ad faciem* [3] Deum, aut videbat *per speculum* et *imaginem.* Sed certum est, quod non videbat *facie ad faciem*, quia illa est visio beatifica: ergo videbat per speculum et imaginem. Sed videre per speculum et imaginem est videre per fidem: ergo fidem habuerunt. *Probatio minoris:* Secundum Hugonem, I. libro de Sacramentis [4], « videmus nunc per speculum. Quod est speculum? Speculum est cor tuum, imago in speculo est fides in corde tuo »: ergo etc.

5. Item, Augustinus in I. libro de Doctrina christiana [5] et in Enchiridio dicit, quod « spes sine fide esse non potest »; sed in primo statu tam Angelus quam homo habuerunt spem: ergo habuerunt fidem. *Probatio minoris* in promptu est, quoniam « spes est certa exspectatio futurae beatitudinis [6] »; ipsi autem beatitudinem exspectabant: ergo etc.

---

[1] Cap. 8. n. 2. et XIII. de Trin. c. 1. n. 3; in quo textu codd. erronee *cognitio* pro *convictio* (Graece ἔλεγχος, quod est idem ac demonstratio, ostensio, probatio, certa persuasio; quam ob rem, ut dicunt « Biblia Maxima » (auctore Ioanne de la Haye, O. F. Min.), alii legunt: Fides est *evidentia eorum quae non cernuntur* pro *argumentum non apparentium*, ut legit Vulgata, quae deducit *argumentum* ab arguendo, i. e. ostendendo, probando). — Notamus, ab Augustino *Regulam catholicam* vel *Regulam fidei* semper dici solere *Symbolum* (vide etiam Enchirid. c. 56. n. 15.). Cfr. Hugo de S. Victore, Summa Sententiarum, tr. 1. c. 1. de fide, et Petr. Lombard. III. Sent. d. 23. c. 8. (vide Bonav., III. pag. 468).

[2] Cap. 11, 1. [3] 1. Cor. 13, 12.

[4] Part. X. c. 9; cfr. supra pag. 169, nota 3, et Bonav., II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3.

[5] Cap. 37. n. 41; Enchirid. c. 8. n. 2: « Fides credit, spes et caritas orant, sed sine fide esse non possunt », et in fine: « Nec amor sine spe est, nec sine amore spes, nec utrumque sine fide »; cfr. Hugo de S. Victore, Sum. Sent. tr. 1. c. 2. et supra pag. 116, nota 2.

[6] Ut dicit Magister Sent. d. 26. c. 1. (cfr. Bonav., IV. pag. 553). Vide etiam Hug. de S. Victore, Sum. Sent. tr. 1. c. 2: « Spes est fiducia futurorum bonorum ex gratia Dei et ex bona conscientia veniens ».

6. Item, prima cognitio Angeli necessario fuit cognitio fidei: ergo necessario fidem habuit. *Consequentia* plana est; *probatio antecedentis* apparet: quoniam Angelus primo actu cognitionis necessario ferebatur in primum cognoscibile, in quo idem est obiectum et ratio obiecti; sed sola cognitio fidei est illa, in qua idem est obiectum cognoscibile et ratio obiecti, quoniam assentit primae veritati propter se ipsam: ergo etc.

7. Item, certum est, quod tam homo quam Angelus habuit de Deo aliquam cognitionem. *Demus*, quoniam cognoscebat Deum omnipotentem ac per hoc potentem producere infinita; et certum est, quod illa infinita possibilia a divina potentia nesciebat nec videbat: ergo illa credebat. Et similiter sciebat Deum omnipotentem, sed tamen eum non comprehendebat: ergo aliquid sciebat, aliquid nesciebat. Sed illud quod nesciebat, credebat: ergo fidem habebat, quia credere non est nisi actus fidei.

8. Item, suppono, quod Angelus et homo aut fuerunt creati in gratia, aut saltem postea fuit eis addita. Sed gratia est quaedam inchoatio gloriae; gloria consistit in tribus: in perfruitione, tentione et in cognitione aperta summi boni. Sicut ergo fuit in eis inchoatio perfruitionis in caritate, ita et tentionis debuit esse in spe et perfectae cognitionis in fide et per fidem: ergo necessario fuit, quod fidem haberent.

9. Item, Iacobi capitulo secundo[1] dicitur, quod *daemones credunt et contremiscunt:* ergo habent fidem. Tunc arguo: constat, quod post peccatum nullus habitus eis infusus est: ergo si fidem habent, ergo fidem habuerunt; sed tunc formatam, modo informem.

10. Item, Apostolus[2]: *Ut innotescat principatibus et potestatibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei;* et Ioannes Chrysostomus super principio Ioannis aperte dicit, quod « Angeli multa mysteria fidei a Ioanne didicerunt ». Sed mysterium fidei non possent discere nisi illuminati lumine fidei et

---

[1] Vers. 19.

[2] Eph. 3, 10. — Sententia Chrysost. habetur homil. 1. n. 2: « Nihil humanum dicet, sed quidquid loquetur, ex spiritualibus abyssis haustum est, ex arcanis illis, quae ne Angeli quidem, antequam illa fierent, noverant. Nam et ipsi nobiscum per Ioannis vocem et per nos didicerunt ea quae nos novimus. Et hoc quoque significavit alius Apostolus his verbis: *Ut innotescat* » etc.

nisi illa crederent: ergo necessario Angelus et homo primus in primo statu fidem habuerunt.

RESPONDEO.

Circa istam quaestionem sunt diversae et variae magistrorum opiniones.

Quidam enim dicunt, quod Angelus et homo in primo statu fidem habuerunt, et omnino fides necessaria fuit, nisi forte velimus dicere, quod eis fuit penitus ignotum id, de quo fides est. Ratio autem eorum in parte tacta est in opponendo, quoniam nec primus homo nec primus Angelus Deum per *essentiam* sive *facie ad faciem* videbat, quoniam illa est cognitio beatifica; per naturam autem ad ea cognoscenda, quorum notitia habetur per fidem, perveniri non potest: unde necesse est, quod fidem habuerint, quae, secundum Augustinum, Apostolum et Gregorium, est *convictio* [1] *eorum quae non videntur*. — Aliorum vero opinio omnino est his contraria, asserentium, quod nec Angelus nec homo in primo statu fidem habuerunt, sed habuerunt quendam modum contemplationis sublimiorem, statum fidei excedentem, non tamen pertingentem ad illam beatificam visionem.

Nos autem sine praeiudicio sententiae verioris, nihil temere asserentes, dicimus, quod nec Angelus nec homo primus pro statu primo fidem habuerunt, nec eis necessaria fuit, secundae opinioni assentientes. Ad cuius intelligentiam et declarationem potest sumi ratio:

Primo quantum ad *illum statum*. Status enim ille adeo fuit perfectus, quod nullus error sicut et nullum peccatum fuit ibi possibile, nulla haesitatio, nulla dubitatio circa Deum, nulla rebellio, nulla obsistentia sensuum ad rationem vel ad intellectum fuit possibilis propter illius status rectitudinem. Nam talis rebellio omnino introducta est propter *peccatum* et est *poena peccati*, secundum Augustinum XIV. de Civitate Dei [2] et

[1] Codd. iterum inepte *cognitio;* cfr. supra pag. 188, nota 1. — August., Enchirid. de Fide etc. c. 8. n. 2; Apostoli locus est Hebr. 11, 1, et Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 8: « Apparentia non habent fidem, sed agnitionem » (vide IV. Dialog. c. 6.). — Cfr. etiam Hugo de S. Victore, I. de Sacramentis, p. X. c. 2.

[2] Cap. 9. seqq. et praesertim c. 15. n. 1. seq. et c. 26. — De aliis locis cfr. I. Retract. c. 9. n. 5, c. 13. n. 5, c. 15. n. 2, c. 16. n. 2; III. de Lib. Arb.

multis aliis locis. Fides autem non est necessaria nisi propter errorem possibilem seu haesitationem, propter sensuum rebellionem obsistentium rationi, ad purificandum oculum intellectualem. Et ideo in illo statu fides non fuit necessaria, nec Angelus vel homo pro primo illo statu fidem habuit. Hoc videtur insinuare expresse Augustinus, ut est supra allegatum, I. libro Soliloquiorum [1], ubi dicitur, quod « et quamcumque habeat quis de Deo perfectam cognitionem, tamen, quamdiu oportet sensibus resisti, unde ambiguitas causari potest, necessaria est fides, qua his resistitur ». Hoc etiam videtur dicere et insinuare et assignare pro ratione, II. de Civitate Dei in principio [2]: « Quia ipsa mens, inquit, cui ratio et intelligentia naturaliter inest, vitiis quibusdam tenebrosis et veteribus invalida est, non solum ad inhaerendum fruendo, verum etiam ad perferendum incommutabile lumen [3], donec *de die in diem renovata* atque sanata, fiat tantae felicitatis capax; fide primum fuerat imbuenda atque purganda ». Ergo ratio necessitatis est tenebrositas per peccatum introducta. Hoc videtur Hugo manifeste sentire, ut supra allegatum est in I. libro de Sacramentis [4], quod « quia oculus contemplationis exstinctus est, qua videbat Deum et quae in Deo erant », necessaria est fides. Etiam commentator, super VI. Ethi-

---

c. 18. n. 51; Enchirid. de Fide etc. c. 25. seqq. n. 8; II. de Peccatorum meritis et remissione, c. 22. n. 36; XIV. de Civ. Dei, c. 10; Serm. 26. in Ps. 94. c. 2. n. 2: « Creatus est primus homo in natura sine culpa, in natura sine vitio; creatus est rectus, non se fecit rectum. Quid se autem ipse fecerit, notum est: cadens a manu figuli, fractus est »; Serm. 128. de Verbis Evang. c. 6. n. 8: « Non in paradiso caro concupiscebat adversus spiritum, aut erat ibi ista pugna, ubi pax erat sola; sed facta transgressione, posteaquam homo noluit servire Deo et donatus est sibi, nec sic donatus sibi, ut possit saltem possidere se; sed ab eo possessus, a quo deceptus, coepit caro concupiscere adversus spiritum; et hoc in bonis concupiscit adversus spiritum, nam in malis non habet contra quem concupiscere. Ibi enim concupiscit adversus spiritum, ubi est Spiritus ». Vide etiam Bonav., III. d. 29. a. 1. q. 1. seqq. et a. 2. q. 1. seqq.

[1] Cap. 7. n. 14; ipsum textum videsis supra pag. 183, nota 1.

[2] Potius in medio, c. 2; cfr. supra pag. 70, nota 2.

[3] Ita edit., ubi in nota adiecta dicitur: Aliqui codd. legunt *ad perfruendum incommutabili lumine*, unus vel alter *ad perferendum merendo incommutabile lumen*. — In nostro cod. hoc loco verba *non solum* usque *lumen* desunt, quae addidimus ex edit. ipsa, cuius lectio rectior nobis esse videtur.

[4] Part. X. c. 2. supra pag. 182, nota 2. cit.

corum capitulo secundo [1], videtur hoc idem insinuare, praemittens, quomodo perfectus creatus est, ita quod nihil defuit sibi conferentium; postea dicit: « Siquidem igitur non ordinem et legem, quam ex creante assumsit, transgressus esset, sed ad ordinem meliorem sui ipsius aspiciens et annuens permansisset et a deterioribus abstinuisset, quantum praecognovisset ipsam secundum proportionem convenientis ipsi, et ordinis et naturae permansisset utique ipsi perfectum et inconcussum. Quia autem avidus fuit circa deteriora et ea quae secundum sensum est vita frui praeconcupivit, propter hoc a propria excidit perfectione et generationi succubuit et corruptioni, et intellectualis oculus ipsius gravatus est et convelatus grossiori carne et mortali perturbante ipsum; hinc et assensus ligatus est ». Supra autem dicit, quod in illo statu non solum ratiocinative, sed intellectualiter operatus fuisset. — Ex quo potest colligi, quod in illo statu nulla fuit perturbatio sensuum, nullum impedimentum, nullum velamen, sed oculus intellectualis intellectualiter cognovisset; propter quod habitus fidei non fuisset necessarius.

Secunda ratio est quantum ad *modum cognoscendi.* Quemadmodum enim status ille medius fuit inter statum gloriae et statum istius miseriae, ita modus cognoscendi, qui statui debet correspondere, oportet, quod medius sit. In gloria autem et perfecta beatitudine vident Beati omnino clare et aperte *facie ad faciem;* in statu istius miseriae vident *per speculum* et *in aenigmate.* Ergo si ille modus medius fuit, sicut non cognoscebat *facie ad faciem*, ita nec videbat *per speculum* et *in aenigmate.* Propterea fuit quidam *modus* contemplationis et cognitionis *medius,* etsi deficiens ab aperta visione, tamen transcendens istam quae est per fidem specularem et aenigmaticam cognitionem. Hoc dicit plane Hugo in I. libro de Sacramentis [2]: « Sciendum plane, quod illam primam cognitionem hominis, quam de Creatore suo habuit, sicut maiorem et certiorem illa cognitione, quae nunc in sola fide constat, veraciter dicimus; ita etiam illa quae postmodum in excellentia contem-

[1] Ita quidem dicitur in cod., sed quis iste commentator sit, non possumus dicere; nam neque apud Averroem, qui per excellentiam « Commentator » vocatur, neque apud alterum interpretem decem librorum Ethicorum, Ioannem Argyropulum Byzantinum scilicet, loc. cit. aut alio loc. sententiam invenire potuimus.

[2] Part. VI. c. 14.

plationis divinae manifeste revelabitur, minorem necesse est confiteamur ».

Tertia ratio est quantum ad *fidei habitum*. Fides enim est habitus, quo cognoscuntur absentia. Nam, ut dicit Augustinus ad Paulinam Epistola 112 [1], « inter credere et videre hoc interest, quod videntur praesentia, creduntur absentia »; quae absentia cognoscuntur per speculum medium et in aenigmate, et quo de non visis et non apparentibus certificamur. In primo autem statu non absens, sed praesens cognoscebatur, non per speculum medium et in aenigmate, sed immediate et de quo nullo modo poterat dubitare. Quamvis enim se *facie ad faciem* non demonstraret, quia hoc alii statui reservabat; tamen aliquid menti influebat vel infundebat aliquam sui similitudinem, aliquam sui notionem adeo expressam et exprimentem, quod eum praesentem manifestabat et medio alio deductivo non indigebat et de ipso dubitare nullo modo sinebat. Unde etsi primus homo vel Angelus cognosceret in speculo vel in imagine, non tamen proprie potest dici cognoscere per speculum, quoniam per illam immediatam influentiam suam immediate et praesentialiter ferebatur in ipsum et ipsum in se praesentem quasi sensibiliter experiebatur; et ista erat quasi quaedam beatitudo. Unde dicit Augustinus XIV. de Civitate Dei [2], quod « vivebat fruens Deo », quo homo beatus erat. Hunc cognoscendi modum vocat Hugo per *internam aspirationem;* unde dicit I. libro de Sacramentis [3]: « Cognovit homo Deum

---

[1] Num. 147. c. 2. n. 7; cfr. supra pag. 129, nota 2. seq.

[2] Cap. 26: « Vivebat itaque homo in paradiso, sicut volebat quod Deus iusserat; vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus; vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus erat, ne esuriret; potus, ne sitiret; lignum vitae, ne illum senecta dissolveret. Nihil corruptionis in corpore vel ex corpore ullas molestias ullis eius sensibus ingerebat; nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus, summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in paradiso nullus aestus aut frigus, ita in eius habitatore nulla ex cupiditate vel timore accedebat bonae voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter laetum; gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat *caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta* » (1. Tim. 1, 5.). Cfr. etiam Bonav., IX. Dominica 12. post Pentecosten serm. 1. (pag. 398 seqq.).

[3] Part. VI. c. 14, ubi *inspirationem* pro *aspirationem;* cfr. supra pag. 181, nota 3, quo loco auctor noster cum Hugone legit *inspirationem,* quod, secundum Du Cange, Glossarium, idem est atque *aspirationem.*

Creatorem suum non ea cognitione, quae foris *auditu* solo [1] percipitur, sed ea quae potius intus per aspirationem administratur; non ea, qua Deus modo a credentibus absens fide quaeritur, sed ea, qua tunc propter praesentiam contemplationis manifestius cernebatur »; et post: « Modum vero cognitionis divinae, quam ille primus homo habuit, explicare difficile est, excepto eo quod diximus, quia per internam aspirationem visibiliter edoctus, nullatenus de ipso Creatore suo dubitare potuit ». Huic concordat Magister Sententiarum, in II. libro [2] recitans quasi eadem verba.

Sic ergo homo videbat et cognoscebat Deum *praesentialiter* per illam aspirationem, qua se manifestabat, non per *speculum* [3] *medium*, quo deduceretur, sed *immediate* in ipsum ferebatur, licet in illo Deum cognosceret et laudaret, quemadmodum Angeli, cognoscentes res cognitione vespertina in proprio genere atque « referentes in laudem et gloriam Creatoris [4] », videbant iterum « in Verbo res fiendas [5] », et sic quasi illucescebat et fiebat *mane*. Certificabatur etiam adeo illa aspiratione, quod alio habitu non indigebat [6].

Quarta ratio est quantum ad *fidei actum*. Actus autem fidei est credere proprie; « credere autem est, ut dicit Augustinus de Praedestinatione Sanctorum [7], cum assensione cogitare », in quo voluntas trahit et inclinat intellectum contra suam inclinationem sive suum iudicium; et ideo dicitur eum captivare, prout dicit Apostolus [8]: *Captivantes omnem intellectum in obsequium Christi*. Ordo autem naturalis est potentiarum tam in homine quam in Angelo, quod actus intellectus praecedit actum affectus sive voluntatis, et voluntas se et alias vires movet secundum iudicium et directionem intellectus.

---

[1] Respicitur Rom. 10, 6.

[2] Dist. 23. c. 3. (cfr. Bonav., II. pag. 530), ubi de triplici scientia hominis ante lapsum loquitur et dicit, hominem cognovisse ex *quadam interiori aspiratione*, qua Dei praesentiam contemplabatur; vide et Bonav., III. pag. 537 seqq.

[3] Alluditur ad I. Cor. 13, 12.

[4] Ut dicit August., IV. de Gen. ad litt. c. 25. n. 42.

[5] Cfr. August., IV. de Gen. ad litt. c. 32. n. 50. et c. 26. n. 43.

[6] Cfr. Bonav., II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. et IV. Sent. d. 1. p. 1. dub. 9. cum scholio.

[7] Cap. 2. n. 5.

[8] II. Cor. 10, 5.

Si igitur in primo statu tam in homine quam in Angelo fuit perfecta ordinatio potentiarum ad invicem, ergo necessario nec inclinatio contraria esse potuit, quia haec attestatur corruptioni naturae et est poena peccati; ergo talis tractio, inclinatio, captivatio intellectus esse non potuit, sed potius voluntas movebatur et alias vires movebat secundum iudicium intellectus. Ergo nec fuit ibi actus fidei vel fides, quae non est sine ista captivatione, tractione, inclinatione, quod attestatur deordinationi naturae.

Sic igitur dico sine praeiudicio, quod Angelus in statu primo fidem non habuit nec homo, nec fides fuit ibi necessaria, si quis bene consideret et penset illum statum et cognoscendi modum et fidei habitum et actum.

Ad argumenta *in contrarium* primo respondendum est.

Et ad 1. dicendum, quod *maior* argumenti illius non habet simpliciter veritatem, id est, quod in omni statu, in quo exspectatur aliquid, quod nondum habetur, est fides. — Ad auctoritatem Augustini, qui dicit, quod tunc est fides, quando « exspectatur in spe quod in re nondum habetur »; dico, quod non assignat totam causam et rationem fidei, sed debet suppleri, quando exspectatur, nec habetur nec videtur; quando autem videtur illud quod exspectatur, tunc non est proprie spes nec fides, quia *spes, quae videtur, non est spes,* ut dicit Apostolus [1]. Quamvis autem Angelus vel homo non videret in *re* quod exspectavit, tamen videbat in *causa,* in quadam luce, ita quod dubitare non potuit; ideo nec proprie spes nec fides erat.

Ad 2. potest dici, quod veritati promittentis acquievit et assensit, non ex credulitate, sed potius ex manifesta et lucida cognitione; et tunc inter credere et discredere est medium, scilicet *non* discredere vel credere, id est, rei non cognitae assentire; sed ex aperta et clara quadam cognitione acquiescere, non, ut dictum est, in *re,* quae nondum erat, sed in *causa,* in qua videbat, unde ille qui promittebat sibi ostendebat. — Vel potest dici, ut elicitur ex verbis Augustini in Enchiridio [2], quod credere duobus modis dicitur: uno modo proprie, quando enim testibus assentitur de re non visa; alio modo, quando rei, quae

[1] Rom. 8, 24. [2] Cap. 8. n. 2.

videtur, fides adhibetur. Unde dicit: « Quando se quisque non verbis, non testibus, non denique ullis argumentis, sed praesentium rerum evidentiae credidisse, hoc est, fidem accommodasse, dicit, non absurde credere dicitur ». Sic dico, quod hoc modo potest dici, quod credidit promittenti, id est, fidem accommodavit, quamvis videret.

Ad 3. dicendum, quod, ut dictum est [1], inter videre per *speciem* vel *facie ad faciem* et *videre* sive *cognoscere per fidem* est medium, videre scilicet per quandam sublimiorem contemplationem et certiorem, qua Deus, etsi non sicuti est, tamen per « internam quandam aspirationem » se ipsum manifestat. Hoc modo videbatur in statu illo. Unde *minor* debet *interimi,* haec scilicet: cognoscebat et non videbat; quamvis enim non videret visione beatifica *facie ad faciem,* videbat tamen et cernebat praesenter in sua aspiratione et quasi sensibiliter, ut ita dicam, id est, intellectualiter ipsum experiebatur.

Ad 4. patet responsio: quoniam non videbat *facie ad faciem* nec omnino videbat *per speculum* sive per imaginem, licet *in speculo* et in imagine, haec enim multum differunt; sed *medio modo,* quia immediate eum cernebat et cognoscebat et contemplabatur in se ipso et experiebatur in illa et per illam suam influentiam, quam Hugo [2] vocat « internam aspirationem », et Magister Sententiarum in I. libro vocat imaginem illam « similitudinem »; sed quia immediata est, ideo est illius modi, qualis est cognitio fidei, quae est per imaginem imaginis.

Ad 5. pro parte etiam patet responsio. Posset enim dici, ut praedictum est [3], quod proprie non est ibi spes, nec omnis exspectatio est spes, sed exspectatio *rei,* quae non videtur. Ibi autem id quod exspectabatur, videbatur, etsi non *in se,* tamen *in causa.* — Posset tamen dici et aliter responderi, quod verbum Augustini, quod « spes sine fide esse non potest », intelligendum est pro statu, in quo videmus *per speculum in aenigmate;* sed non est verum pro statu illo, in quo non fundaba-

---

[1] Supra pag. 194, nota 3.

[2] Supra pag. 193, nota 3, et Magister Sent. loc. cit. d. 3. et II. Sent. d. 16. c. 3. (cfr. Bonav., I. pag. 64 seq. et pag. 69 solut. ad 5. ac II. Sent. d. 16. a. 2. q. 3.). Vide etiam August., XV. de Trin. c. 9. n. 15. seq., ubi ista imago « similitudo obscura » dicitur; et c. 11. n. 20.

[3] Supra solut. ad 1.

tur in visione speculari et aenigmatica, ac per hoc nec in fide, quae ab his absolvi non potest, sed super illa contemplatione sublimiori et certiori, de qua locuti sumus; et ideo pro statu illo non est consequens: quod si est spes, et fides, et quod spes sine fide esse non potest.

Ad 6. dicendum, quod illud argumentum deficit in duobus. Deficit enim primo in hoc quod dicit, quod necessario cognitio Angeli prima ferebatur in primum cognoscibile. Hoc enim fortasse non est necesse, sed primo forsitan ferebatur in se, ita quod primo cognoscebat se quam primum cognoscibile. Quamvis enim sit primum cognoscibile, id est nobilius et principalius, non tamen prius est *sibi* cognoscibile. Et hoc videtur sentire Augustinus II. et IV. super Genesim ad litteram. — Deficit etiam in hoc quod dicit, quod sola cognitio fidei est illa cuius idem est *obiectum* et *ratio obiecti;* hoc enim constat esse falsum. Nam in cognitione gloriosa et forsitan in illa cognitione et contemplatione primi status idem erat obiectum et ratio obiecti; ratio, inquam, non formalis, sed effectiva et motiva, quia nec hoc est in fide. Differt enim obiectum et ratio obiecti formalis informans intellectum, quae est lumen quoddam sive species intellectui impressa.

Ad 7. dicendum, quod absque dubio et Angelus et homo Deum cognoscebat, nec tamen ipsum aut suam potentiam comprehendebat, aut possibilia omnia ab eo fieri sciebat. Sciebat tamen, eum esse incomprehensibilem, et sciebat, plura esse Deo possibilia, quam ipse comprehenderet, sicut etiam Angelus beatus. — Quod autem dicit: aliquid cognoscebat et aliquid non; sane intelligendum est, quia in Deo non est aliquid et aliquid. Cognoscebat igitur et videbat Deum *totum*, sed *non totaliter* secundum omnem modum, secundum omnem gradum; illum autem gradum vel modum, quo non videbat, non credebat nec videbat, sed tamen sciebat, eum esse, quia certissime sciunt Beati Deum incomprehensibilem et sciunt, quod secundum alium modum et alium gradum est cognoscibilis, non tamen credunt. Sic dico de homine et Angelo in primo statu.

Ad 8. dico, quod illud argumentum etiam deficit in duobus: primo, quia falsum supponit pro parte. Angelus enim vel homo in gratia non fuerunt creati, nec angelis cadentibus unquam fuit gratia gratum faciens collata, licet de hominibus

hoc communiter sentiatur. Deficit etiam secundo, in hoc quod dicit, quod inchoatio beatitudinis, quae est aperta et clara Dei cognitio *facie ad faciem*, sit tantum per fidem, immo multo fortius inchoatur in illa sublimi contemplatione; et ideo vocatur quaedam beatitudo.

Ad 9. duobus modis potest responderi, quod in daemonibus nec *est* fides formata nec *fuit*. — Quod autem dicit beatus Iacobus, quod *credunt et contremiscunt;* illud credere non est ex habitu fidei, vel ex aliquo dono Dei infuso, sed ex quadam arctatione ex miraculis et divinis operibus, quibus arctantur et quasi coguntur ad credendum quae non vident. — Alio modo posset dici, quod in Angelis est fides informis, nec tamen fuit fides in primo statu; sed illa cognitio clara, quam habuerunt in illo statu secundum illum gradum, adveniente obscuritate peccati, facta est cognitio quaedam obscura et aenigmatica, quae potest dici fides *informis*, id est cognitio obscura sine caritate non de novo infusa, sed ex illa prima cognitione relicta.

Ad 10. dicendum, quod illud exponit Augustinus V. super Genesim ad litteram [1], dicens, quod « istud mysterium incarnationis, *quod a saeculis absconditum est in Deo*, non latuit Angelos, quando ipsum semen, quod opportuno tempore advenit, per eos dispositum est; innotuit ergo principatibus et potestatibus per Ecclesiam, id est in Ecclesia triumphante, quae primo in Angelis constituta est ». Sed quia hoc non solvit ad

[1] Cap. 19. n. 38: « Nam nec illud eos latuit mysterium regni caelorum, quod opportuno tempore revelatum est pro salute nostra, quod ex hac peregrinatione liberati, eorum coetui coniungamur. Neque enim hoc ignorarent, quandoquidem ipsum semen, quod opportuno tempore advenit, per ipsos dispositum est in manu Mediatoris (Gal. 3, 19.), id est in eius potestate, qui Dominus eorum est, et in forma Dei et in forma servi. Dicit idem Apostolus (Eph. 3, 8. seqq.): *Mihi minimo omnium Sanctorum data est gratia haec annuntiare in gentibus investigabiles divitias Christi et illuminare, quae sit dispensatio sacramenti, quod fuit absconditum a saeculis in Deo, qui universa creavit, ut innotesceret principibus et potestatibus in caelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei secundum praefinitionem saeculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro.* Sic ergo *fuit hoc absconditum a saeculis in Deo,* ut tamen *innotesceret principibus et potestatibus in caelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei,* quia ibi primitus Ecclesia, quo post resurrectionem et ista Ecclesia congreganda est, ut simus aequales Angelis Dei (cfr. Matth. 22, 30.). Illis ergo *a saeculis* innotuit, quia omnis creatura non ante saecula, sed *a saeculis* ». Cfr. Bonav., II. Sent. d. 3. p. II. a. 2. q. 1. ad oppositum 1.

auctoritatem Chrysostomi, ideo addendum est, quod ibidem [1] addit Augustinus, quod « illud quod innotuit Angelis a principio in Deo, innotescit eis tum cum res efficitur atque propalatur ». — Potest igitur dici, quod discunt ab Ecclesia et didicerunt a Ioanne non incognitum aliquid, secundum Augustinum, sed secundum *aliquem modum sciendi*. Omnia igitur mysteria nostrae fidei Angeli, secundum Augustinum, noverunt *in Deo*, discunt tamen quantum ad cognitionem in *proprio genere*, quando res efficitur; propter hoc tamen non potest concludi, quod habeant fidem.

Argumenta *alterius partis* possent concedi ratione conclusionis; tamen, quia aliqua excedunt, aliqua non recte concludunt, ad illa respondendum est.

Ad 6. ergo dicendum est, quod illa *consequentia* non est bona: si Angelus primo motu cognitionis non cognovit per fidem, ergo pro illo statu non habuit fidem. Non enim fuit necesse, ut primus motus cognitionis esset in Deum, ut praedictum est [2], sed potuit esse in semetipsum vel in Deum cognitione naturali; alias argumentum non valet. — Quod enim *supponit*, quod fides sit circa verum complexum, concedatur. — Sed quod *addit*, quod cognitio incomplexa praecedit cognitionem complexam; dico, quod non oportet ordine *durationis*, sed ordine *naturae*. Prius enim ordine naturae oportet apprehendi simplices terminos, quam intellectus componat hoc cum hoc, non tamen oportet prius ordine durationis.

Ad 7. dicendum, ut dictum est [3]: In primo statu non vidit Deum per *essentiam*. — Quod vero dicit Magister Sententiarum, quod « homo in primo statu videbat Deum sine medio »; posset dici, quod duplex est medium: *adminiculans* et *obumbrans* [4]. Vidit ergo Deum per medium adminiculans, quia per

---

[1] Cap. 19. n. 39: « Quod autem non in Deo tantum innotescit Angelis quod absconditum est, verum etiam hic eis apparet, cum efficitur atque propalatur, idem Apostolus (1. Tim. 3, 16.) ita testis est: *Et sine dubio*, inquit, *magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, praedicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumtum est in gloria*. Et nisi fallor, mirum est, si non omnia, quae dicitur Deus tanquam ad praesens tempus cognoscere, ideo dicitur, quia cognosci facit sive ab Angelis, sive ab hominibus ».

[2] Pag. 197 solut. ad 6.

[3] Supra pag. 190.

[4] Cfr. Bonav., IV. Sent. d. 1. p. 1. dub. 9.

creaturas et per fidem, sed tamen vidit sine medio obumbrante speculum mentis, quod necdum erat peccato obscuratum.

Ad 8. dicendum, quod si habuerunt fidem, habuerunt eandem in specie. — Quod *obiicit*, quod fides accipitur vel acquiritur ex articulis; dico, quod in fide duo est considerare: id quod in ipsa est *formale*, et illud est lumen quoddam supernaturaliter infusum, quo mens illuminatur ad acquiescendum primae veritati propter se; aliud vero *materiale* illud, de quo est fides. Fides ergo quantum ad suum materiale acquiritur ex articulis, sed quantum ad suum formale a Deo infunditur. Diversitas autem in materia vel in materiali obiecto non facit diversitatem in specie sive in modo acquirendi.

Ad 9. posset dici, quod, si utrumlibet detur, nullum sequitur inconveniens. Si enim detur, quod habuerunt fidem *formatam* secundum illam opinionem, quae ponit, quod habuerunt gratiam, nullum est inconveniens. Si detur, quod habuerunt fidem *informem*, quoddam videlicet donum gratis datum, sicut fortassis multi habuerunt, nec illud est inconveniens. — Sed quod *obiicit:* « Credere est cum assensu cogitare », et actus omnis deliberatus est meritorius; dico, quod sic habuerunt habitum, quod non habuerunt usum, nec unquam usi sunt illo dono, sicut illi qui ceciderunt. In primo enim motu deliberato boni confirmati sunt, et mali sunt lapsi et obstinati.

Ad 10. dicendum, quod concesso, quod omne corrumpens, quod corrumpit formam, corrumpat et dispositiones ad formam; argumentum non valet. Fides enim informis non est sicut dispositio ad fidem formatam, sed eadem est essentia fidei formatae et informis, nec dicitur informis ex eo, quod non sit perfecta in suo genere vel specie, sed quia non est perfecta *in genere morum* vel *in esse meritorio*, in quo etiam eius forma est caritas, sicut ceterarum virtutum; et ideo fides formata dicitur corrumpi per peccatum, non quod corrumpatur *in esse suo naturali* vel in sua specie, sed *in esse morali* gratuito et meritorio per subtractionem gratiae et caritatis. Ista autem perfectio accidit fidei, et ideo non oportet, quod corrumpatur fides informis.

Ad 11. dicendum, quod cognoscere in Verbo est duobus modis: vel in Verbo *obiective*, vel in Verbo *effective*. Si accipiatur videre in Verbo obiective, ut videlicet intuerentur ipsum Verbum immediate et in ipso alia; sic non viderunt in

Verbo ante conversionem, quia haec visio beatum facit. Si autem intelligatur videre effective in Verbo, hoc est per illuminationem a Verbo susceptam et per species ab ipso Verbo inditas; sic viderunt in Verbo, quia a Verbo acceperunt species rerum fiendarum. Hoc autem modo videre in Verbo secundum illam opinionem habitum fidei non excludit [1].

---

[1] Solutio praecedentis quaestionis penitus dependet a solutione *generalioris* quaestionis, utrum scil. Angeli primique homines *ab ipsa creatione* divinitus acceperunt *statum gratiae sanctificantis*. Nam manifestum est, sententiam hoc *affirmantem* debere eisdem tribuere *fidem*, cuius habitus inseparabiliter coniunctus est cum habitibus gratiae, caritatis et spei. Unde S. Thomas in *Summa* II. II. q. 5. a. 1. concludit: « Cum Angelus ante confirmationem et homo ante peccatum eam beatitudinem non habuerint, qua Deus per essentiam videtur, *necessarium fuit, cum in Dei gratia essent*, illos fidem habuisse ». Si vero negatur, illos creatos esse in gratia, *congruum* est ponere, illos non theologicam virtutem fidei, sed aliud lumen a Deo praeter rationem accepisse, cum *recti* et suo modo *perfecti* creati sint. — In illa vero *generaliori* quaestione antiquiores Scholastici, Hugonem a S. Victore secuti, communiter negativam sententiam tenebant, quam ipse S. Thomas in Commentario ad Sententias adhuc ut *probabiliorem* asseruit, dum postea in *Summa* (loc. cit.) alteram opinionem defendit. Hanc antiquam controversiam scholasticam Concilium Trident. (Sess. V. can. 1.) decidere consulto noluit. De omnibus his cfr. Bonav., II. Sent. d. 4. a. 1. q. 2. et annexum scholion (et ibid. d. 3. p. II. a. 2. q. 1. seqq. et d. 29. a. 2. q. 1. ac d. 23. a. 2. q. 3. — Cfr. etiam Alexander Halensis, Sum. Theologiae, p. III. q. 68. de fide formata, membr. 8. a. 2: « An in Angelis ante confirmationem et lapsum fuerit fides », et dicit cum auctore nostro: « Dicendum, quod in Angelis non fuit fides primae veritatis; sed fuit quaedam scientia imperfecta respectu cognitionis beatae post confirmationem. — Ad quod intelligendum possunt poni tres gradus ex parte cognitionis intellectivae, quemadmodum invenimus ex parte cognitionis sensitivae. Est enim quaedam cognitio de dulci per auditum, quaedam per visum, quaedam per gustum. Cum auditur de re, quia dulcis; si interveniat credulitas, fides est; si vero adveniat visio, cognitio est quaedam speculativa; si vero adveniat gustus, experientia est et completa cognitio de dulcedine. Ita per intellectum acceptio quaedam est primae veritatis quasi per auditum, cum non videtur, et est fidei; quaedam vero veritatis quasi per visum, cum scilicet per quandam speculationem lux eius percipitur, sed non dulcedo; quaedam vero est acceptio quasi per gustum, cum scilicet non solum speculatione lucet, sed sensu dulcedinis plene et perfecte percipitur. Prima cognitio non est ponenda in Angelis ante confirmationem et lapsum, sed ponitur in Angelis post lapsum, prout dicitur daemones habere fidem informem; tertio vero ponenda est in Angelis bonis post confirmationem. Media vero ponitur in Angelis universaliter ante confirmationem et lapsum ». Et eiusdem membri a. 3. tractat: « An in Adam ante peccatum vel lapsum fuerit fides », et dicit: « Dicendum, quod Adam in primo statu non habuit fidem in ratione fidei. Et hoc patet, si quis consideret comparationem co-

# QUAESTIO VIII.

Quaeritur, in qua vi animae sit fides sicut in subiecto, utrum in affectu, vel intellectu, aut in utroque.

*Quod non sit in intellectu, ostenditur sic:*

1. Omnis habitus, perficiens aliquam potentiam, expedit eam ad actum suum; sed fides non expedit, immo impedit actum intellectus: ergo intellectum non perficit nec est in intellectu. *Probatio minoris* est: quoniam actus intellectus est syllogizando devenire in cognitionem alicuius. Sed fides evacuat rationem et captivat intellectum, ut sine ratione assentiat, sicut dicit Apostolus [1]: *Captivantes omnem intellectum in obsequium Christi:* ergo etc.

2. Item, quia dicebatur, quod non impedit actum intellectus circa ea quae sunt cognoscibilia per rationem, utpote vera creata, sed circa ea quae sunt supra rationem, sicut est verum increatum; *opponebatur:* quoniam intellectus natus est venire per rationem non tantum in cognitionem veri creati, sed veri increati: ergo si circa verum increatum impedit actum ratiocinandi, nullo modo videtur perficere intellectum nec esse in ipso tanquam in subiecto.

3. Item, idem est obiectum potentiae et habitus perficientis potentiam illam; sed obiectum fidei nullo modo potest esse obiectum intellectus: ergo fides non est in intellectu tanquam in subiecto. *Maior* est manifesta; *minor* probatur: quoniam obiectum intellectus est verum intellectum, obiectum fidei est creditum; creditum autem non est intellectum: ergo etc. *Probatio:* Augustinus de Utilitate credendi [2]: « Omnis, qui intelligit, credit; omnis, qui opinatur, credit; sed non omnis, qui credit, intelligit ».

---

gnitionis, quae per fidem est, et cognitionis, quae erat in Adam ante peccatum et cognitionem gloriae. Cognitio enim, quae est per fidem, evacuatur, adveniente gloria; cognitio vero Adae de Deo non evacuaretur, adveniente gloria, si stetisset, sed perficeretur ».

[1] II. Cor. 10, 5.

[2] Cap. 11. n. 25: « Intelligens omnis etiam credit; credit omnis et qui opinatur; non omnis, qui credit, intelligit; nullus, qui opinatur, intelligit ».

4. Item, hoc ipsum confirmatur per Hilarium, qui dicit in libro de Trinitate [1]: « Magnum habes stipendium credere quod ignoras »: igitur creditum est ignoratum. Sed obiectum intellectus est scitum et intellectum: ergo idem quod prius.

Item, probatur consequenter, quod esset *in voluntate*, sic:

5. Hugo I. libro de Sacramentis [2] in principio: « Duo sunt, inquit, in quibus fides constat: cognitio et affectus, id est constantia vel firmitas credendi. In altero constat, quia ipsa illud est; in altero constat, quia ipsa in illo est. In affectu enim substantia fidei invenitur, in cognitione materia ». Sed habitus dicitur esse in illa potentia, in qua est illud quod *formale* est: ergo fides est formaliter in affectu. Nam substantiam vocat formam.

6. Respondebatur, quod formam fidei appellat Hugo caritatem, quae non est forma in esse suo essentiali, sed accidentali, eo quod ipsam movendo reddit eius actum meritorium; sed forma fidei, qua est id quod est in esse suo essentiali, est in intellectu. *Contra:* Si aliquis, qui nunquam habuit caritatem, habet fidem informem, istius fidei caritas forma non est; hoc constat et certum est, quod fides non est sine voluntate: ergo Hugo intelligit non tantum de fide formata, sed de informi. Si ergo non potest intelligi de forma fidei in esse secundo: ergo necesse est, quod forma fidei, qua est in esse primo, sit in affectu.

7. Item, ista expositio omnino est contra verba Hugonis, quoniam Hugo appellat materiam fidei ipsum conceptum, ut cum mens concipit aliquod credibile, utpote Deum trinum et unum; formam autem vocat assensum et illud dicit esse in voluntate. Dicit enim sic [3]: « Consequenter aliud est fides, *qua* creditur; aliud, *quod* fide creditur; in affectu invenitur fides, qua creditur, in cognitione id quod creditur. Propterea fides in affectu habet substantiam, quia affectus ipse fides est; in

---

[1] Scilicet VIII. c. 10. (vel n. 10.) in fine: « Extra evangelica promissa est quisquis extra fidem eorum est, et impiae intelligentiae crimen spem simplicem perdidit. Habet enim non tam veniam quam praemium ignorare quod credas; quia maximum stipendium fidei est sperare quae nescias. At vero ultimae impietatis furor est, aut intellecta non credere, aut intelligentiam corrupisse credendi ».

[2] Part. X. c. 3.

[3] Loco supra nota 1. cit., in quo textu edit. in fine post *cognitione* addit: « Cognitionem autem hic intelligimus scientiam rerum non illam, quae ex praesentia ipsarum comprehenditur, sed illam quae auditu solo percipitur et ex verborum significatione manifestatur ».

cognitione habet materiam, quia de illo et ad illud, quod in cognitione est, fides est. Credere igitur in affectu est, quod vero creditur in cognitione est »: ergo etc.

8. Item, Augustinus in libro de Praedestinatione Sanctorum ante medium [1]: « Credere vel non credere in libero arbitrio est voluntatis humanae. Ideo ad ipsam quoque fidem, quae in voluntate est, pertinet quod dicit Apostolus: *Quid habes quod non accepisti*»*?* et post [2]: « Multi audiunt verbum veritatis; sed alii credunt, alii contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Quare hoc? Quia praeparatur illis voluntas per misericordiam, illis non praeparatur per iudicium ». Ex his tribus videtur, quod fides sit in voluntate, primo, quia *credere* vel *non credere* est in voluntate; secundo, quod *ipsa fides* est in voluntate; tertio, quod ad credendum praeparatur *voluntas* per misericordiam, quae praeparatio non videtur esse aliud quam fides.

9. Item, Anselmus de Concordia gratiae cum libero arbitrio [3]: « Quod dicit Apostolus: *Fides ex auditu;* intelligendum est, quod fides est ex hoc, quod concipit mens per auditum, neque non ita, ut sola conceptio mentis faciat fidem in homine, sed quia fides esse nequit sine conceptione. Addita namque rectitudine volendi conceptioni per gratiam, fit fides, quia credit quod audit ». Si igitur conceptio, quae est ex parte intellectus, non est nisi illud, sine quo non est fides; et rectitudo voluntatis est illud, in quo fides consummatur: ergo formaliter rectitudo voluntatis, qua assentit auditui, est fides: ergo etc.

---

[1] Cap. 5. n. 10. in fine; in quo textu citatur I. Cor. 4, 7.

[2] August., loc. cit. c. 6. n. 11, ubi s. doctor post *illi* sic pergit: « Quis hoc ignoret? Quis hoc neget? Sed cum aliis praeparetur, aliis non praeparetur voluntas a Domino; discernendum est utique, quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio. *Quod quaerebat Israel,* ait Apostolus (Rom. 11, 7-10.), *hoc non est consecutus; electio autem consecuta est, ceteri vero excaecati sunt, sicut scriptum est* (Isai. 6, 9.): *Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos, ut non videant, et aures, ut non audiant, usque in hodiernum diem.* Et David dicit (Ps. 68, 23.): *Fiat mensa eorum in laqueum et in captionem et in retributionem et in scandalum illis. Obscurentur oculi eorum, ne videant et dorsum eorum semper incurva.* Ecce, misericordia et iudicium: misericordia in electionem, quae consecuta est iustitiam Dei; iudicium vero in ceteros, qui excaecati sunt; et tamen illi, quia voluerunt, crediderunt; illi, quia noluerunt, non crediderunt. Misericordia igitur et iudicium in ipsis voluntatibus facta sunt. Electio quippe ista gratiae est, non utique meritorum ». Cfr. ibid. c. 3. n. 7.

[3] Cap. 6. (alias 16.), in quo textu citatur Rom. 10, 17.

10. Item, ad fidem necessario concurrit actus voluntatis, sicut actus intellectus, quia affectus intellectum inclinat et movet ad assentiendum. Unde dicit Augustinus [1], quod « nullus potest credere nisi volens ». Sed quia assentire ex parte intellectus est supra facultatem naturae, necessario requiritur habitus elevans intellectum: ergo similiter, cum velle assentire vel inclinare intellectum ad assentiendum sit supra facultatem voluntatis, necessario requiritur aliquis habitus elevans ipsam voluntatem. Sed ante caritatem non videtur quod sit aliquis habitus nisi fidei, ut in his qui primo habent fidem informem, quia spes fidem consequitur: ergo necessario videtur, quod fides sit in voluntate.

11. Dicebatur, quod voluntas elevatur propter redundantiam habitus fidei, quae est in intellectu, in ipsam voluntatem, quia potentiae sunt invicem commixtae. *Contra*: ordo naturalis est potentiarum in anima, ita quod voluntas est suprema potentia movens et imperans omnibus, intellectus autem est inferior; sed perfectio superioris redundat in inferiorem, non e converso: ergo perfectio illa intellectus non redundat in voluntatem.

12. Item, prius naturali ordine est in voluntate velle credere et movere intellectum ad assentiendum quam ipsum intellectum assentire: ergo prius oportet, elevari voluntatem et habituari ad volendum assentire quam intellectum ad assentiendum. Sed non est intelligere nisi habitum fidei: ergo etc.

13. Item, Damascenus libro IV. de Fide orthodoxa [2]: « Fides est non inquisitus consensus »; sed consensus est actus voluntatis: ergo fides est in voluntate.

---

[1] In Ioan. Evang. tr. 26. n. 2: « Intrare quisquam ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere Sacramentum potest nolens, credere non potest nisi volens »; et l. Retract. c. 23. n. 3: « Utrumque (credere et velle) nostrum (est), quia non fit nisi volentibus nobis ». Cfr. libr. de Natura et gratia, c. 49. n. 57. et de Spiritu et littera, c. 32. n. 55: « Fides, qua credimus Deo vel credimus in Deum, in nostra *potestate* est, quoniam, cum vult quisque, credit, et cum credit, volens credit »; et c. 34. n. 53. ac 54, ubi s. doctor explicat, quid sit differentia inter *velle* et *posse* quidque sit habere *in potestate*, et in fine dicit, nisus auctoritate loci s. Scripturae (Rom. 13, 1.): *Non est potestas nisi a Deo*, omnem quidem potestatem esse a Deo, non vero omnem voluntatem; alioquin Deus esset etiam auctor peccatorum, quod absit.

[2] Cap. 11: « Fides est assensus omni curiosa inquisitione vacans » (Πίστις δέ ἐστιν ἀπολυπραγμόνητος συγκατάθεσις). Cfr. supra pag. 65, nota 3.

14. Item, « nulla potentia potest esse subiectum virtutis, secundum Philosophum [1], nisi quae aut est voluntas essentialiter, aut participat rationem voluntarii »; sed « fides est virtus praecipua, sine qua nullae sunt aliae verae virtutes », ut dicit Augustinus XIII. de Trinitate capitulo ultimo in fine [2]: ergo fides est in voluntate.

15. Item, opposita sunt necessario in eodem subiecto; fides et infidelitas sunt opposita: ergo sunt in eodem subiecto. Sed infidelitas est in voluntate tanquam in subiecto: ergo et fides. *Probatio minoris* apparet: quoniam, prout est in intellectu, dicit puram ignorantiam, quae non est peccatum, immo peccatum excusat: ergo etc.

16. Item, forma et illud cuius est forma, sunt in eodem subiecto; sed forma fidei est in voluntate: ergo et fides. *Probatio minoris* patet: quoniam « forma fidei caritas » est, sicut dicit Ambrosius [3]: ergo etc.

17. Item, quando ad aliquem actum duo agentia concurrunt, semper actus ille attribuitur principali agenti; sed ad actum fidei concurrit voluntas et intellectus, ita quod principalius agens est voluntas, quae movet intellectum: ergo actus fidei debet attribui voluntati. Sed eius est habitus, cuius est actus: ergo habitus fidei est in voluntate.

18. Item, Augustinus in libro de Natura et gratia [4]: « Ad fidem praecepta compellunt, quia lex imperat quod fides im-

---

[1] I. Ethic. c. 13: « Duplex erit pars, quae rationem habet: altera enim proprie et in se habebit; altera ita ut is qui dicto patris audiens est, id est, quodam modo particeps rationis est, quatenus ipsi obedit imperioque eius obtemperat. Virtus quoque secundum hanc differentiam (quatenus scil. rationem aut in se habet, aut ipsi rationi obtemperat) distinguitur ». — Cfr. Bonav., III. Sent. d. 33. q. 3.

[2] Id est c. 20. n. 26: « *Fides per dilectionem operatur* (Gal. 5, 6.), ita ut virtutes quoque ipsae, quibus prudenter, fortiter, temperanter iusteque vivitur, omnes ad eandem referantur fidem; non enim aliter poterunt verae esse virtutes ».

[3] Comment. in I. Cor. 8, 2. (inter opera Ambrosii), ubi caritas dicitur « mater omnium bonorum », et in Rom. 14, 1: « quasi mater animarum », ac Precat. II. pro praeparatione ad Missam, n. 5: « fundamentum omnium virtutum et bonorum ». Cfr. Magister Sent., qui III. Sent. d. 23. c. 3. dicit: « Caritas, ut ait Ambrosius, est mater omnium virtutum, quia omnes *informat*, sine qua nulla est vera virtus ».

[4] Cap. 16. n. 17. circa finem: « Haec est fides, ad quam praecepta compellunt, ut lex imperet et fides impetret ». Cfr. Enchiridion de Fide etc. c. 117. n. 31: « Fides namque impetrat quod lex imperat »; et Serm. 16. in Ps. 118.

petrat »; sed impetrare est actus voluntatis, non intellectus: ergo et fides est in voluntate, non in intellectu.

Probatur ulterius, quod esset *actus memoriae*, sic:

19. Gilebertus super Cantica [1] dicit: « Fides rectam veritatem tenet et possidet »; sed « tenere et possidere sunt actus memoriae », secundum Augustinum XV. de Trinitate [2]: ergo etc.

20. Item, Augustinus XIV. de Trinitate [3]: « Fidem, inquit, memoria tenemus »; sed omne, quod tenet memoria, est in ea sicut in subiecto: ergo etc.

Ulterius ostendebatur, quod nullo modo pertinet ad voluntatem nec causaliter nec formaliter, ita quod *voluntas* nec actum eius elicit nec imperat, sic:

21. « Habitus et privatio sibi opposita sunt in eodem subiecto [4] »; sed error, qui est privatio opposita fidei, nullo modo est in voluntate: ergo etc. *Probatio minoris:* Augustinus in Enchiridio [5] dicit, quod « error omni cura cavendus, nec aliquis est, qui velit errare ».

22. Item, nulla vis seu potentia potest aliam movere, cuius actus necessario posterior est; sed actus voluntatis necessario posterior est: ergo non potest movere intellectum. Ergo si fides

---

n. 2: « Invocandus est igitur (Spiritus vivificans scil.); sic enim ab eo fides impetrat quod lex imperat, quoniam *qui invocavit nomen Domini salvus erit* » (Ioel. 2, 32.); ac Serm. 17. in Ps. 118. n. 4: « Quia itaque credidi, tua esse mandata, ipsa fides mea, qua id credidi, impetret abs te gratiam, qua faciam quod mandasti ». Vide etiam Magistrum Sent. II. Sent. d. 26. c. 3. (Bonav., III. pag. 627 seq.).

[1] Serm. 4. n. 2. (inter opera Bernardi).

[2] Cap. 21. n. 40. seqq., ubi hoc saltem insinuatur. Clarius tamen habetur XIV. de Trin. c. 3. n. 5; c. 6. n. 8: « Sicut multarum disciplinarum peritus ea quae novit, eius memoria continentur, nec est inde aliquid in conspectu eius, nisi unde cogitat; cetera in arcana quadam notitia sunt recondita, quae memoria nuncupatur »; et c. 7. n. 10. Cfr. Bonav., II. Sent. d. 16. a. 2. q. 3. in corpore circa finem, cum nota 4, ubi loquitur de actu memoriae, qui est *tenere;* et IX. Dominica 17. post Pentecosten serm. 1. p. III. (pag. 426 seq.).

[3] Cap. 3. n. 5; cfr. supra nota 2.

[4] Cfr. Aristot., de Praedicamentis, c. *de Oppositis.*

[5] Cap. 17. n. 5: « Quamvis enim error, quanta possumus cura, cavendus sit, non solum in maioribus, verum etiam in minoribus rebus nec nisi in rerum ignorantia possit errari; non est tamen consequens, ut continuo erret quisquis aliquid nescit; sed quisquis se existimat scire quod nescit, pro vero quippe approbat falsum; quod est erroris proprium ». Cfr. supra pag. 60, nota 4.

est essentialiter in intellectu, nullo modo potest esse ut in causa movente in voluntate. *Probatio minoris:* Augustinus XV. de Trinitate in fine [1] dicit, quod « voluntas de cognitione procedit ». Nullus enim potest velle, qui quod vel quale sit nescit.

23. Item, inferius nunquam operatur per superius, sed e converso; sed *fides operatur per* dilectionem sive *caritatem*, ut dicit Apostolus [2]: ergo fides est superior caritate: ergo potius movetur caritas a fide quam e converso.

CONTRA:

1. Habitus est in illa potentia tanquam in subiecto, quam habilitat et elevat respectu proprii obiecti; sed fides habilitat et roborat intellectum respectu obiecti proprii: ergo etc. *Probatio minoris:* Augustinus XI. de Civitate Dei [3] dicit, quod « mens fide imbuitur atque purgatur, ut ambulet ad veritatem »: ergo etc.

2. Item, Augustinus IX. de Trinitate [4]: « Illa est recta intentio, quae perficitur a fide. Certa enim fides utcumque inchoat cognitionem; cognitio vero certa non perficietur nisi post hanc vitam, cum videbimus *facie ad faciem* »; sed tam perfecta cognitio quam intentio est in intellectu: ergo et fides,

---

[1] Cap. 27. n. 50: « Ipsa (scil. lux illa, qua lucente vidisti) tibi ostendit in te tria illa, in quibus tu summae ipsius, quam fixis oculis contemplari nondum vales, imaginem Trinitatis agnosceres. Ipsa ostendit tibi, verbum verum esse in te, quando de scientia tua gignitur, id est, quando quod scimus, dicimus, quamvis nullius gentis lingua significantem vocem vel proferamus, vel cogitemus, sed ex illo quod novimus, cogitatio nostra formetur; sitque in acie cogitantis imago simillima cogitationis eius, quam memoria continebat, ista duo scilicet velut parentem ac prolem tertia voluntate sive dilectione coniungente. Quam quidem voluntatem de cogitatione procedere; nemo enim vult, quod omnino, quid vel quale sit, nescit; non tamen esse cogitationis imaginem, et ideo quandam in hac re intelligibili nativitatis et processionis insinuari distantiam, quoniam non hoc est cogitatione conspicere quod appetere, vel etiam perfrui voluntate, cernit discernitque qui potest ». — Notamus, auctorem dicere *voluntatem* procedere *de cognitione*, dum edit., ut videtur, rectius legit, quia id connexio sententiarum poscit, *voluntatem* procedere *de cogitatione*, in nota dicens, msc. prope omnes legere *cognitione* pro *cogitatione*.

[2] Gal. 5, 6: Fides, quae per caritatem operatur.

[3] Cap. 2. Cfr. supra pag. 70, nota 2. et pag. 14, nota 3.

[4] Cap. 1: « Ea recta intentio est, quae proficiscitur a fide ». Cfr. supra pag. 116, nota 3.

quae perficit intentionem et inchoat cognitionem, est in intellectu.

3. Item, Augustinus de Praedestinatione Sanctorum [1] dicit, quod Deus fidem docet Ecclesiae, et quod fides est a Deo intus docente; sed doctrina intellectum respicit et ad intellectum terminatur: ergo fides est in intellectu.

4. Item Gilebertus super Cantica [2] dicit: « Erronea est ratio, si non ad examen fidei reformatur ». Ratio enim a fide debet esse instructa et ad fidem restricta; sed examinatio, instructio et ratio pertinent ad intellectum: ergo et fides.

RESPONDEO:

Circa istam quaestionem sunt multae doctorum opiniones ab antiquo [3].

Quidam enim dixerunt, quod fides nec est in *voluntate* nec est in *intellectu*, sed in quadam alia *potentia* supra utramque constituta, in qua sunt omnes virtutes, et ista potentia est liberum arbitrium. Quorum ratio est, quoniam « virtus, secundum Philosophum II. Ethicorum [4], est, quae agentem perficit et opus eius bonum reddit ». Nullus autem est actus laudabilis, bonus, meritorius sive de congruo, sive de digno, nisi qui est a libero arbitrio, et ideo omnis virtus et omnis habitus virtutis est in libero arbitrio. — Sed ista positio non videtur probabilis: primo, quia videtur deficere in natura liberi arbitrii. Liberum enim arbitrium non est potentia distincta a ratione et voluntate, sed vel est habitus resultans ex utriusque coniun-

---

[1] Cfr. c. 2. n. 6, ubi s. Doctor dicit: « Operatur Deus fidem nostram, miro modo agens in cordibus nostris, ut credamus »; de Deo fidem intus docente vide etiam ibid. c. 8. n. 13: « Valde remota est a sensibus carnis haec schola, in qua Pater auditur et docet, ut veniatur ad Filium; ibi est et ipse Filius, quia ipse est Verbum eius, per quod sic docet, nec agit hoc cum carnis aure, sed cordis. Simul ibi est et Spiritus Patris et Filii; neque enim ipse non docet aut separatim docet; inseparabilia quippe didicimus esse opera Trinitatis ».

[2] Serm. 4. n. 2: « Erronea est plane (ratio), si non cuncta ad eius (fidei) examen referat et citum rationis incessum ad fidei maturitatem castiget ».

[3] De his et seqq. cfr. Bonav., III. Sent. d. 23. a. 1. q. 3. per totam.

[4] Cap. 6: « Dicendum est, omnem virtutem et ipsum id cuius est virtus, bene affectum reddere et opus eius bene efficere. Quodsi in omnibus ita se habet res, virtus quoque hominis nihil aliud erit quam habitus, ex quo et bonus homo ipse efficietur et bene opus suum reddet ».

ctione, sicut dixerunt aliqui; vel, quod est probabilius, liberum arbitrium est essentialiter ipsa voluntas. Et hoc dicit Ioannes Damascenus in III. libro de Fide orthodoxa [1]: « Liberum arbitrium nihil aliud est quam voluntas ». Ista enim est universalis motrix in anima, movens se et omnes alias vires. — Secundo, quia ponit omnes virtutes in libero arbitrio, quod est falsum omnino. Sunt enim aliquae virtutes intellectuales, quae necessario sunt in intellectu. — Tertio, quia non videtur distinguere actum virtutis, ut est ab aliqua potentia imperative, vel elicitive; a movente, vel eliciente, quod tamen necessarium est.

Ideo alii dixerunt, quod habitus fidei est non tantum in *intellectu*, nec tantum in *voluntate*, sed in *utroque*. Quorum ratio est, quoniam ad actum fidei concurrit necessario actus utriusque potentiae. « Actus enim fidei est cum assensione cogitare », ut dicit Augustinus de Praedestinatione Sanctorum [2]. *Cogitare* est actus intellectus, sed *assentire* est actus voluntatis intellectum inclinantis et moventis; et ideo oportet, quod habitus fidei sit in utraque potentia. — Sed et ista positio non videtur usquequaque probabilis, quoniam impossibile est, quod unus simplex habitus sit nisi in una et simplici potentia; nec potest dici, quod in una sit materialiter et in alia formaliter, quoniam habitus forma simplex est, non composita ex materia. Sed materia dicitur esse illud, de quo est, vel circa quod est, — sicut fides est de credibili, caritas de diligibili — quae non est de essentia habitus. Aliquis enim, qui nihil habet temporale, potest esse largus et liberalis, habens habitum liberalitatis et largitatis. *Rursus*, puero in baptismo infunditur habitus fidei, qui tamen nihil cognoscit, et habitus caritatis, et tamen nihil diligit. *Praeterea*, assentire non est actus voluntatis formaliter, sed intellectus. Intellectus enim est ille qui assentit vero aut per demonstrationem, aut per fidem.

Ideo alii dicunt, quod fides formaliter et essentialiter est in *voluntate* tanquam in subiecto, tamen materia, hoc est illud, de quo est fides, est in intellectu. *Materiale* enim in fide secundum ipsos est ipsa conceptio alicuius credibilis auditi, sicut Deum esse unum, et istud est in intellectu; sed voluntas

---

[1] Cap. 14: « Arbitrii porro libertas nihil aliud est quam voluntas ».

[2] Cap. 2. n. 5.

assentiendi est *formale*. Unde habitus fidei non est aliud nisi quaedam voluntatis rectitudo, qua vult assentire vero credito et captivat seu inclinat ad hoc intellectum. Et ista fuit manifeste opinio Hugonis, sicut apparet per verba sua supra [1] allegata. Unde dicit, quod « fides est ipse affectus, quo vult assentire ». Cui videtur consentire Anselmus, sicut apparet per auctoritatem suam supra [2] allegatam. — Sed ista positio non videtur bene intelligibilis. Nam *assensus* non est actus voluntatis, qui est proprie actus fidei, sed intellectus, ut dictum est. Licet enim intellectus assentiat, voluntate inclinante, tamen necessario requiritur habitus perficiens et elevans intellectum, ut imperium voluntatis exsequatur. Cum enim intellectus cogatur ratione, vero alicui proposito supra rationem, vel contra apparentem rationem nunquam assentiret, quantumcumque voluntas imperaret, nisi esset aliquis habitus habilitans, perficiens, elevans et illuminans intellectum ad assentiendum vero non viso.

Ideo dicendum est sine praeiudicio, quod fides est in voluntate *causaliter* et tanquam *a qua* eius actus imperatur. Est enim *virtus*, et actus eius est laudabilis et meritorius, quantum est de se; et ideo necesse est, quod sit a voluntate aut elicitus, aut imperatus; *formaliter* autem et essentialiter est in *intellectu*. — Huius autem multiplex ratio est:

Una, ex parte *obiecti*. Nam, ut in opponendo tactum est [3], habitus est in illa potentia tanquam in subiecto, cuius obiectum formale essentialiter respicit. Certum est autem, quod fides respicit essentialiter verum, quod est obiectum formale intellectus: ergo necesse est, ut fides sit in intellectu tanquam in subiecto. Et hoc dicit Dionysius [4], quod « fides est circa immobilem et superexistentem veritatem, in qua collocat credentes ».

Secunda ratio est ex parte *actus proprii*. Omnis enim habitus est in potentia illa tanquam in subiecto, cuius actus ab illa potentia elicitur. « Actus autem fidei, secundum Augustinum de Praedestinatione Sanctorum circa principium [5], est cum

---

[1] Pag. 203, nota 2. et 3. [2] Pag. 204, nota 3.

[3] Supra pag. 208.

[4] De Divinis Nominibus, c. 7. § 4. Cfr. supra pag. 115, nota 4, ubi habetur integer textus.

[5] Cap. 2. n. 5.

assensione cogitare »; sed certum est, quod tam cogitare quam vero concepto et cogitato assentire est actus intellectus: ergo necesse est, quod habitus fidei sit formaliter in ipso intellectu.

**Tertia ratio** est ex parte *sui oppositi.* Oppositum autem fidei est error; error vero est in intellectu. Si igitur opposita necesse est esse in eodem subiecto, necesse est, quod fides sit in intellectu. Quod autem error sit in intellectu *formaliter* eo modo, quo privatio formam dicit, ostendit Augustinus, qui dicit in Enchiridio [1], quod « error est existimare falsa pro veris ». Sed certum est, quod existimatio actus est intellectus, et « falsum intellectum respicit », immo « non est nisi in intellectu », secundum Philosophum VI. Metaphysicorum [2]. Ergo necesse est, quod fides sit in intellectu tanquam in subiecto.

**Quarta ratio** est ex parte *sui complementi.* Fides enim ordinatur ad visionem apertam, et illa succedit sibi in patria. Id ipsum namque, quod nunc credimus absens et non visum, tunc praesens aspiciemus et contuebimur et videbimus aperte, sicut dicit Apostolus [3]: *Videmus nunc per speculum* et *in aenigmate, tunc autem facie ad faciem;* et ideo, sicut visio rei praesentis est in intellectu, sic oportet, quod fides absentis rei sit in intellectu. Unde Augustinus XIII. de Trinitate [4] dicit, quod « fides non est dicenda perire, quando ea quae credebantur, videntur, et eam inventa veritas pellit, quoniam fides transit in veritatem »; et I. de Doctrina christiana in fine [5] dicit, quod

---

[1] Cap. 17. n. 5. Cfr. supra pag. 7, nota 6. in fine.

[2] Text. 8. (V. c. 4.) Cfr. supra pag. 123, nota 3.

[3] I. Cor. 13, 12.

[4] Cap. 1. n. 3: « Cum itaque propterea credere iubeamur, quia id quod credere iubemur, videre non possumus, ipsam tamen fidem, quando inest in nobis, videmus in nobis, quia et rerum absentium praesens est fides, et rerum, quae foris sunt, intus est fides, et rerum, quae non videntur, videtur fides; et ipsa tamen temporaliter fit in cordibus hominum, et si ex fidelibus infideles fiunt, perit ab eis. Aliquando autem et rebus falsis accommodatur fides; loquimur enim sic, ut dicamus: habita est ei fides, et decepit. Qualis fides, si tamen et ipsa dicenda est fides, non culpabiliter de cordibus perit, quando eam inventa veritas pellit. Optabiliter autem rerum verarum in easdem res fides transit. Perit, quando ea quae credebantur, videntur ».

[5] Cap. 38. n. 42. — Quoad alios locos cfr. Orationes de Symbolo, serm. 2. c. 2. (inter opera Augustini): « Sic crede, ut desideres videre quod credis. Fides opus est, visio Dei merces est »; in Ioan. Evang. tr. 110. n. 4: « Credendo tendimus ad videndum », et tr. 111. n. 3: « Merces fidei est visio rerum, quae

« fidei succedet veri species, quam videbimus ». Idem dicit in multis locis.

Sic ergo dico, quod fides est in intellectu *formaliter*, sed in voluntate *causaliter;* in intellectu sicut in subiecto, in voluntate sicut in causa; in intellectu sicut in potentia, a qua eius actus elicitur, sed in voluntate tanquam in ea potentia, a qua eius actus imperatur. — Propter quod notandum ad intelligentiam quorundam obiectorum, quod, sicut ad intellectum elevandum ad hoc, quod assentiat vero non viso supra facultatem naturae ad imperium voluntatis, necessarius est aliquis habitus ad hoc elevans, perficiens, habilitans; ita ad hoc, quod voluntas moveat et inclinet intellectum ad assentiendum necesse est pari modo, perfici voluntatem aliquo habitu. Sed ille habitus non est essentialiter fides, quamvis sine illo fides non sit. Primo igitur habilitatur *voluntas* naturae ordine aliquo habitu, ut, quando verum auditum concipitur, ad assentiendum moveat et inclinet intellectum. Habilitatur nihilominus et *intellectus* ad hoc, quod in assentiendo sequatur voluntatis imperium. Sed ex parte intellectus essentialiter est fides, ex parte vero voluntatis sive affectus est quoddam donum gratis datum, quod intelligitur in voluntate ante caritatem, utpote si alicui infunderetur fides informis, et manet, caritate recedente. Potest autem vocari quaedam voluntatis rectificatio, licet non perfecta, quia illa est per caritatem; et hae duae perfectiones ita connexae sunt, ut non possint invicem separari. Et est exemplum: videmus enim, quod voluntas non potest moveri nisi intellectu indicante et dirigente, et sicut ad aliquod bonum super facultatem naturae suae diligendum non potest moveri sine habitu aliquo elevante, ita intellectus ad illud non potest dirigere nec illud potest indicare eo modo, quo diligendum est, nisi ad

---

creditae sperabantur », ac tr. 75. n. 4: « Fides est praesentis vitae, species futurae »; Enchiridion, c. 4. n. 1: « Fide mens imbuta tendit bene vivendo ad speciem venire »; Enarrat. in Ps. 109. n. 8: « Merces fidei est videre quod credidimus, antequam videremus », et Enarrat. in Ps. 44. n. 25: « Credendo videbimus »; Serm. 346. n. 2: « Per fidem ambulamus ad speciem; fide nobis (Christus) *via* est, in specie autem *veritas* et *vita* »; Serm. 88. (alias 18. de verbis Domini) c. 4. n. 4.: « Antequam videas quod videre non potes, crede quod nondum vides. Ambula per fidem, ut pervenias ad speciem. Species non laetificabit in patria quem fides non consolatur in via ».

illud intellectus per aliquem habitum elevetur; et hoc ideo, quoniam potentiae sunt invicem ordinatae et connexae, et vix una sine alia perficitur, maxime in his quae ad salutem pertinent et sunt de necessitate salutis.

Ad 1. *in contrarium* dicendum, quod fides non impedit, immo expedit actum intellectus. Aperit enim viam et disponit ad intelligendum aliqua, quae nunquam alias intelligerentur. Unde Isaiae septimo [1], secundum aliam translationem: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Syllogizare igitur circa ea quae subsunt facultati naturae, est actus intellectus, in quem per se potest; syllogizare autem circa ea quae facultatem intellectus excedunt, est actus intellectus, sed in quem non potest *per se*, sed primo disponitur per habitum fidei, postmodum vero perficitur per donum intellectus. Per hoc patet

Ad 2, quoniam de vero increato aliqua sunt cognoscibilia per rationem, utpote quod Deus est unus, quod est omnipotens, quod aeternus; aliqua sunt, ad quae per rationem cognoscenda intellectus non potest, nisi, ut praedictum est [2], prius disponatur per habitum fidei, postea perficiatur per donum intellectus, qui ad hoc ordinatur.

Ad 3. dicendum, quod obiectum fidei est obiectum intellectus, et obiectum fidei, scilicet creditum, est verum intellectum. Sed intellectum aliquid ad praesens est duobus modis, scilicet intellectum per *rationem demonstrativam* probatum; et hoc modo creditum non est intellectum in quantum huiusmodi; hoc ideo dico, quoniam aliquid idem potest esse creditum et scitum. — Alio modo dicitur intellectum, *intellectu* scilicet *apprehensum* vel perceptum, et sic dico, quod creditum est intellectum, immo non est nisi ab intellectu perceptibile. Unde non tantum scire est actus intellectus, sed dubitare, opinari, credere et scire.

Ad 4. de auctoritate Hilarii dicendum, quod non est inconveniens, idem esse uno modo *scitum*, alio modo *ignoratum*: ignoratum per demonstrativam rationem, sed scitum per aliorum testimonium vel per divinam revelationem. Unde Augustinus I. Retractationum [3] dicit, quod scire duobus modis di-

---

[1] Vers. 9, secundum Septuaginta. [2] Hic ad 1.

[3] Cfr. supra pag. 72, nota 2. et pag. 133, nota 3. ac pag. 152, nota 1.

citur, scilicet « *proprie*, et tunc scire dicitur, cum certa ratione aliquid comprehendimus; alio modo scire dicitur *communiter* et secundum consuetudinem Scripturae, non dubitemus, nos dicere *scire* quod percipimus corporis sensibus et quod fide dignis testibus credimus ». Haec Augustinus.

Ad 5. dicendum, quod Hugo videtur expresse sentire, quod fides nihil dicat ex parte intellectus nisi conceptionem credibilium, quod est materiale in fide, et quod formaliter sit aut voluntas, aut quaedam rectitudo voluntatis moventis intellectum et captivantis ad assentiendum. Unde non est aliud *credere* quam *velle assentire*, secundum ipsum; et tunc respondendum esset, quod non est necesse in parte ista stare suae opinioni. Si tamen propter reverentiam velimus eum exponere, dicemus, quod omnes illae locutiones sunt causales. Unde fides est affectus, quia affectus movet ad assentiendum; substantia fidei est in affectu tanquam in causa, quia affectus causa est assensus in intellectu, nec fides unquam est in intellectu, nisi prius, ut dictum est [1], naturae ordine praeintelligatur quoddam donum rectificans et habilitans affectum ad inclinandum et movendum ipsum intellectum.

Per hoc patet responsio ad duo sequentia (6. et 7.). Concedo enim, quod in habente tantum fidem informem est aliquid ex parte voluntatis, quo inclinat intellectum.

Ad 8. dicendum, quod auctoritas Augustini plana est. « Credere enim vel non credere est in libero arbitrio voluntatis humanae », non ut eliciente, sed movente et imperante; fides in voluntate eodem modo, quia voluntas movet ad credendum, quia, ut dicit alibi [2] Augustinus, « nullus potest credere nisi volens ». Ideo dicit consequenter: « Illi non credunt, quia nolunt, et ideo illi nolunt, quia per iudicium non praeparatur voluntas; illi volunt, quia illis per misericordiam praeparatur ». Ut enim voluntas velit assentire auditui et inclinare ad hoc intellectum, voluntas utique a Domino praeparatur eo modo, quo dictum est.

Ad 9. de auctoritate Anselmi eodem modo respondendum est. Quod enim dicit, quod fides non est conceptus verbi auditi, sed ex illo est, verum dicit; et quod rectitudo volendi addita

---

[1] Supra pag. 211 et 213.

[2] In Ioan. Evang. tr. 26. n. 2; cfr. supra pag. 205, nota 1. et pag. 204, nota 2.

conceptioni facit fidem, verum est similiter, sed non formaliter, sed causaliter, quia voluntas rectificata facit assentire intellectum conceptui illi. Sed ille habitus, quo intellectus habilitatur ad assentiendum, est essentialiter fides.

Ad 10. patet responsio: quoniam actus utriusque potentiae ad fidem concurrit, sed actus voluntatis tanquam moventis et imperantis, actus autem intellectus tanquam elicientis, et habitus perfectivus utriusque potentiae et elevativus requiritur. Sed habitus perficiens intellectum est *essentialiter* fides; habitus autem perficiens voluntatem est fides *causaliter;* ille autem est, ut praemisi [1], quaedam rectitudo voluntati infusa, qua vult movere et movet intellectum ad assentiendum.

Per hoc patet ad duo sequentia (11. et 12.). Non enim dico, quod illa elevatio voluntatis sit a natura, quia hoc est erroneum; nec per redundantiam perfectionis, quae est in intellectu, sed prius ordine naturae infunditur illa rectitudo voluntati quam lumen fidei intellectui.

Ad 13. dicendum, quod Sancti et doctores aliquando extendunt nomina et frequenter utuntur uno pro alio, sicut Augustinus dicit, quod utimur nomine scientiae pro sapientia, et e converso. Ita dico, quod Damascenus utitur hoc nomine *consensus* pro assensu; assentire autem veritati est actus intellectus, non affectus, nisi forte causaliter et imperative, non elicitive; et tunc dicerem, quod illa definitio praedicatio est *causalis*, non formalis.

Ad 14. dicendum, quod omnis virtus aut in voluntate est formaliter, utpote quia voluntas elicit actum eius; aut causaliter, utpote quia voluntas imperat et movet potentiam ad illum actum exsequendum. Sic est fides in voluntate causaliter et ut imperante, in intellectu ut formaliter et essentialiter et ut actum eius eliciente.

Ad 15. dicendum, quod, quemadmodum fides est in intellectu sicut in subiecto, in voluntate sicut in causa, in quantum imperat actum eius, ita infidelitas formaliter est in intellectu et tanquam in subiecto, sed in voluntate causaliter sive sicut in causa, in quantum enim imperat actum eius; et ideo actus eius est demeritorius.

---

[1] Supra ad 5.

Ad 16. dicendum, quod, prout alias [1] dictum est, caritas non est forma fidei essentialis. Habet enim fides suum esse specificum a caritate distinctum et in suo genere sine caritate perfectum; sed est forma eius sicut ceterarum virtutum in *esse* meritorio, eo quod nullus actus est meritorius nisi aut a caritate elicitus, aut imperatus, pro eo quod ipsa respicit finem sub ratione finis; et ideo omnes alias movet et ordinat in finem.

Ad 17. dicendum, quod, quando ad unum actum duo agentia uniformiter conveniunt, semper actus attribuitur principali, sicut apparet in tractu navis, ad quem plures trahentes conveniunt uniformiter, ideo fortiori magis attribuitur. Ubi autem unum concurrit sicut imperans, alterum sicut eliciens vel exsequens, ita attribuitur, sicut concurrunt: illi sicut moventi et imperanti, isti sicut exsequenti, sicut apparet in artibus ordinatis. Ita est in proposito. Quia enim non eodem modo neque uniformiter ad actum fidei concurrit voluntas et intellectus, ideo eodem modo, quo concurrunt, attribuitur eis.

Ad 18. dicendum, quod impetrare quod lex imperat non est nisi per viam meriti; inchoatio autem vel initium seu dispositio meriti est ex fide, eo quod fides est prima virtus, quae elevat mentem supra se in Deum; consummatio autem et complementum est ex caritate, quae ordinat in finem et coniungit et reddit Deo acceptum. Pro tanto ergo dicit Augustinus [2], quod « fides impetrat quod lex imperat », quia inchoatio et initium seu dispositio meriti incipit a fide, ac per hoc et ratio impetrationis.

Ad 19. dicendum, quod, utrum memoria et intellectus sint diversae potentiae, aut una, modo non curo; sed ad formam argumenti respondeo, quod *tenere* non solum est actus memoriae, sed aliarum potentiarum. Nam et voluntas tenet et possidet bonum, sicut memoria verum. Actus ergo memoriae est tenere et conservare species intelligibiles, quaelibet autem alia potentia tenet et possidet suum obiectum, quando sibi adhaeret.

Ad 20. dicendum, quod memoria eo modo, quo tenet fidem, tenet et caritatem et spem, nec tamen sunt in memoria sicut in subiecto. Ergo esse in memoria est duobus modis: aut secundum

---

[1] Supra pag. 206, nota 3.

[2] Cfr. supra pag. 206, nota 4.

speciem sive notitiam, aut secundum rem et essentiam suam. Secundum notitiam sive speciem omnes virtutes sunt in memoria, quia earum species in memoria continentur; sed secundum suam essentiam et secundum rem est caritas in affectu, fides in intellectu eo modo, quo dictum est [1].

Ad 21. dicendum est, quod error fidei oppositus non solum est in intellectu, sed in voluntate movente; alias, ut fuit dictum, ex alia parte, si esset solum in intellectu, esset ignorantia pura nec esset peccatum, sed potius excusaret peccatum. — Quod autem dicit Augustinus, quod « nemo est, qui velit errare »; dico, quod, sicut malum nemo appetit *per se*, sed *per accidens*, quia appetit aliquid, ad quod necessario sequitur malum, ita dico, quod nemo vult errare per se, sed per accidens. Cum enim error sit existimare verum quod falsum est, approbare vel movere ad illud existimandum vel assentiendum est velle id quod est error, aut cui est annexus; ad quod sequitur error necessario.

Ad 22. dicendum, quod intellectus et voluntas secundum alium et alium modum habent inter se prioritatem et posterioritatem et habent se in ratione moventis et moti. Intellectus enim prior est et movet voluntatem per modum indicantis et dirigentis. « Nullus enim, ut dicit Augustinus [2], potest velle qui quod vel quale sit nescit ». Sed e converso voluntas prior est et movet intellectum per modum imperantis et inclinantis, et ideo, cum quis audit verbum fidei, intellectus concipit et innuit voluntati, voluntas autem inclinat et movet intellectum ad assentiendum.

Ad 23. dicendum, quod *maior* est falsa. Nam et superior operatur per inferiorem, et inferior per superiorem: superior, per inferiorem tanquam per subditum et ministrum exsequentem, sed inferior per superiorem tanquam per motorem imperantem. Primo modo operatur rex per ballivum, secundo modo operatur ballivum per regem. Hoc modo operatur fides per dilectionem tanquam per principium motivum, et ideo argumentum non valet.

---

[1] Supra pag. 213.

[2] XV. de Trin. c. 27. n. 50; Cfr. Bonav., III. Sent. d. 23. a. 1. q. 2. cum scholio; cfr. supra pag. 208, nota 1.

# QUAESTIONES DECEM DE COGNITIONE.

## QUAESTIO I.

Quaestio est, utrum ad cognitionem rei requiratur ipsius rei existentia, aut non-ens possit esse obiectum intellectus [1].

Quod autem ad cognitionem [2] requiratur rei existentia, et non-ens non possit intelligi, ostenditur sic:

1. Anselmus de Veritate [3] dicit, quod est quaedam veritas efficiens tantum, quaedam effecta tantum, quaedam efficiens et effecta. Veritas efficiens tantum est veritas prima; effecta tantum est veritas in intellectu vel enuntiatione; efficiens et effecta est veritas rei, quae a prima veritate efficitur et efficit veritatem in intellectu vel enuntiatione. Veritas autem cognitionis vel enuntiationis nullius sunt causa veritatis. Sed si non esset veritas prima, non esset veritas in re, quia est causa illius: ergo si non esset veritas in re, non esset veritas in intellectu, cum veritas rei sit causa illius.

2. Item, *dicebatur*, quod veritas non est in re, sed in intellectu, sicut dicit Philosophus VI. Metaphysicorum [4], quod « bonum et malum sunt in rebus, sed verum et falsum sunt in intellectu »; et hoc ideo, quoniam veritas dicit adaequationem, quae formaliter est in intellectu; ipse enim est, qui adaequat. *Contra hoc obiiciebatur*, quoniam adaequatio quaedam relatio est; nihil enim *sibi ipsi* dicitur adaequari, sed necesse est, adaequari aliquid *alicui*. Si ergo veritas est adaequatio

---

[1] In hac quaestione edenda adhibuimus etiam codicem Musei Britannici sub nomine D, de quo in Prolegomenis locuti sumus. — In titulo pro *aut non-ens*, quod legitur clare in autographo A, alii codd. habent *an non-ens*.

[2] D addit *rei* et mox post *requiratur* adiicit *eius*, denique *quod* ante *non-ens*.

[3] Cap. 10. secundum sensum.

[4] Text. 8. (V. c. 4.).

rei ad intellectum [1], et e converso: ergo necessario requirit existentiam rei. Et si sic, cum non intelligitur nisi verum; et verum non est in intellectu, nisi quia est in re: ergo ad cognitionem necessario requiritur existentia rei.

3. Item, Avicenna I. Metaphysicae [2] dicit, quod ens est prima impressio intellectus; primum enim, quod imprimitur in intellectu, est ens: ergo intellectus non intelligit nisi ens: ergo non-ens non potest intelligi.

4. Item, Philosophus [3]: « Unumquodque sicut se habet ad esse, ita se habet ad verum »; sed verum est obiectum intellectus: ergo sicut se habet ad esse, ita se habet ad cognitionem: ergo quod non est non est cognoscibile.

2. Item, Augustinus XII. super Genesim ad litteram [4]: « Intellectus aut intelligit, et est verum; aut si non est verum, non intelligit ». Sed quod non est non est verum: ergo quod non est non intelligitur. *Probatio minoris:* Augustinus II. Soliloquiorum post principium [5]: « Verum est id quod est ».

6. Item, ad cognitionem necessario tria exiguntur, scilicet *potentia* cognoscitiva, quae est intellectus, *medium* sive ratio cognoscendi, quae est species rei, et *obiectum* ipsum. Re igitur non existente, potest esse potentia cognoscitiva, potest esse ratio cognoscendi; sed quaero, quod est obiectum? Si *res extra existens,* habeo propositum, quod non-ens non cognoscitur. Si *species* sive ratio cognoscendi; *contra:* medium sive ratio cognoscendi nullo modo potest esse obiectum in quantum huiusmodi, quoniam non est cognitum, sed ratio cognoscendi, non est intellectum, sed ratio intelligendi: ergo necesse est ponere aliquid ens, quod sit intellectus obiectum.

7. *Dicebatur,* quod intellectus quidditatis abstrahit ab *esse;* nam in omni creato differt *quidditas* et *esse,* et ideo non oportet, quod sit actu existens, sed quod apprehendatur ab intellectu et sit [6] intellectui repraesentata. *Contra hoc obiiciatur,* quia, re non existente, nihil manet nisi apud intellectum; sed quidquid est apud intellectum, se habet in ratione

---

[1] Cfr. Bonav., I. Sent. d. 40. a. 2. q. 1. ad 1. 2. 3. (vide ibid. notam 5.).
[2] Cap. 6.
[3] II. Metaph. text. 4. (I. brevior, c. 1.).
[4] Cap. 25. n. 52.
[5] Cap. 5. n. 8.
[6] A *sic,* D *tunc.*

*medii* in ratione speciei, nec est ipsum *intellectum* sive obiectum, sed ratio intelligendi obiectum repraesentans. Ergo necesse est ponere, rem esse, quae sit intellectus obiectum: ergo non-ens non intelligitur.

8. Item, *dicebatur*, quod, licet non sit in se vel in actu, est tamen in causa vel in potentia. *Obiiciebatur:* omni causa creata circumscripta [1], adhuc intellectus intelligit hominis quidditatem: ergo si est obiectum intellectus, non prout est in *re*, quia hoc supponimus, nec prout est in *causa creata*, ergo prout est in causa prima et increata. Sed illa non potest esse obiectum nisi beatificum, quod non potest esse in vita ista; aut sequeretur, quod intellectus per naturalia sua posset pertingere ad cognitionem esse primae causae, quod est erroneum et unus de articulis reprobatis et excommunicatis [2]: ergo adhuc oportet dare aliquod obiectum in re extra: ergo etc.

9. Item, si cognoscit non-ens, non cognoscit nisi per speciem illam, quam intellectus habet apud se. Tunc quaero: aut cognoscit rem secundum *esse*, quod habet in proprio genere, aut non. Si *non:* ergo non cognoscit secundum verum esse eius, quoniam in proprio genere habet verum suum esse, non in [3] intellectu; et tunc sequitur, quod non vere cognoscit. Si secundum esse, quod habet *in proprio genere:* ergo non cognoscit sive intelligit non-ens, sed aliquid actu ens.

10. Item, secundum Philosophum [4] de ente per accidens non est scientia, nec speculativa nec practica. Et causa sive ratio huius est propter defectum essendi sive propter defectum entitatis; sed certum est, quod non-ens magis recedit a ratione entis quam ens per accidens: ergo de non-ente multo minus potest esse scientia speculativa vel practica.

11. Item, unumquodque magis est in sua causa quam in effectu; sed veritas cognitionis causatur a veritate rerum in

---

[1] Id est, praescindendo ab omni causa creata.

[2] Cfr. D'Argentré, Collectio Iudiciorum, I. ad an. 1276, pag. 194 (ed. Paris. 1728). Propositio censurata est 29: *Quod intellectus noster per sua naturalia potest pertingere ad cognoscendam essentiam primae causae.* Censura adiecta haec est: *Hoc male sonat; et est error, si intelligatur de cognitione immediata.* — In fine argumenti B C pro *extra* habent *esse*. — Post hoc argumentum D ponit argumentum ex Anselmo, quod infra est 3. arg. sub *Contra*.

[3] In B deest *in*.

[4] VI. Metaph. text. 4. seqq. (V. c. 2.).

proprio genere: ergo veritas magis est in rebus quam in intellectu vel cognitione: ergo sine veritate rerum non manet veritas in cognitione.

12. Item, Augustinus XI. de Civitate Dei [1]: « Occurrit quibusdam mirum, sed tamen verum, quod iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset; Deo autem nisi notus esset, esse non posset ». Ex quo colligitur, quod scientia Dei est causa rerum nec a rebus dependet; scientia autem nostra est causata a rebus, et ideo a rebus dependet. Sed quia res dependent a divina scientia tanquam a causa, impossibile est, res esse sine divina scientia. Ergo eodem modo, quia scientia nostra dependet a rebus tanquam a causa, scientia nostra non potest esse, nisi existentibus rebus.

13. Item, « sicut se habet sensus ad sensibile, ita intellectus ad intelligibile [2] »; sed sensus nullo modo rem potest sentire, nisi re sensibili existente: ergo intellectus similiter non potest intelligere nisi rem intelligibilem actu entem.

15. Item, suppono duo: *unum* est, quod cognitio sive scientia non est sine assimilatione, et hoc dicit Augustinus IX. de Trinitate [3]: « Omnis secundum speciem notitia similis est rei, quam novit ». *Secundum* est, quod simile non est simile sibi, sed simili. Oportet autem ponere in qualibet assimilatione quatuor: duo extrema similia et duas rationes assimilationis. Ex parte ergo intellectus est ipse intellectus et species, per quam assimilatur; ex parte rei cognitae quidditas est ratio assimilationis; sed terminus vel extremum non potest esse nisi res similis: ergo scientia vel cognitio rei non potest esse sine eius existentia.

15. Item, *confirmabatur* argumentum, quoniam accidens non potest esse sine subiecto [4]: ergo accidens requirit et exi-

---

[1] Cap. 10. n. 3; qui locus incipit in editione sic: Ex quo occurrit *animo quiddam* mirum etc. Cfr. etiam XV. de Trin. c. 13. n. 22. — C *videtur* loco *colligitur*.

[2] Aristot., III. de Anima, text. 3. (c. 4.); cfr. supra pag. 60, nota 3. — In fine argumenti posuimus cum A *entem*, pro quo alii codd. *existentem*.

[3] Cap. 10. n. 16; cfr. etiam Aristot., VI. Ethic. c. 1: « Ex similitudine atque affinitate cognitio ipsis (potentiis) contingit ». — B semper habet *assimulatio* pro *assimilatio* et *assimulatur* pro *assimilatur*.

[4] Aristot., VII. Metaph. text. 3. (VI. c. 1.). — D bene *non est* loco *non potest esse*. Paulo post D addit *est* ante *sine subiecto*.

git, rem esse; sed similitudo illa accidens est: ergo non sine subiecto. Si igitur vera est assimilatio vel vera similitudo intellectus ad rem et rei ad intellectum, ergo necesse est ponere rem assimilatam, in qua sicut in subiecto sit assimilatio.

16. Item, maior est convenientia et minor distantia existentis ad superexistens quam non-existentis ad existens; sed quoniam Deus omnino est superexistens, non est cognoscibilis nec intelligibilis, secundum Dionysium de Divinis Nominibus [1]: ergo multo minus non-existens vel non-ens erit cognoscibile.

17. Item, Deus cognoscit res non existentes, quia habet earum rationes; sed intellectus humanus non habet non-existentium rationes: ergo nullo modo potest cognoscere vel intelligere non-existentia.

18. Item, *scientia* et *scibile* dicuntur relative [2], ita tamen, quod realis relatio est ex parte scientiae, quae dependet a scibili; sed realis relatio non potest esse nisi ad rem realiter existentem: ergo non potest esse scientia, nisi sit reale et in actu scibile sive res scita. *Probatio minoris* apparet per Philosophum in Praedicamentis [3], qui dicit, quod relativorum esse est ad aliud se habere, ita quod relatio non minus, immo multo magis, ut relatio est, dependet ab obiecto quam a subiecto: ergo etc.

19. Item, secundum Philosophum III. de Anima [4], intelligere quoddam pati est, et certum est, quod non nisi ab intellecto. Quaero igitur: aut a *similitudine*, aut a *re?* Si a *similitudine*, tunc non est scientia nisi de conceptibus; si a *re* sive ab obiecto, necesse est, quod illud sit realiter; quoniam, ut dicit Philosophus [5], impossibile est, quod realis proprietas sit nisi in eo quod realiter est: ergo etc.

---

[1] Cap. 1. § 1.

[2] Aristot., de Praedicam. c. de *Relatione* (c. 5.). — Mox B D pro *realiter* legunt *realem* et deinde B *realis* pro *reale*.

[3] Loc. nota praecedenti cit.

[4] Text. 2. et 12. (c. 4.).

[5] Cfr. VII. Metaph. text. 2. (VI. c. 1.), ubi ostendit, quod accidentia, ad quae reducuntur proprietates, sunt semper alicuius entis, scil. substantiae. « Quoniam subiectum eis determinatum est; hoc autem substantia et singulare est, quod in tali praedicatione apparet; bonum enim aut sedens absque hoc non dicitur ». Vide etiam IV. Phys. text. 67. et 71. (c. 8.), ubi ait: « Sicuti nihili nulla est differentia, ita etiam non-entis »; et: « Nihil nullam habet proportionem ad numerum (ens reale) ».

20. Item, secundum Philosophum [1] voces sunt signa earum passionum, id est conceptionum, quae sunt in anima; intellectus seu conceptiones autem sunt signa rerum. Certum est autem, quod magis dependent a rebus conceptus quam voces, quia immediatius se habent ad ipsas. Sed non existentibus rebus, non sunt verae enuntiationes: ergo multo fortius, non existentibus rebus, non erunt veri intellectus vel conceptus. *Probatio minoris* est per Boethium V. de Consolatione philosophiae [2], per Philosophum de Praedicamentis, per Anselmum de Veritate, qui dicunt, quod ab eo, quod res est vel non est, dicitur oratio vera vel falsa.

21. Item, Augustinus XV. de Trinitate [3]: Ad veritatem verbi exiguntur duo, id est, quod sit ita in re et in cognitione; alias, altero deficiente, non est verum verbum. Sed in omni cognitione necessario requiritur verbum: ergo necessario exigitur rei existentia.

22. Item, scibile est mensura scientiae [4]: res ergo sunt mensura nostri intellectus. Certum est autem, quod mensura est perfectior mensurato; sed res non mensurat nisi per adaequationem: ergo ratio adaequationis vel adaequatio ipsa perfectius est in re quam in intellectu: ergo et veritas, cum veritas sit adaequatio. Si igitur non est mensuratum sine mensura: ergo non est veritas in intellectu sine veritate rei, ergo nec intelligitur sine rei existentia.

CONTRA:

1. Avicenna in primo Metaphysicae [5] dicit, quod manifestum est, quod illud quod enuntiatur de aliquo, necesse est, ut

---

[1] I. Periherm. c. 1. — In textu B D omittunt *id est conceptionum* et postea *seu conceptiones*.

[2] Prosa 3; locus Aristotelis est in libr. Praedicam. c. de *Substantia* in fine; locus Anselmi ibi c. 2. Verba illa sunt ex Aristotele. — Boethius, prosa 3: « Etenim si quispiam sedeat, opinionem, quae eum sedere conjectat, veram esse necesse est; atque e converso rursus, si de quopiam vera sit opinio, quoniam sedet, eum sedere necesse est »; prosa 4: « Omne etenim signum tantum, quid sit, ostendit, non vero efficit quod designat ».

[3] Cap. 13. n. 24. [4] Aristot., V. Metaph. text. 20. (IV. c. 15.).

[5] Cap. 6: « Nec potest enuntiari, eo quod enuntiatio semper est de eo quod certificatum est in intellectu; unde de non-esse absolute non enuntiatur aliquid affirmative. Sed si enuntiatur aliquid negative, etiam certe iam posuerunt ei esse aliquo modo in intellectu ». — D omittit *quod*.

aliquo modo habeat esse in anima. Enuntiationes enim re vera non sunt, nisi per id quod habet esse in anima, et secundum accidens sunt per id quod est in exterioribus: ergo eodem modo conceptiones, super quibus fundantur enuntiationes, sunt per accidens per ea quae sunt in exterioribus. Sed ea quae sunt per accidens, non sunt necessaria ad esse alicuius: ergo verae conceptiones et verae enuntiationes sunt, rebus non existentibus.

2. Item, Commentator super VI. Ethicorum [1]: « Sicut se habet ars inferior ad superiorem, puta dolativa ad architectonicam, ita se habet sensus ad intellectum ». Sed ita se habet ars inferior ad superiorem, quod, postquam ministravit materiam, ea deficiente, ars superior operatur et complet opus in materia ministrata: ergo eodem modo, deficiente sensu et rebus sensibilibus, ministratis speciebus intelligibilibus [2], poterit intellectus circa illa negotiari et per illa intelligere.

3. Item, Anselmus in Monologio [3]: « Opus, quod fit secundum aliquam artem, non solum quando fit, verum etiam, antequam fiat et postquam dissolvitur, semper est in ipsa arte non aliud quam ipsa ars »; sed constat, quod artifex praevidet et praecognoscit opus fiendum secundum illam artem, quod tamen non [4] est: ergo cognoscit non-ens: ergo etc.

4. Item, efficacior est potentia intellectiva quam imaginativa; sed imaginativa vere potest imaginari quod non est per imaginem rei in se derelictam: ergo multo fortius intellectus per speciem, quam habet apud se, potest rem non existentem intelligere. *Probatio minoris* apparet experimentaliter, quoniam per imaginem, quam apud me habeo, hominum, qui non sunt, vere imaginor eos et recordor eorum.

5. Item, apud intellectum nostrum sunt impressae rationes rerum aeternae et impermutabiles, sicut: omne totum est maius sua parte, et: de quolibet affirmatio vel negatio; sed illae

---

[1] Cap. 7. de sapientia.

[2] Intellige: postquam sensus et res sensibiles ministraverunt species sensibiles et per intellectum factas actu intelligibiles, intellectus potest circa illas species seu res, quatenus speciebus repraesentantur nobis et sunt in nobis, negotiari et res ipsas intelligere, licet et sensus et res sensibiles iam defecerint.

[3] Cap. 34; in hoc textu editio legit *et* pro *etiam*, et in fine: *quam quod est ars ipsa.*

[4] Ita codd., melius esset *nondum.*

rationes non dependent a rebus: ergo secundum [1] illas rationes, rebus non existentibus, potest intelligere.

6. Item, omnis propositio est necessaria, quae destruendo necessario ponitur; et hoc modo probat Augustinus, veritatem esse necessario, quia destructio [2] veritatis ponit veritatem, sic in II. Soliloquiorum [3]: « Si veritas non est, verum est, veritatem non esse; et omne verum veritate verum est »: ergo si veritas non est, veritas est, et ideo necesse est, veritatem esse. Ita arguo in proposito: si non-ens non est intelligibile, non-ens non esse intelligibile intelligibile est; quia hoc verum est, et omne verum intelligibile: ergo ista propositio est necessaria, non-ens esse intelligibile.

7. Item, secundum Philosophum [4] verum se extendit ad ens et ad non-ens. Quemadmodum enim verum est, esse quod est, ita et verum est, non esse quod non est; sed omne, quod est verum, est intelligibile et potest esse obiectum intellectus: ergo etc.

8. Item, existere vel non-existere rei non est necessarium sive requiritur ad cognitionem, nisi quia per existere rei intellectus est in alia et alia dispositione; sed intellectus non mutatur de una dispositione in aliam, non est in alia dispositione propter rerum existentiam vel non-existentiam: ergo existentia vel non-existentia non requiritur ad cognitionem rei.

9. Item, obiectum intellectus est *quod quid est*, secundum Philosophum [5]; sed circa *quod quid est* nullo modo contingit error — abstrahitur enim a loco et tempore, esse et non esse — ergo intellectus, existente vel non existente re, potest intelligere sine errore *quod quid est:* ergo ad rei cognitionem non exigitur rei existentia, immo non-ens potest esse obiectum intellectus.

## RESPONDEO:

Quaestio praesens non est de nominum sive vocum significatione; utrum enim idem significent voces, rebus existen-

---

[1] B *per.* [2] B *destructa veritate,* et paulo ante omittit *modo.*

[3] Cap. 2. n. 2; cfr. ibi I. c. 15. n. 28. seq.

[4] Libr. Praedicam. c. de *Substantia* in fine; cfr. IV. Metaph. text. 10. seqq. (III. c. 4.).

[5] III. de Anima, text. 9. 26. (c. 4. et 6.): *Quod quid est* vel *quod quid erat esse* (ὁ τί ἦν εἶναι) idem est ac *essentia.* Text. 26. continet etiam *minorem* argumenti, quae et text. 21. (c. 6.) asseritur. — Cfr. supra pag. 41, nota 1.

tibus vel non existentibus, utrum nomina imponantur rebus vel conceptibus [1], illa quaestio est logica et nihil pertinet ad nos. Omni enim voce, omni nomine, omni enuntiatione circumscripta, manet eadem quaestio, eadem quaestionis difficultas.

Tunc ergo ad quaestionem propositam *distinguendum* mihi videtur et *ex parte non-entis vel entis* et *ex parte intellectus cognoscentis.*

*Ex parte non-entis* distinguo, quod non-ens duobus modis postest accipi, scilicet *non ens simpliciter*, hoc est nullo modo ens, nec in se nec in causa, nec in potentia nec in actu, quod nec fuit nec erit, nec est nec possibile est esse; et tunc dico simpliciter, quod *non-ens nullo modo potest esse obiectum intellectus.* Nam, ut dicit Avicenna [2], primum, quod occurrit intellectui, et primum, quod est ab intellectu apprehensibile, est ens. Ideo, sicut nihil non est intelligibile, ita non-ens.

Alio modo potest intelligi *non-ens* non non-ens *simpliciter*, sed non-ens *aliquo modo*, utpote non-ens actu, ens tamen potentia; non-ens in se, ens tamen in sua causa efficiente vel exemplari. Et sic dico, quod non-ens potest esse obiectum intellectus et est intelligibile.

Hoc autem *primo* apparet ex *prophetica illuminatione et futurorum praevisione.* Si enim non est scientia certa de non-ente, cum futurum sit non-ens; tunc nullum futurum potest sciri aut praecognosci, quod est contra sacram Scripturam et fidem catholicam.

Apparet *secundo* ex *rerum fiendarum dispositione.* Si enim nulla esset non-entium cognitio certa; nullus autem operatur volens nisi cognoscens: tunc nullus aliquid facere disponeret, et tunc perit omnis dispositio, omnis artificialis operatio. Hoc ostendit optime Augustinus IX. de Trinitate [3]: « Nihil agimus per membra corporis in dictis factisque nostris, quibus vel approbantur vel improbantur mores hominum, quod non verbo apud nos intus edito praevenimus. Nemo enim volens aliquid

---

[1] B D addunt *quia,* quod etiam in A fuit, sed expunctum est. Paulo ante D legerat *utrum videlicet* pro *utrum enim.* — Has quaestiones solvit Scotus, in I. Periherm. opus I. q. 2. 3; opus II. q. 1. 2.

[2] I. Metaph. c. 6; cfr. supra pag. 109, nota 2.

[3] Cap. 7. n. 12. — Paulo ante D *apertissime* pro *optime.*

facit, quod non in corde suo prius dixerit »; et XV. de Trinitate [1] dicit: « Sicut de Verbo Dei dictum est: *Omnia per ipsum facta sunt*, ubi Deus per unigenitum Verbum suum praedicatur universa fecisse; ita hominis opera nulla sunt, nisi prius in corde dicantur. Et in hoc est verbi nostri similitudo Verbi Dei, quia potest esse verbum nostrum, etiamsi non sequatur opus; opus autem esse non potest, nisi praecedat verbum; sicut [2] Verbum Dei potuit esse, nulla existente creatura, creatura vero nulla esse posset, nisi per ipsum, quo facta sunt omnia ». Si igitur nihil cognosci potest non-ens vel non actualiter existens, nulla esset dispositio fiendorum, et omnia casu fierent ab homine; quod omnino absurdum est. Ergo necesse est, quod aliquid non-ens intelligatur; nec ad cognitionem requiritur rei existentia, immo in aliquibus necessario praecedit.

*Tertio* apparet ex *praeteritorum recordatione*. Certum est enim, quod quae praeterierunt, non sunt. Igitur si non-ens nullo modo cognoscitur seu intelligitur, igitur nulla est praeteritorum memoria sive praeteritorum recordatio, quod omnino falsum est; nam recordamur diei hesterni et quae in ipso transierunt. — *Rursus*, si non esset recordatio, nulla esset vel in verbis vel in factis continuatio, nec ordo nec connexio. Qui enim non recordatur praeteritorum non potest scire, ubi dimisit, ubi debet incipere, sicut ostendit Augustinus X. Confessionum [3], XII. super Genesim ad litteram et II. libro de Doctrina christiana.

*Quarto* apparet ex *intellectus virtute et operatione*. Intellectus enim sua virtute activa, suo lumine agentis potest abstrahere universalia a particularibus, species intelligibiles a sensibilibus, quidditates a rebus actualiter existentibus. Certum est autem, quod tam universalia quam species intelligibiles, quam rerum quidditates nullam concernunt rem actu existentem, immo indifferenter se habent ad existens et non-existens, nec locum concernunt aut tempus, et ideo ad intelligendum huiusmodi existentia rei vel non-existentia nihil facit; et ideo,

---

[1] Cap. 11. n. 20, in quo textu citatum est Ioan. 1, 3.

[2] Ita B cum editione, alii codd. *sic*. Mox D cum editione *per quod facta* loco *quo facta*.

[3] Cap. 8. et seqq.; secundus locus est XII. super Gen. ad litt. c. 16. n. 33; tertius II. de Doctr. christ. c. 9. n. 14. Insuper cfr. XI. Confess. c. 27. n. 34.

sicut potest intellectus intelligere rei quidditatem per speciem intelligibilem, re existente, ita potest et re non existente.

*Secundo, distinguendum est ex parte intellectus cognoscentis.*

Est enim intellectus dupliciter dictus, prout est duplex operatio intellectus. Est enim quidam intellectus *simplex* et *absolutus* [1], qui apprehendit et concipit simplices rerum quidditates; alius est intellectus *concretivus* et *compositivus*, qui intelligit et apprehendit, rem subesse vel inesse sub determinata circumstantia temporis.

Si igitur quaeratur, utrum ad cognitionem rei exigatur necessario rei existentia; respondeo, quod, si loquamur de illa operatione vel de illo modo intelligendi [2], prout res intelligitur esse *sub determinata circumstantia temporis*, necessario requiritur existentia rei secundum exigentiam temporis, ut intelligatur esse, quando est, et futura, quando futura est, et fuisse, quando fuit; alias intellectus esset falsus, ac per hoc nec intellectus. « Aut enim intelligit, et est verum; aut si non est verum, non intelligit », ut dicit Augustinus XII. super Genesim ad litteram [3] et tactum fuit in opponendo. Sed veritas *futuri* fundatur in causa, ut dicit Augustinus XI. libro Confessionum, ubi dicit, quod nihil videtur nisi praesens. « Cum ergo videri dicantur futura, non ipsa quae nondum sunt, id est, quae futura sunt, sed eorum causae vel signa forsitan videntur, quae iam sunt; ideo non futura, sed praesentia sunt iam videntibus, ex quibus futura praedicantur animo concepta; verbi gratia: intueor auroram, oriturum solem praenuntio;

---

[1] Cfr. Aristot., III. de Anima, text. 21. (c. 6.) et VI. Metaph. text. 8. (V. c. 4.); S. Thom., Sum. theol. I. q. 85. a. 5. Prima operatio intellectus vocatur etiam *indivisibilium intelligentia* seu *simplex apprehensio*, altera *compositio et divisio* seu *iudicium* vel immediatum vel mediatum (ratiocinium). Secundum primam operationem intellectus vocatur *simpliciter apprehendens*, secundum alteram *componens et dividens*. Nomen *concretivus* seu *compositivus* inde videtur impositum, quia intellectus hac secunda operatione non apprehendit puram et nudam rei quidditatem, sed, ut dicit S. Thomas l. c., *proprietates et accidentia et habitudines circumstantes rei essentiam.* — D *concretus vel compositus.*

[2] B *de ista operatione vel de isto modo loquendi vel intelligendi.* — Infra pro *ut intelligatur* B C *ut enim intelligatur.*

[3] Cap. 25. n. 52. — Locus sequens est XI. Confess. c. 18. n. 24. — Paulo post D *praedicuntur* pro *praedicantur.*

quod intueor praesens est; quod praenuntio, futurum ». Veritas autem *praesentis* fundatur super re actualiter existente; veritas *praeteriti* fundatur super imagine vel specie rei, remanente apud intellectum, cum comparatione ad rem, quae fuit, sed iam non est, sicut ibidem dicit Augustinus [1]: « Pueritia mea, quae iam non est, in tempore praeterito est, quod iam non est, sed cum eam recolo et narro, imaginem eius in praesenti tempore intueor, quae adhuc est in memoria mea ». Utrum autem rerum futurarum, sicut et causae iam existentes, praesentiantur imagines, dicit, se ignorare.

Si vero loquamur de intellectu quantum ad operationem illam *simplicem*, *absolutam* et *puram*, qua apprehendit et concipit rerum quidditates absolutas; sic dico, quod ad istiusmodi cognitionem rei existentia non requiritur, immo nihil facit existentia vel non-existentia rei. Cuius ratio in parte tacta est, tum ex parte *quidditatis* ipsius, tum ex parte *intellectus*, tum ex parte *speciei intelligibilis*.

Ex parte *quidditatis*, quoniam, ut dicit Avicenna V. Metaphysicae [2] et in multis locis: In omni creato differt *quidditas* et *esse*, nec esse est de intellectu quidditatis, immo indifferenter se habet ad esse et non-esse; et ideo nihil refert intelligere quidditatem rei absque eo, quod res sit in actu. Hoc enim quod dico: homo est animal, quae est essentia vel quidditas hominis per nomen explicata [3], non respicit hominis existentiam vel non-existentiam, immo nullo homine existente, ista est vera: homo est animal.

Ex parte *speciei intelligibilis*, quoniam non solum species intelligibilis, sed species imaginabilis non repraesentat, rem esse vel non esse, sed repraesentat rem simpliciter, sicut imago sculpta in pariete repraesentat mihi Socratem vel Herculem, non: existentem vel non [4] existentem. Si enim *existentem* tantum, tunc non repraesentaret eum mortuum; si *non*

---

[1] IX. Confess. c. 18. n. 23. In originali ultima verba leguntur *quia est adhuc.*

[2] Cap. 2: « Dicemus ergo, quod naturae hominis ex hoc, quod est homo, accidit, ut habeat esse, quamvis ex hoc, quod habet esse, non habet esse homo nec aliquid eius nec intrans in illum ». Cfr. ibid. l. c. 8. et VIII. c. 4. seq., ubi ostendit, tantum quidditati principii primi *essentialiter* convenire existentiam, ceteris autem quidditatibus *accidentaliter*.

[3] Ita D, alii *explicita*, et deinde D *haec* pro *ista*.

[4] D omittit *non*.

*existentem* tantum, tunc non repraesentaret eum vivum. Nunc autem indifferenter repraesentat eum vivum vel mortuum.

Ex parte *intellectus*, quoniam, ut dictum est [1], intellectus habet vim quandam abstractivam, et ideo habet quandam, ut dictum est, operationem absolutam, quae non concernit, rem esse vel non esse, sed apprehendit rem tantum vel quidditatem rei, sicut intelligit hominem, non *hunc* vel *illum*, *hic* vel *ibi*, *heri* vel *hodie*, sed hominem tantum. Unde sicut intelligit hominem, homine *existente* [2], ita quod homo *existens* non est obiectum eius, quia ab illo abstrahit, ita intelligit, homine *non existente*. Nec est maior difficultas hic quam ibi, ut videtur, et per istam eandem vim dividit coniuncta et separata coniungit, quae tamen non sunt incompossibilia.

Sed tunc manet difficultas, quod est obiectum intellectus, cum non possit terminari ad non-ens. Et tunc posset dici, quod, ut dictum est, non-ens *simpliciter* non est obiectum intellectus nec potest esse; sed non-ens *actu* vel aliquid, quod de ratione sui non concernit esse actuale, tamen intelligibile, apprehensibile, intellectui repraesentabile est et potest esse obiectum intellectus. Intellectus igitur habens apud se speciem quidditatis humanae vel cuiuscumque, illa species repraesentat sibi illam quidditatem, non tanquam ens actu vel non-ens, sed simpliciter eam repraesentat, ut dictum est; et ex illa intellectus format sibi quendem conceptum et intelligit quidditatem hominis vel cuiuscumque *simpliciter*, non concernendo *esse* vel *non esse;* et hoc sufficit ad rationem obiecti. Nam, nec re existente, quidditas, ut est in rebus, est intellectus obiectum.

Iste modus est philosophicus et congruus; non tamen puto, quod sufficiat, et fortassis hic deficiunt principia philosophiae [3], et recurrendum ad principia theologica. Et hoc apparet sic.

---

[1] Supra pag. 228.

[2] B legit *existentem* pro *homine existente*. D in fine propositionis post *abstrahit* pro *ita* legit *quia*, et mox falso omittit verba, quae sunt inter *obiectum intellectus* prima et secunda vice positum.

[3] B potius *physica* et paulo superius *physicus* pro *philosophicus*, quod idem sonat. — Quoad rem cfr. cl. P. Albertus M. Lepidi O. Pr. et Profess. Lovanii, in quodam opusculo de *Ente generalissimo, prout est aliquid psychologicum, logicum, ontologicum*, quod impressum est in folio periodico *Divus Thomas*, 1881, n. 11. seqq., et de Hum. Cognit. ratione pag. 20-22.

Si enim nihil obiicitur intellectui nisi non-ens, vel species, vel aliquis conceptus, tunc intelligere esset omnino vanum, sicut videtur.

*Rursus*, cum intelligo rationem hominis definitivam [1], vel cuiuscumque rei habentis quidditatem, non intelligo *nihil*, nec intelligo *ens in potentia*, nec intelligo tantum aliquid *apprehensibile*, sed intelligo *verum necessarium*, verum incommutabile, verum aeternum. Nam, ut dicit Augustinus de Immortalitate animae [2], nihil adeo aeternum est sicut ratio circuli; et II. de Libero Arbitrio: « Nunquam non fuit, nunquam non erit, sed semper fuit, semper erit, quod septem et tria decem sunt ». Et Philosophus VI. Ethicorum [3] dicit, quod « scientia non est nisi de necessitate entibus et non contingentibus aliter se habere et aeternis ». Necesse est igitur fundari in aliquo: *non in rebus*, quoniam, omnibus intereuntibus [4], manent istae veritates, et nulla re existente, ista vera sunt — nullo enim homine existente, verum est, quod homo est animal rationale, mortale — *nec in intellectu creato*, quia intellectus omnis mutabilis est, et nullo intellectu creato existente, adhuc ista vera sunt: ergo non nisi *in aeterno exemplari*, ubi « rerum mutabilium immutabiles manent origines, et rerum transeuntium non transeunt rationes », ut dicit Augustinus in I. libro Confessionum [5].

*Ulterius*, veritas creata non est aliud nisi quaedam expressio veritatis increatae; et unumquodque in tantum verum est, in quantum illud exemplar imitatur. Si igitur ista vera immutabilia non possunt intelligi, nisi ubi sunt, nec sunt immutabilia nisi in arte: ergo necesse est, quod intelligantur in arte.

*Amplius*, si veritas rei non est nisi expressio et imitatio quaedam aeternae artis, et illius veritatis exprimentis primum exemplar similitudo est in nostro intellectu; impossibile est,

---

[1] D *definitam.*

[2] Cap. 1. — Sequens locus est II. de Lib. Arb. c. 8. n. 21: « Quidquid sensu corporis tango, veluti est hoc caelum et haec terra, et quaecumque in eis alia corpora sentio, quamdiu futura sint, nescio; septem autem et tria decem sunt, et non solum nunc, sed etiam semper; neque ullo modo aliquando septem et tria non fuerunt decem, aut aliquando septem et tria non erunt decem ». Et alibi, ut IV. super Gen. ad litt. c. 7. n. 13; II. Soliloq. c. 11. n. 21.

[3] Cap. 3. Cfr. supra pag. 40, nota 2.

[4] D *veterantibus manent illae;* et saepe ponit *ille* pro *iste.* — Cfr. Thomas, q. 1. de Veritate, a. 6. n. 3. et responsio.

[5] Cap. 6. n. 9; cfr. supra pag. 4, nota 2.

quod intelligam vere et certitudinaliter aliquam rem, nisi per applicationem quodam modo et relationem ad exemplar aeternum. Cum ergo intelligimus alicuius rei quidditatem et suam rationem definitivam, obiectum intellectus non est ipse mentis *conceptus tantum*, nec ipsa *quidditas tantum*, quae non est in rerum natura; nec *exemplar aeternum* est obiectum *quietans* et *terminans*, quia hoc est solum obiectum intellectus beati et beatificans; sed est *quidditas ipsa concepta ab intellectu nostro, relata tamen ad artem* sive exemplar aeternum, in quantum, tangens mentem nostram, se habet in ratione *moventis;* et inde concipimus rerum veracem notitiam, et ministrata materia ab inferiori per sensus, inde fluunt principia omnium artium. Unde Augustinus I. Retractationum [1] contra Platonem, qui dicebat, artes secum animas afferre, quia nescientes et imperiti de his vera respondent, dicit: « Credibilius est, inquit, propterea vera respondere de quibusdam disciplinis etiam imperitos earum, quando bene interrogantur, quia praesens est eis, quando id capi possit, lumen rationis aeternae, ubi haec immutabilia vera conspiciunt ». Et capitulo 8. eiusdem libri tangens eundem errorem, et quod discere [2] sit reminisci, quia vera respondet quis, quando interrogatur ordinate, dicit: « Fieri potest, ut hoc ideo possit, quia natura intelligibilis est et connectitur non solum intelligibilibus, verum etiam immutabilibus rebus, eo ordine facta est, ut cum se ad eas res movet, quibus connexa est, vel ad se ipsam, in quantum eas videt, in tantum de his vera respondeat ». Et X. Confessionum [3]: « Pulcra, traiecta per animas in manibus artificiosis, ab illa pulcritudine veniunt, quae super animas est ».

Haec pauca praelibando praetetigi, quia modus, quo omnia mens videt in arte sive aeternis rationibus, videbitur planius in sequentibus [4] quaestionibus.

---

[1] Cap. 4. n. 4, in quo textu pro *quando id capi possit* edit. legit *quantum id capere possunt;* cfr. supra pag. 50, nota 1. — Sequens textus est ibi n. 2, ubi codd. contra edit. male legunt *ut connectatur* pro *est et connectitur;* cfr. supra pag. 52, nota 2.

[2] B habet in margine a manu posteriore falso additum verbum *non*.

[3] Cap. 34. n. 53, ubi pro *in manibus artificiosis* originale habet *in manus artificiosas*.

[4] Vide Quaest. 2. 3. — Paulo ante B ab alia manu in margine *ostendetur* pro *videbitur*, quod idem cod. habet primitus.

Ad 1. argumentum *in contrarium* dicendum, quod veritas *primo et principaliter* et [1] in rebus et in intellectibus est a veritate prima; nihilominus tamen *originaliter* est a rebus et in rebus respectu intellectus in naturali cognitione; sed *formaliter* est in ipso intellectu, prout concipit rem, sicuti est; tunc enim est adaequatio rei et intellectus. Quamvis autem in intellectu causetur veritas a rebus quantum ad *originem*, non tamen quantum ad *conservationem* et *continuationem;* immo rebus pereuntibus, manet veritas in intellectibus, tamen cum irradiatione luminis increati. Nec valet quod *obiicit*, quod veritate prima desistente per impossibile, non maneret veritas in rebus: ergo etc.; quoniam causa prima est causa *effectiva* et *conservativa*, ita quod, eius influentia subtracta, nihil maneret; sed res extra, etsi sunt causa effectiva veritatis in intellectibus, non tamen sunt causa conservativa. Subtracta enim influentia secundae causae, adhuc manet influentia causae primae. Quomodo autem causetur veritas in intellectu a rebus extra, videbitur alias [2].

Ad 2. dicendum, quod adaequatio quaedam *relatio* est et ad aliud. Sed quia inter scientiam et scibile ex parte *scientiae* est relatio secundum *esse*, quia dependet a scibili; in *scibili* autem solum secundum *rationem*, quia a scientia non dependet nec (illa) aliquid ponit: ideo non oportet, quod sit secundum *rem*, sed solum secundum *rationem*, utpote intellectum vel apprehensum ab intellectu, tamen cum relatione ad primum exemplar, in quo est ratio immutabilis quidditatis. — *Praeterea*, dico, quod est adaequatio, quia intellectus apprehendit vel intelligit quidditatem eo modo, quo est; quia non intelligit eam concernendo *esse* vel *non esse*, *locum* vel *tempus*, sicut nec de ratione sua concernit: ideo intellectus sibi adaequatur.

Ad 3. dicendum, quod re vera, ut dicit Avicenna, primum, quod occurrit intellectui, est ens, et ideo omnino non-ens, ut dictum est, non intelligitur. Sed illud ens non est aliquid determinatum nec actu nec potentia, nec praesens nec futurum, nec homo vel equus et huiusmodi, sed ens, quod est superius ad omnia ista; et ego dico, quod quidditas illa est ens in in-

---

[1] Ita legunt B D, alii habent solum *principaliter in*.

[2] Infra in Quaest. quarta.

tellectu [1], in exemplari aeterno, licet non sit ens [2] actu in rebus, quia nec hoc est de intellectu suo.

Ad 4. patet responsio, quoniam Philosophus non vult plus dicere, nisi quod eo modo, quo res est, eo modo est cognoscibilis. Si sit actu, cognoscitur esse actu; si sit in potentia, cognoscitur esse in potentia; si abstrahatur ab actu et potentia et ab omni differentia essendi, eo modo est cognoscibilis; et universaliter, quoties dicitur ens, toties dicitur verum, et quoties vel quot modis potest dici verum, tot modis [3] est cognoscibilis, ut visum est.

Ad 5. patet similiter responsio, quia intellectus intelligendo quidditatem rei, quae est eius proprium obiectum, verum intelligit. Quod quidem verum non est nihil, immo est illud *quod quid est*, vel est illud quod res est; et ideo proprie verum est, et proprie competit sibi ratio Augustini. Cum enim intelligo, quid est homo, intelligo hominem rationalem, et hoc est id quod homo est immutabiliter. Nec intelligit Augustinus id [4] quod est *esse actu*, quoniam illud *esse* corrumpitur; veritas autem secundum ipsum non corrumpitur [5], rebus corruptis; semper enim manet ratio rei.

Ad 6. patet responsio per ea quae dicta sunt in principali solutione. Dico enim, quod aliquid est ibi obiectum; nec oportet, quod sit aliquid actu existens, nec hoc est de ratione obiecti intellectus; sed sufficit, quod sit intellectui repraesentatum et ab intellectu apprehensum. — Vel, ut dictum fuit, obiectum est ipsa quidditas, concepta ab intellectu, prout tamen relata est ad aeternum exemplar, quod se habet ad intellectum in ratione moventis.

Ad 7. obiectum [6], quod, omni re circumscripta, nihil manet nisi apud intellectum; dico, quod falsum est, immo manet *ratio immutabilis*. Est enim immutabiliter verum, quod homo est animal etc.; sed est in aeterno exemplari, quod se habet in ratione moventis ad nostrum intellectum. Unde *quidditas*

---

[1] D addit *etiam*.
[2] In B deest *ens*.
[3] Supple: res.
[4] Ita bene B, alii *per illud*.
[5] Cfr. August., I. Soliloq. c. 15. n. 27. et 28; II. Soliloq. c. 2. n. 2.
[6] Codices falso *dicendum;* melius neutrum verbum poneretur.

*concepta* et *ad illud exemplar relata* est obiectum intellectus. — Sed quod *addit*, quod quidquid est apud intellectum, se habet in ratione medii et rationis cognoscendi; posset dici, quod falsum est. Intellectus enim ex specie sibi repraesentante aliquid, sive sit, sive non sit in re, format sibi quendam conceptum — quod [1] obiicit sibi ipsi; illud tamen non sistit intellectui, sed ducit in aliud; illud autem non oportet quod sit in re, nec hoc est de ratione obiecti, sed sufficit, quod possit esse in conceptu mentis.

Ad 8. dicendum, quod, omni causa creata circumscripta, adhuc manet *ratio* quidditatis rei immutabilis, manet etiam *species* apud intellectum, per quam potest sibi formare conceptum rei. Quamvis ergo quidditas ipsa non possit per se esse obiectum intellectus, nec ipse conceptus tantum, quia sic esset vanus, nec intelligeret rem, sed suum conceptum; nec tamen dico, quod ipsum exemplar sit obiectum terminans aut [2] quietans intellectum; sic enim argumentum procederet; sed omnia ista concurrunt ad faciendum unam *perfectam rationem obiecti*, ut explicatum est, et illud est quidditas ipsa concepta vel apprehensa ab intellectu, prout tamen refertur ad aeternum exemplar, quod se habet ad intellectum in ratione moventis.

Ad 9. dicendum, quod cognoscit per speciem, non secundum esse, quod habet in proprio genere, quia nec est in proprio genere, et tamen vere cognoscit rem; cognoscit enim quidditatem, quae differt ab *esse*, nec esse est de eius intellectu, immo eius intellectus abstrahit omnino ab esse, ut frequenter dictum est. Cognoscit tamen referendo in primam causam et exemplar, quae ipsum movet in ista cognitione.

Ad 10. dicendum: quod [3] de ente per accidens non est scientia, non est propter defectum entitatis, sed magis propter

---

[1] D *quem obiicit sibi; illud tamen.* — Verbum *quod* secundum *sensum* refertur ad *aliquid* intellectui repraesentatum. Fortasse clarius ita legeretur: Illud quod formando conceptum sibi obiicit, non tamen sistit etc. Sensus enim est: conceptus habet non solum rationem *medii*, sed etiam rationem *obiecti*, in quantum repraesentat illud quod cognoscitur, sive in quantum est ipsum obiectum in esse repraesentativo, et in quantum intellectus in actu exercito fertur directe in ipsum eodem actu, quo intelligit rem conceptu sive verbo repraesentatam; cfr. Philippus a Ss. Trinit., Sum. Philos. II. II. q. 44. a. 2. [2] B *nec.*

[3] A legit *quod quia.* — Post *quod nec habent* supple: accidentia vel entia per accidens; D congruentius legit *habet* et bis *potest.*

defectum determinationis, eo quod nec habent causam determinatam nec unum modum essendi, immo possunt quasi ex infinitis causis et infinitis modis contingere [1]; et ideo nec in se nec in suis causis possunt cognosci cognitione naturali. Quidditates tamen rerum, quamvis non habeant esse actu, quia nec est de earum ratione, habent tamen immutabilem veritatem, secundum Augustinum et Philosophum [2].

Ad 11. dicendum, quod veritas non est eodem modo in *rebus* et *intellectu*. In *rebus* est *originaliter* et *causaliter* per respectum ad intellectum, sed in *intellectu* est *formaliter*, ut supra [3] dictum est. Et quia non est eodem modo, ideo non est uniformis comparatio; *causaliter* enim magis est in rebus, *formaliter* magis est in intellectu.

Ad 12. dicendum, quod alio modo Deus est causa rerum, et res causa nostrae scientiae. Deus enim causa rerum est *tota* et *totius:* ideo res dependent a sua providentia. Sed res non sunt causa *necessaria* nostrae scientiae; posset enim Deus imprimere nostris intellectibus rerum species, per quas cognosceremus, sicut indidit Angelis. *Adhuc,* non sunt causa *tota* et *sola,* immo cum lumine nostri intellectus agentis et cum lumine divino; et ideo, si sint aliquo modo causa *originalis,* tamen non sunt causa *conservativa,* nec quantum ad sui conservationem nostra scientia dependet a rebus.

Ad 13. dicendum, quod non est simile: quoniam sensus non habet vim conservativam specierum sensibilium, sicut intellectus intelligibilium; et ideo sensus non sentit, nisi praesente re sensata, intellectus [4] intelligit, re destructa. Et quia apud intellectum habemus species intelligibiles, non autem apud sensum sensibiles, ideo dicit Philosophus II. de Anima [5], quod intelligimus, quando volumus, non tamen sentimus.

---

[1] Aristot., XI. Metaph. c. 7. (X. c. 8.): « Huius vero (accidentis) inordinatae et infinitae causae sunt ».

[2] Aristot., VII. Metaph. text. 35. (VI. c. 10.): « Cum vero (v. g. circuli aenei et lignei) abeant ab actu, non est manifestum, utrum sint aliquando, an non sint; tamen semper dicuntur et cognoscuntur universali ratione ». « Ratio vero est ipsius universalis », ibid. Porro I. Poster. c. 24. (c. 31.): « Universale... neque *hoc aliquid* est neque *nunc* neque *ubi;* neque enim utique esset universale; quod enim semper est et ubique universale dicimus esse ». — Quoad August. cfr. supra pag. 232, nota 2.

[3] Pag. 234, ad 1.

[4] D addit *tamen.*

[5] Text. 60. (c. 5.).

Ad 14. dicendum, quod, ut praedictum [1] est, scibilis ad scientiam non est relatio nisi secundum rationem; ideo et assimilatio solum secundum rationem; et propter hoc non oportet ponere, aliquid secundum rem existere ex parte intelligibilis, sed solum in apprehensione; nec est inconveniens, ut ad non-ens aliquid referatur secundum rationem. Video enim, quod inter *aliqua* est relatio secundum *esse* ex parte utriusque extremi; quando enim extrema dependent a se invicem, et relatio in utroque extremo aliquid ponit, sicut inter patrem et filium. — Inter *alia* est relatio ex parte alterius extremi secundum *esse,* sed ex parte alterius secundum *rationem;* et ideo ex parte huius extremi nihil ponit [2], qualis est inter scientiam et scibile. — Inter *alia* est relatio ex parte utriusque extremi secundum *rationem,* ut inter Deum et creaturas ab aeterno. Fuerunt enim in Deo ab aeterno ideae rerum fiendarum, quae dicunt relationem ad res secundum *rationem,* quia nihil ponit ex parte divinae essentiae, nec ex parte rerum, quae non fuerunt. Ubi igitur est relatio vel assimilatio secundum rationem, non oportet ponere extrema nisi secundum rationem.

Ad 15. patet responsio. Dictum est enim, quod illa similitudo nihil ponit ex parte scibilis secundum *rem,* sed secundum rationem tantum; et ideo non oportet propter hoc rem ponere. *Adhuc,* illa similitudo accidens verum est ex parte alterius [3], ideo oportet ponere subiectum secundum rei veritatem; sed quia ex alia parte est solum accidens secundum rationem, ideo non oportet ponere subiectum nisi secundum rationem. — Si *urgeatur,* sicut urgebat de illa quidditate, si est aliquid aut nihil: si aliquid, aut accidens, aut substantia, aut creator, aut creatura; dico, quod non *nihil,* sed *aliquid.* Sed quia non aliquid actu, nec [4] substantia nec accidens, nec hoc nec illud; illa enim est divisio rerum actu existentium. *Praeterea,* intellectus quidditatis abstrahit ab omni *esse.*

Ad 16. dicendum, quod superexistens [5] est cognoscibilis et

---

[1] Pag. 234, ad 2.

[2] Scilicet relatio. — Paulo ante adiecimus *huius,* ut contextus requirit.

[3] Scilicet scientis. — Infra pro *urgeatur* D *urgeretur,* cui favet etiam A.

[4] Intellige: ideo nec est substantia etc.

[5] Scilicet Deus. — D legit *cognoscibile et intelligibile* pro *cognoscibilis et intelligibilis.*

intelligibilis. Quod autem dicit Dionysius, Deum non esse cognoscibilem vel intelligibilem, intelligendum est: *plene*, sicut est cognoscibilis, et scientia *comprehensiva*, quia soli sibi est comprehensibilis; est tamen cognoscibilis notitia *apprehensiva* et *quia est* et *quid est*, licet non plene et perfecte.

Ad 17. dicendum, quod Deus cognoscit res fiendas, quia habet rationes earum practicas et exemplares; intellectus autem humanus non potest cognoscere futura, quae non habent causas in natura nisi per divinam [1] revelationem, apud quem sunt rationes fiendorum. Tamen quia, rebus existentibus, acquirit sibi species rerum; ideo, rebus desinentibus, cognoscit res per species illas; quamvis enim non habeat rationes *factivas*, habet tamen rationes *factas*.

Ad 18. posset responderi per superiora. Quia ibi est relatio secundum *dici* sive secundum *rationem* ex parte *scibilis*, secundum *esse* ex parte *scientiae:* ideo non oportet ponere scibile in esse, sed in ratione. — Sed quod dicit, quod realis relatio non est nisi ad rem [2], et quod magis dependet ab obiecto quam a subiecto, quia relativorum *esse* est *ad aliud se habere;* dico, quod, prout relatio dicit *accidens*, magis dependet a subiecto, in quo est; prout *ad aliquid* sive habitudinem, magis dependet ab obiecto, quia ad illud est; et addo, quod realis relatio est ad rem; ad rem utique est, sed ad rem secundum modum et exigentiam rei. Et quia de ratione illius non est, quod sit actu nec quod habeat esse, sed quod sit tantum apprehensibilis et concepta ab intellectu et relata ad primum exemplar; ideo ad talem rem talis est realis relatio.

Ad 19. dico, quod intelligere quantum ad sui *initium* quoddam *pati* est, sed quantum ad sui *complementum* est *in actu*. Recipere enim est pati, sed iudicare et discernere actionem dicunt. Primo ergo patitur — eo modo, quo recipere est pati — a rebus, a [3] quibus accipit, vel a phantasmatibus, postmodum vero agit; et ideo non oportet, quod semper sit agens, nisi forte velimus dicere, ut dictum est, quod patitur in eo, quod movetur a rationibus aeternis.

---

[1] Ita incongrue codd. loco *Dei*, proindeque D male legit *apud quam*. Mox A B *habet* pro *habeat*. [2] D *esse*.

[3] Supplevimus praepositionem *a*, quae propter praecedens *a* excidisse videtur. In principio solutionis D *suum* loco *sui*.

Ad 20. dicendum, quod non est simile omnino de *cognitione* sive conceptione et *enuntiatione*, quia enuntiatio semper enuntiat, aliquid esse vel non esse; et ideo non est vera, nisi quando enuntiat *esse* quod est, vel *non esse* quod non est. Et simili modo intellectus noster secundum operationem relatam ad existentias [1] rerum sub determinata circumstantia temporis non est verus, nisi quando concipit vel apprehendit esse quod est, vel [2] non esse quod non est. Tamen, ut dictum est, intellectus habet aliam operationem absolutam et simplicem, quae omnino abstrahit ab illis; ideo non dependet ab esse vel non-esse rerum.

Ad 21. dicendum, quod verum est de operatione intellectus, quae concernit rerum existentias; sed non est verum de illa operatione, quae abstrahit ab istis. — Vel potest dici, quod cum intellectus apprehendit simplicem quidditatem rei, verum verbum concipit, quia ita est in re, sicut in cognitione. Quia enim quidditas dicit quandam rem, cuius ratio vel intentio non concernit nec *esse* nec *non-esse*, et intellectus ita eam intelligit; ideo intelligit, sicut est, et propterea verum est verbum.

Ad 22. dicendum, quod scibile est mensura scientiae, et res sunt mensura nostri intellectus, hoc est dictu, quod tunc est vera scientia et cognitio, cum adaequatur rei; et hoc est, cum cognoscit rem, sicuti est et secundum modum suum. Et ideo ratio adaequationis vel veritas *originaliter* est a rebus, sed *formaliter* est in intellectu, *exemplariter* tamen est in Deo. Et quia [3] sunt diversi modi essendi, non est uniformis comparatio, immo semper est fallacia *a* [4] *secundum quid ad simpliciter;* certum est tamen, quod in Deo *simpliciter* est perfectius. — Quod *obiicit*, quod mensuratum dependet a mensura; potest dici, quod res scibilis *est; est*, inquam, non in *actu*, sed in conceptu [5] mentis et in exemplari aeterno, et hoc sufficit ad rationem mensurae.

---

[1] B *existentiam.*
[2] Ita B, alii *et.*
[3] B addit *ibi.*
[4] Ita A; ceteri codd. omittunt *a.*
[5] Ita B D, alii *conspectu.*

# QUAESTIO II.

**Secundo quaeritur, utrum quidquid certitudinaliter cognoscitur cognitione intellectuali, cognoscatur in aeternis rationibus, vel in lumine primae veritatis.**

Quod autem lumen naturale sufficiat ad certam cognitionem sine influentia illarum rationum, ostenditur sic.

1. Philosophus III. de Anima [1]: « Sicut in omni natura est aliquid, quo est omnia *fieri*, et aliquid, quo est omnia *facere*, ita est in intellectu sive in anima »; quia [2] ibi est quo est omnia facere, et ille est intellectus agens; et quo est omnia fieri, et iste est intellectus possibilis. Sed ubicumque est sufficiens principium activum et sufficiens principium passivum ad omnia, non requiritur ulterius agens. Ergo anima per suum activum et suum passibile sufficit ad certam cognitionem sine irradiatione speciali vel influentia rationum aeternarum.

2. Item, Anselmus de Conceptu virginali [3] distinguit triplicem cursum rerum, scilicet *naturalem*, *voluntarium* et *mirabilem*. Secundum cursum *naturalem* fiunt naturalia; secundum cursum *voluntarium* voluntaria, quae pendent a voluntate creata; secundum cursum *mirabilem* ea quae fiunt supra naturam per divinam potentiam. Sed certum est, quod actus cognitionis pertinet ad cursum naturalem, non mirabilem, quia nec cognitio est miraculosa: ergo potest esse a naturali virtute intellectiva sine supernaturali agente vel influentia ab eo [4].

3. Item, Hugo libro I. de Sacramentis [5] in fine dicit, quod « aliqua sunt supra rationem, aliqua infra rationem, aliqua praeter rationem, aliqua secundum rationem ». Sed ad omnia illa, quae subiacent virtuti alicuius agentis, sufficit virtus agentis illius sine alio [6] adminiculo superiori: ergo ad naturalem

---

[1] Text. 17-18. (c. 5). — Codd. bis *aliquid* ante *quo est* omittunt, excepto B, qui ut textus Philosophi illud exhibet. Mox C pro *ita est* legit *ita et*.

[2] C (et B primitus) legit *quod;* A est dubiae lectionis.

[3] Cap. 11.

[4] C addit: *supposita semper generali conservatione vel influentia a Deo.*

[5] Part. III. c. 30. Cfr. supra pag. 130, nota 1.

[6] C *aliquo* et in fine *quae* pro *qua*.

cognitionem eorum quae subsunt rationi nec eius facultatem excedunt, sufficit lumen naturale, supposita communi influentia, quae conservat omnem creaturam.

4. Item, sicut divina potentia se habet ad operabilia [1], ita divina sapientia se habet ad cognoscibilia sive intelligibilia. Sed quantum ad operabilia, quae non excedunt facultatem naturae, sufficit virtus naturae cum influentia communi: ergo ad cognoscibilia, quae non excedunt facultatem naturae, sufficit lumen naturale cum generali influentia, quae nulli subtrahitur creaturae.

5. Item, pono speciem abstractam a phantasmatibus, pono potentiam intellectivam [2] dispositam, pono conversionem aciei intellectus super illam, et suppono communem influentiam; sed ad cognitionem non videntur plura requiri: ergo sine aliqua influentia speciali a superiori potest anima certitudinaliter cognoscere, cum omnia ista sint in potestate naturae.

6. Item, quicumque videt aliquam rem in luce vel in arte aliqua, necesse est, quod videat illam lucem vel artem vel regulam, in qua videt. Sed certum est, quod intellectus viatoris illam aeternam artem, lucem et regulam non videt, quia [3] illa visio facit beatum: ergo nec in illa videt.

7. Item, si omnia videntur [4] in illa luce et per specialem influentiam illius lucis, ergo qui magis sunt illi luci propinqui, magis vident, quam illi qui sunt ab illa luce aversi. Sed certum est, quod multi ab illa luce aversi magis et plura vident quam conversi et plura cognoscunt: ergo illa lux non est ratio videndi, nec in luce illa videtur quidquid videtur.

8. Item, Philosophus II. Metaphysicorum [5]: « Sicut se habent res ad *esse*, ita se habent ad cognitionem »; sed ad *esse* sufficit forma creata cum generali influentia Creatoris: ergo similiter ad cognitionem: ergo non est necessaria aliqua specialis influentia lucis aeternae.

---

[1] B superflue addit: *quae non excedunt facultatem naturae*, et post *sapientia* omittit *se habet*.

[2] B omittit *intellectivam*, et circa finem argumenti ante *potest* addit *potentia*.

[3] C *eo quod*.

[4] B *viderentur*, et deinde sibi constans *viderent* post *magis*.

[5] Text. 4. (l. brevior. c. 1.): « Quare, ut secundum *esse* unumquodque se habet, ita etiam secundum veritatem » (cfr. infra q. 2. arg. 4. pro parte affirmat.).

9. Item, Augustinus IX. de Trinitate[1]: « Mens sicut corporearum rerum notitiam per sensus corporis colligit, ita incorporearum per semetipsam, cum sit incorporea »; sed si indigeret alieno vel superiori auxilio, non per semetipsam cognosceret: ergo altiori auxilio non indiget.

10. Item, idem XII. de Trinitate[2] dicit, quod ista immutabilia vera vel scientiarum spectamina anima videt « in quadam luce sui generis incorporea, sicut oculus carnis quae adiacent in luce corporea »; sed certum est, quod nulla lux est eiusdem generis cum anima nostra nisi lux creata, quia lux increata non est in genere: ergo non cognoscit in luce increata, sed creata.

11. Item, secundum Philosophum[3], « natura nihil facit frustra nec deficit in necessariis »; sed certum est, quod creatura rationalis creata est a Deo propter aliquam operationem, et haec est operatio intellectualis: ergo natura non deficit sibi: ergo ex natura sua et in natura habet anima ea quae ad operationem intellectualem requiruntur, sine aliqua superiori influentia, supposita semper influentia generali[4].

12. Item, Philosophus III. de Anima[5] comparat intellectum possibilem oculo, colorem phantasmati, intellectum agentem luci; est enim habitus quidam ut lumen; sed ad visionem sensualem sufficit praesentia[6] obiecti visibilis, potentia visiva disposita videntis, et lux solaris: ergo similiter ad visionem intellectualem sufficit praesentia phantasmatis et potentia receptiva intellectus possibilis et lux intellectus agentis facientis species intellectas in potentia intellectas in actu.

13. Item, certum est, quod actus cognitionis est actus quidam naturalis; sed ad operationes naturales non requiritur ali-

---

[1] Cap. 3. n. 3. In textu originali post *colligit* sic continuatur: *sic incorporearum per semetipsam. Ergo et semetipsam per se ipsam novit, quoniam est incorporea.* Haec additio est etiam in C, paucis mutatis.

[2] Cap. 15. n. 24. — Similiter I. Soliloqu. c. 8. n. 15. Augustinus docet: « Illa quae in disciplinis traduntur (paulo ante ea vocavit *disciplinarum spectamina*) non posse intelligi, nisi ab alio quasi suo sole illustrentur ».

[3] III. de Anima, text. 45. (c. 9.).

[4] B *naturali.*

[5] Text. 18. (c. 5.).

[6] Ita bene B, alii potius *praesentatio;* mox C post *disposita* (pro quo B *dispositio*) addit *ex parte.*

quid supernaturale: ergo aut operatio intellectus in ea quae non excedunt facultatem naturae, non est naturalis, aut si est naturalis, nihil supernaturale requiritur. Sed illa influentia, quidquid sit, supernaturalis est: ergo etc.

14. Item, si quidquid videmus, videmus in illa luce, hoc non est nisi duobus modis: aut sicut *in speculo*, et hoc est impossibile, quia quicumque videt aliquid in speculo, videt speculum ipsum; aut sicut *in medio* vel cognoscendi ratione; et tunc aut ipsa lux divina *per essentiam* est cognoscendi ratio. Quod non potest esse, quia quidquid illud sit, illud est aliquid animae vel intellectui inhaerens, divina autem [1] essentia nulli potest inhaerere; aut est *aliquid ab ea influxum* in mentem cognoscentem. Sed illud, quidquid sit, est creatura; omnis autem creatura mutabilis: ergo non sufficit ad certam cognitionem; aut oportet *abire in infinitum*, quod est inconveniens.

15. Item, certum est, quod lux divina est de invisibilibus Dei, quia lux divina non est nisi ipse Deus; sed, ut dicit Apostolus [2], *invisibilia Dei a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur:* ergo si lux divina est ratio cognoscendi creaturam, et creatura est medium et ratio cognoscendi divinam lucem; tunc cognitio est circularis, quod videtur esse inconveniens.

16. Item, quia dicebatur, quod cognoscitur [3] per quandam divinam influentiam; *contra:* ubi est res ipsa, non est necessaria rei illius species; sed Deus sive lux divina est praesentissima nostro intellectui: ergo non est necessaria aliqua influentia.

17. Item, illa influentia aut est Creator, aut est creatura. Non Creator, quia fluit et infunditur a Deo: ergo non est Deus. Non creatura, quoniam est velut quaeddam lumen fluens a sole; sed lumen non est de nihilo nec est de aliquo materialiter [4]:

---

[1] B omittit *autem*. Mox pro *est creatura*, quod habet bene B (cfr. infra in respons. ad 14.), alii codd. *est creatum*, qui et dein, excepto C, continuant: *omne autem creatum mutabile*. Denique C *aut est abire*.

[2] Rom. 1, 20.

[3] B a secunda manu *quod cognitio est* (primitus *cognoscibilia*).

[4] C legit *nec est de materiali, ergo*; et paulo post adiungit *omnino* post *nihil*.

ergo nec illa influentia, ergo non est creatura: ergo nihil est, cum nec Creator nec creatura.

18. Item, omnis [1] agens virtutis infinitae potest super suam operationem per se sine alieno auxilio; sed intellectus noster est virtutis infinitae: ergo potest in operationem suam intellectualem sine alieno auxilio. *Maior* manifesta est; *minor* probatur per Commentatorem super XII. Metaphysicorum [2], ubi dicit, quod motores orbium caelestium sunt virtutis infinitae et possunt perpetuare motum, quia sunt virtus non in materia; sed intellectus noster est virtus non in materia: ergo etc.

19. Item, quia *dictum erat,* quod illa lux videtur quodam modo in omni viso et cognoscitur in omni cognito, *arguebat* [3]: quod videmus non cognoscimus per fidem; sed de illo bono aeterno non habemus cognitionem nisi per fidem: ergo non illud videmus. *Minor* probatur per Augustinum VIII. de Trinitate [4], qui dicit: Quamdiu *per fidem ambulamus, non per speciem,* nondum utique videmus Deum.

20. Item, secundum Philosophum II. Caeli et Mundi [5], quanto natura superior, tanto paucioribus indiget ad suam perfectionem; sed creatura rationalis est perfectior creatura in ordine universi: ergo paucioribus indiget ad suam perfectionem. Sed creaturae inferiores non indigent influentia aliqua speciali divina ad suas perfectiones consequendas: ergo multo minus creatura rationalis.

21. Item, si influentia lucis divinae vel lux ipsa necessaria est ad cognitionem, non est necessaria tantum ut medium elevans, sed ut ratio assimilationis. Sed cum intellectus natus sit omnia cognoscere, oportet, quod per illam influentiam assimiletur illi luci quantum ad omnia cognoscibilia. Sed nulla influentia sufficit ad omnia cognoscibilia repraesentanda, nec aliquod attributum cognitum assimilat seu repraesentat nisi secundum illam rationem, ut bonitas bona: ergo necesse est, quod aut ipse Deus per essentiam suam sit ratio assimilationis, quod

---

[1] C *omne;* et mox *aliquo auxilio* pro *alieno auxilio.*

[2] Text. 41. (XI. c. 7.).

[3] B *arguebatur.*

[4] Cap. 4. n. 6, in quo textu respicitur II. Cor. 5, 7.

[5] Text. 62. seqq. (c. 12.). — Mox in *minori* B C omittunt *creatura* post *perfectior.*

est falsum; aut nihil aliud sufficit: ergo non cognoscitur [1] in Deo aut in influentia aliqua speciali.

22. Item, certitudo cognitionis est ex parte medii; sed illud medium aequaliter se habet ad omnes: ergo omnes aequaliter cognoscerent. Sed hoc falsum est: ergo non cognoscunt in illa luce.

23. Item, secundum Augustinum X. de Trinitate [2], actus voluntatis necessario supponit actum cognitionis; sed ad actum voluntatis non requiritur aliqua superior influentia, ad actum dico naturalem, quia naturaliter inclinatur ad diligendum bonum: ergo nec ad actum cognitionis.

24. Item, confirmatur sic argumentum: quoniam omne, quod movetur vel tendit ad aliquid, necessario habet aliquid illius [3], ad quod movetur; sed voluntas naturaliter movetur in Deum: ergo habet per naturam aliquid Dei: ergo non requiritur influentia ulterior.

25. Item, ratio cognoscendi oportet quod sit proportionalis intelligenti et obiecto; sed aliqua lux magis est proportionalis quam lux divina, nec illa [4] est proportionalis: ergo illa non est ratio cognoscendi. Quod autem *alia* lux magis sit proportionalis, videtur, quia lux Angeli beati, quae est quasi unigenea nostro intellectui. Quod *illa* non sit proportionalis, patet, quoniam excedit in infinitum et nostrum intellectum et cognoscibile obiectum; et cum hoc, si esset proportionalis, posset [5] videre eam.

26. Item, omnis potentia [6] super se reflexiva iudicat de se et de omnibus, quae sunt in ipsa; sed de luce divina [mens nostra] non iudicat nec de aliqua influentia lucis, quoniam per illam et secundum illam de omnibus iudicat: ergo non est talis lux vel influentia in mente nostra.

---

[1] B C *cognoscimus.*

[2] Cap. 1. et 2.

[3] C *de illo.*

[4] Intellige *divina lux,* sicut addit C, qui infra legit *ergo non est* pro *ergo illa non est,* et infra *Quod autem illa non est* pro *Quod illa non sit.*

[5] Supple: intellectus, vel est legendum: possemus. Auctor *cum hoc* adhibet pro *insuper.*

[6] A C addunt *sui,* quod error esse videtur; mox A et B omittunt *mens nostra.* — Quoad ipsum argumentum cfr. S. Bonav., I. Sent. d. 3. p. 1. q. 1. ad 4.

27. Item, si illa lux est ratio cognoscendi in omni cognitione, cum illa lux omnia aequaliter repraesentet, omnia aequaliter cognoscerentur, praesentia [et] futura, occulta et manifesta, necessaria et contingentia; sed istud est falsum: ergo etc.

28. Item, quaero: cum video aliquod verum immutabile, ut: omne totum maius est sua parte, et septem et tria decem sunt; quid video? Aut aliquid creatum, aut aliquid increatum; non creatum, quoniam nullum creatum [1], immutabile vel aeternum; non increatum, quia istud video perspicue, Deum videre perspicue est beatum esse; sed hic non sumus beati, nec quicumque videt [2] est beatus: ergo etc.

29. Item, si in [3] qualibet cognitione certitudinali Deus vel lux divina necessario aliquid influit, cum cognoscere secundum Philosophum [4] sit in potestate nostra, tunc illa lux vel influentia illius lucis esset in potestate nostra; sed istud est falsum: ergo nec lux divina nec aliqua specialis eius influentia necessario requiritur ad certam cognitionem.

CONTRA:

1. Augustinus XI. de Civitate Dei [5]: « Licet quibusdam animalibus ad istam lucem contuendam multo quam nobis sit acrior sensus oculorum, sed lucem illam incorpoream contingere nequeunt, qua mens nostra quodam modo irradiatur, ut de his omnibus iudicare possimus. Nam in quantum eam capimus, in tantum id possumus ». Ergo per illustrationem illius lucis et attingendo cognoscimus, quidquid certitudinaliter cognoscimus.

2. Item, Augustinus XII. super Genesim ad litteram [6]: « Lumen, quo illustratur anima, ut omnia vel in se vel in illo

---

[1] C bene addit *est*. Mox B a secunda manu *videmus* pro *video;* et deinde post *Deum* C bene addit *autem*.

[2] Subintellige: verum aliquod immutabile.

[3] A omittit praepositionem *in*.

[4] Libr. II. de Anima, text. 60. (c. 5.). — Pro *tunc* C legit *ergo*.

[5] Cap. 27. n. 2.

[6] Cap. 31. n. 59, in quo textu edit. post *intelligit* pergit: « sicut valet. Cum ergo illuc rapitur et a carnalibus subtracta sensibus, illi visioni expressius prae-

veraciter intellecta conspiciat, ipse Deus est. Sed cum conatur [1] lumen illud intueri, palpitat et minus valet; inde tamen est quidquid intelligit; sicut valet, videt [2] quae supra se, et illo adiuta videt etiam, quidquid in se intelligendo videt ». Ergo etc.

3. Item, XII. Confessionum [3]: « Si ambo videmus, verum esse quod *dicis*, si ambo videmus, verum esse quod *dico;* non ego in te nec tu in me, sed ambo in ea quae super mentes nostras est incommutabili veritate ».

4. Item, idem VIII. de Trinitate [4]: « Cum animus ita nobis placet, ut eum omni etiam luci corporeae, cum bene intelligimus, praeferamus; non ipse in se ipso nobis placet, sed in illa arte, qua factus est. Inde enim approbatur factus, ubi videtur fuisse faciendus; haec est veritas et simplex bonum ».

5. Item, idem libro IX. de Trinitate [5]: « Neque enim corporeis sensibus multas mentes videndo per similitudinem colligimus generalem vel specialem humanae mentis notitiam, sed intuemur immobilem veritatem, ex qua [perfecte], quantum possumus, definimus, non qualiscumque sit hominis mens, sed qualis esse sempiternis rationibus debeat ». Et in eodem capitulo [6]: « Itaque de istis sensibus secundum illam [7] iudicamus et eam cernimus rationalis mentis intuitu ». Et in principio capituli septimi [8]: « In illa aeterna veritate, per quam facta sunt omnia, formam, secundum quam sumus, et secundum quam vel in nobis vel in corporibus vera et recta ratione aliquid

---

sentatur non spatiis localibus, sed modo quodam suo, etiam supra se videt illud, quo adiuta videt quidquid etiam in se » etc.

[1] Scil. anima, vel, ut ait August., loc. cit., « creatura rationalis et intellectualis, ad eius imaginem facta ».

[2] C addit *autem,* trahendo *sicut valet* ad praecedentem terminum *intelligit,* sed minus bene. In fine habet *intelligendum* pro *intelligendo.*

[3] Cap. 25. n. 35. — Editio post *dico* continuat: Ubi quaeso id videmus? Nec ego utique in te, nec tu in me, sed ambo in ipsa, quae etc.

[4] Cap. 3. n. 5. — In fine huius loci ante *est veritas* B C addunt *enim.*

[5] Cap. 6. n. 9. — C pro *per similitudinem* habet *per rerum similitudinem.* Editio pro *corporeis sensibus* habet *oculis corporeis, inviolabilem* loco *immobilem* et pro *qualiscumque sit* vero *qualis sit uniuscuiusque.* — Verba hic et postea in parenthesi posita ex editione adiecta sunt.

[6] Num. 11.

[7] Subaudi: formam aeternae veritatis.

[8] Num. 12, ubi edit. *ex qua temporalia* pro *per quam.*

operamur, visu mentis aspicimus ». Ergo non tantum videmus et cognoscimus in illa, sed illam videmus.

6. Item, in I. libro de Doctrina christiana [1]: « Sapiens, adepta sapientia, sapiens est; antequam adipisceretur, non erat sapiens; at vero ipsa sapientia nec fuit unquam insipiens nec esse unquam potest. Quam si non viderent, nullo modo plena fiducia vitam incommutabiliter sapientem vitae commutabili anteponerent. Ipsam quippe regulam veritatis, qua illam clamant esse meliorem, [incommutabilem] vident, nec uspiam nisi supra suam naturam vident, quandoquidem se vident mutabiles. Unde omnibus ad contemplandum communiter atque incommutabiliter praesto est. Et hoc qui non videt, ita est quasi caecus in sole, cui nihil prodest ipsis locis oculorum [eius] tam clarae atque praesentis [2] lucis fulgor infusus ». Ergo idem quod prius.

7. Item, Dionysius in libro Angelicae Hierarchiae [3]: « In tria dividuntur supermundana ratione divini intellectus: in substantiam, virtutem et operationem »; sed anima rationalis non producitur nisi per aliquam influentiam Dei specialem: ergo nec operatur nisi per aliquam influentiam specialem. Sed operatio eius propria est cognitio intellectualis: ergo etc.

8. Item, omne, quod factum est, secundum aliquam rationem [4] factum est. Quod autem rationabiliter factum est, oportet per aliquam rationem cognosci: aut ergo per illam, per quam factum est, aut per aliam. Si per aliam: non cognoscitur veraciter; si per eandem; sed omnia sunt facta aeternis rationibus: ergo tantum aeternis rationibus cognoscuntur.

9. Item, talis est ordo in potentiis animae, quod semper potentia inferior consulit superiorem. Unde sensus particularis [5] sensum communem, sensus communis imaginationem, ima-

---

[1] Cap. 8. n. 8. et 9. — In textu originali legitur: Sapiens enim mens, id est adepta sapientiam, antequam etc. Codicum lectio utitur participio *adepta* in sensu passivo, quod etiam non raro fit ab auctoribus classicis. — A verbis *Unde omnibus* ea quae sequuntur sumta sunt ex c. 9. n. 9.

[2] B *praesentialis.* [3] Cap. 11.

[4] Pro explicatione servire possunt verba S. August., 83 Quaest. q. 46. n. 2: « Quis audeat dicere, Deum *irrationabiliter* omnia condidisse? Quod si recte dici vel credi non potest, restat, ut omnia *ratione* sint condita. Nec *eadem ratione* homo, qua equus » etc.

[5] B *particulares,* per incuriam amanuensis.

ginatio rationem inferiorem, portio inferior superiorem secundum Augustinum XII. super Genesim ad litteram [1], quoniam omnes visiones referuntur iudicandae per intellectualem visionem. Superior igitur portio aut iudicat secundum semetipsam, aut per aliquid, quod est supra se. Si per aliquid, quod est supra se; nihil est autem supra animam nisi incommutabilis veritas: ergo etc. Si secundum se ipsam: ergo nihil est ea [2] superius, ut dicit Augustinus de Vera Religione [3]. Si igitur aliquid est supra mentem: ergo secundum illud et per illud iudicat; sed illud, ut dictum est, est [4] incommutabilis veritas: ergo etc.

RESPONDEO:

Quoniam anima rationalis quasi in medio constituta est inter Creatorem et creaturas, et ad Creatorem ordinatur secundum sui partem superiorem, ad creaturas autem secundum sui partem inferiorem, sicut dicit Augustinus in multis locis, ideo de cognitione et ratione cognoscendi fuerunt ab antiquo plures opiniones.

Plato enim cum suis sequacibus posuit, totam rationem cognoscendi venire a mundo archetypo sive intelligibili et a rationibus idealibus, et posuit, illam lucem aeternam concurrere ad certitudinalem cognitionem in sua evidentia et sicut *totam* et *solam* rationem cognoscendi, sicut Augustinus in pluribus locis recitat, et maxime VIII. de Civitate Dei [5]: « Lumen mentium ad cognoscenda omnia Deus ipse est, qui condidit omnia ».

---

[1] Cap. 11. n. 24. et c. 24. n. 51.

[2] A omittit *ea.*

[3] Cap. 30. 31; cfr. etiam II. de Lib. Arb. c. 5. n. 12: « Nulli dubium est, eum qui iudicat, eo, de quo iudicat, esse meliorem ». Ibid. c. 6. n. 14: « Ipsa ratio nostra mutabilis « per se ipsam cernit aeternum aliquid et incommutabile, simul et se ipsam inferiorem; et illum oportet Deum suum esse fateatur ».

[4] A et B omittunt secundum *est.*

[5] Cap. 7. — Hoc tamen loco S. Augustinus Platonem non vituperat, sed laudat et eius verba approbat, non tamen intellecta in sensu, quo excluditur lumen creatum mentium. Platonem sensisse, duos esse mundos etc., docet Augustinus, III. contra Acad. c. 17. n. 37; pluries ipsum reprehendit de *palingenesia* sive praeexistentia et migratione animarum, et rationem, cur ita docuerit, ut improbabilem reiicit, I. Retract. c. 4. n. 4, c. 8. n. 2; XII. D. c. 15. De differentia scientiae et sapientiae vide August., de Trin. XII. c. 15. n. 25; XIII. c. 19. n. 24; XIV. c. 1. n. 1.

Sed ista positio omnino erronea est. Quamvis enim videatur stabilire viam sapientiae, destruit tamen viam scientiae [1]. — *Praeterea*, si lux illa esset ratio cognoscendi *tota* et *sola*, non differret cognitio rerum in Verbo a cognitione in proprio genere, nec cognitio rationis a cognitione revelationis, nec cognitio philosophica a cognitione prophetica, nec cognitio per naturam a cognitione per gratiam.

Alia positio fuit ARISTOTELIS, ut videtur, qui totam rationem cognoscendi dixit causari et venire ab inferiori via sensus, memoriae et experientiae cum lumine naturali nostri intellectus agentis, abstrahentis species a phantasmatibus et facientis eas intellectas in actu. Et ideo posuit, lucem aeternam non esse necessariam ad cognitionem certitudinalem, nec unquam de ea locutus est. Et ista eius opinio apparet in II. Posteriorum [2].

Hanc positionem, licet non omnino, tamen quidam philosophantes sequuntur, asserentes, quod lux illa est generalis causa certitudinalis cognitionis, nullo modo tamen eam attingi, nec aliquam eius influentiam specialem in naturali cognitione esse necessariam; sed [3] sufficit lumen intellectus agentis cum speciebus et rerum similitudinibus a rebus acceptis et abstractis; alias evacuaretur operatio naturae, et intellectus noster non intelligeret nisi per accidens, et nostra cognitio non esset naturalis, sed supernaturalis. Quod autem dicit Augustinus [4], per illam lucem et in illa luce omnia videri, non est intelligendum, quod intellectus illam lucem aliquo modo attingat, neque quod lux illa aliquid specialiter influat, sed quod Deus aeternus lucem nobis intellectualem naturaliter indidit, in qua omnia cognoscibilia, quae subsunt rationi, naturaliter cognoscimus et videmus.

Sed et ista positio multum videtur deficere. Nam etsi astruat viam scientiae, omnino destruit viam sapientiae. Videtur

---

[1] Haec et quae proxime sequuntur fere ad verbum sumta sunt ex quaestione disputata S. Bonaventurae, de qua cfr. de Hum. Cognit. ratione, pag. 61 seqq.

[2] Cap. 18. (c. 15.); cfr. etiam I. Poster. c. 14. (c. 18.); III. de Anima, text. 39. (c. 4-8.); I. Metaph. c. 1. — Paulo ante B C transponunt *non* legendo *non posuit... esse.*

[3] Post *sed* supple: dicunt quod.

[4] Vide supra p. 92, 93.

etiam multum derogare rationi et naturae imaginis. Creatura enim rationalis hoc ipso, quod est *ad imaginem Dei* [1], secundum sui supremum aeternis regulis inhaerescit, ut dicit Augustinus XII. de Trinitate [2]. Videtur nihilominus evertere et subvertere omnia fundamenta beati Augustini, cuius auctoritates nullo modo possunt (aliter) exponi. Quod videtur inconveniens, cum ipse sit doctor praecipuus, et quem doctores catholici et maxime theologi debent sequi.

Et ideo viam mediam puto sine praeiudicio esse tenendam, dicendo, quod nostra cognitio causatur et ab inferiori et a superiori, a rebus exterioribus et rationibus idealibus.

Ad cuius intelligentiam notandum est, quod nihil cognoscitur nec intelligitur nisi verum. Veritas autem triplex est vel tripliciter [3], prout quaelibet res tripliciter habet esse, videlicet in genere proprio, in intellectu creato et in exemplari aeterno, sicut dicit Augustinus V. super Genesim ad litteram [4], et Anselmus in libro de Veritate capitulo decimo. Ergo possumus loqui de veritate tribus modis: *vel* per comparationem ad materiam, quam informat; quoniam omnis natura creata, eo quod repraesentat secundum gradum suum artem, per quam facta est, forma ipsa vel natura sive essentia, per quam ipsam artem et exemplar imitatur, est sua veritas; et in tantum vera est, in quantum illud exemplar exprimit. *Secundo* possumus considerare [5] veritatem per comparationem ad intellectum, quem excitat; et iste est intellectus creatus et maxime humanus, quia de ipso loquimur modo. Nulla enim est natura, quae non se manifestet intellectui et declaret, ut potest. *Tertio* possumus considerare veritatem per comparationem ad exemplar, a quo emanat; haec est divina lux et ars, per quam facta sunt omnia.

---

[1] Gen. 1, 27.

[2] Cap. 1. seqq.

[3] B C legunt *vel ut triplex;* A est dubiae lectionis. Lectio in textum recepta nobis visa est probabilior.

[4] Cap. 12. n. 28. — August. hoc loco solum de duobus modis essendi disserit, qui tamen praecipue ad rem faciunt, de qua agitur. — Sententiam S. Anselmi habes supra q. 1. arg. 1. pro parte affirmativa.

[5] C *accipere.* Paulo post ante *intellectum* C addit *subiectum, id est.* Haec tamen verba etiam in A desiderantur.

Veritas autem secundum rationem suam est ratio cognoscendi et manifestandi, prout dicit Hilarius [1], quod veritas est declarativa esse. Ista ratio, ut est impressa creaturae, hoc est ipsa sua forma vel quidditas, non est sufficiens ad se manifestandum vel declarandum nec movendum intellectum. Inde providit Deus nostrae menti quoddam lumen intellectuale, quo species rerum obiectarum abstrahit [2] a sensibilibus, depurando eas et accipiendo earum quidditates, quae sunt per se obiectum intellectus. Indidit nihilominus naturale iudicatorium, quo discernat et iudicet bona a malis et vera a falsis. Sed nec istud lumen est sufficiens, quia defectivum est et opacitati [3] admixtum, nisi subiungatur et connectatur illi lumini aeterno, quod est perfecta et sufficiens ratio cognoscendi, et illud attingat et quodam modo contingat intellectus secundum sui supremum.

Attingit autem illud lumen sive illas aeternas rationes ut rationem cognoscendi, *non* tamen *solam*, quia sic non differret, ut dictum est, cognitio in Verbo a cognitione in proprio genere, nec cognitio sapientiae a cognitione scientiae; *nec totam*, quia sic non indigeremus speciebus et similitudinibus rerum; quod falsum est, quoniam dicit Philosophus [4] et experientia docet, quod amittentes unum sensum necesse est, eos amittere scientiam, quae secundum illum sensum fit; ergo, quamvis secundum Augustinum mens secundum sui supremum illas regulas attingat, tamen indubitanter verum est quod dicit Philosophus [5], cognitionem aggenerari in nobis via sensus, memoriae et experientiae, ex quibus colligitur universale, quod est principium artis et scientiae; *nec nudam*, quia sic non differret cognitio patriae a cognitione viae; *nec propriam*, sed quodam modo generalem. Et ideo necessario cum his indiget rerum similitudinibus a rebus abstractis tanquam *propriis*, *determinatis* et *distinctis* cognoscendi rationibus. Et hoc osten-

---

[1] Colligitur ex V. de Trin. n. 3. 4. Cfr. Bonav., I. pag. 79.

[2] C non male *abstrahat*. Paulo ante B C *Ideo* pro *Inde*.

[3] B legit a secunda manu *et opacitatem habet admixtam*.

[4] I. Poster. c. 14. (c. 18.); in quo textu ante *amittere* solummodo B habet *eis* pro *eos*. Melius utrumque deesset. Cfr. de Hum. Cognit. rat. sermo S. Bonav., pag. 80 et 81.

[5] Vide supra pag. 95, notam 1, ac pag. 46 seqq.

dit Augustinus IX. de Trinitate [1], dicens, quod a superiori, id est a luce, veritas lumen est, sed ab inferiori, hoc est a phantasmatibus, tenebra. « Viget et claret, inquit, iudicium veritatis desuper, ac sui iuris incorruptissimis regulis firmum est; et si corporalium imaginum quasi quodam nubilo subtexitur, non tamen involvitur atque confunditur. Sed interest, utrum ego sub ulla vel nulla caligine tanquam a caelo perspicuo seducar, aut, sicut in altissimis montibus accidere solet, utcumque aëre libero fruens, et serenissimam lucem [supra] et densissimas tenebras subter aspiciam ».

Attingit autem mens sive intellectus cognoscens lucem illam et rationes ideales et cernit quodam modo eas, non ut obiectum *quietans, terminans* et *in se ducens,* sed ut obiectum *movens* et *in aliud ducens;* non ut *obiectum visionis,* in quo defigatur ratiocinantis aspectus, sed ut *obiectum motivum* et *rationem videndi;* non *plene,* sed *ex parte;* non in sua *claritate,* sed in quadam *obscuritate,* quia necdum est plene deiformis. Et ideo sic videmus *per illam,* quod *illam non videmus;* sic videmus, quod videre nos *non percipimus,* nisi cum resolvimus, ascendendo gradatim a corporis sensibus, usquequo veniatur ad naturam mentis rationalis, et tandem transcendendo mentem ipsam perveniatur ad regulas incommutabiles, ut docet Augustinus VII. libro Confessionum [2]. Unde dicit in libro XV. de Trinitate: Sic videmus per illum, quod illum non videmus nisi per speculum et in aenigmate. Et Anselmus Proslogio, cap. 14 [3]: « Cur te, Domine, non sentit anima mea, si invenit te? Aut non invenit te, quando invenit lucem et veritatem? An potuit de te aliquid intelligere, nisi per lucem et veritatem tuam? Si ergo vidit lucem et veritatem, vidit te; si

---

[1] Cap. 6. n. 10. 11. — Immediate post C *tenebrae* pro *tenebra.* — In ipso textu editio habet: sub *illa* vel in *illa* caligine... perspicuo *secludar an* sicut... solet, *inter utrumque* aëre.

[2] Quasi per totum librum; cfr. etiam IV. de Genesi ad litt. c. 32. n. 49; de Vera Relig. c. 29. seqq. — Sequens text. habetur quoad sensum loc. cit. c. 6. n. 10 et c. 9. n. 16.

[3] In ed. Veneta a. 1744 legitur: Cur non te sentit, *Domine Deus,* anima... te? An non invenit, *quem* invenit *esse* lucem et veritatem? *Quomodo namque intellexit hoc, nisi videndo lucem et veritatem?* Aut potuit *omnino* aliquid intelligere de te, nisi per lucem *tuam* et... lucem *nec* veritatem. *An et veritas et lux est, quod* vidit, et tamen...

non vidit te, non vidit lucem et veritatem, aut lux est et veritas, quam vidit, et tamen nondum te vidit, quia vidit te aliquatenus, sed non vidit te, sicuti es ». Lumen ergo illud, movendo nostrum intellectum, influit quoddam lumen menti nostrae, ita quod per *lucem divinam* videt *obiective* et quasi effective, sed *per illud* et *in illo lumine* videt *formaliter;* quod quidem lumen continuatur et conservatur in mentibus nostris ad praesentiam divinam. Nec alicui subtrahitur cognoscenti, immo omnibus bonis et malis indifferenter assistit secundum ordinationem et dispositionem immutabilem suae sapientiae, qua cooperatur in intellectuali operatione.

Rationes autem ad istius confirmationem possunt plures adduci.

Et prima ratio potest sumi ex parte naturae *cognoscentis mentis,* scilicet intellectualis. Cum enim mens nostra, secundum Augustinum XII. de Trinitate per totum, duplicem habeat portionem, unam *inferiorem,* deputatam administrandis temporalibus, aliam *superiorem,* contemplandis aeternis; sicut ad plenum iudicium in administratione rerum istarum non sufficit portio inferior sine superiore, sic nec sufficit portio superior sine aeterna luce. Haec autem portio est illa, in qua est imago Dei; et aeternis regulis inhaerescit, per quas definit et iudicat quidquid certitudinaliter cognoscit. *Praeterea,* cum inveniatur in creatura [1] triplex modus vel gradus conformitatis ad Deum, videlicet sicut *vestigium,* sicut *imago,* sicut *similitudo; vestigium* dicit comparationem ad Deum ut ad principium causativum, *similitudo* dicit comparationem ad Deum sicut ad donum infusum: ergo *imago,* quae medium tenet, dicit comparationem ad Deum ut ad obiectum motivum. Ergo in operationibus creaturae, quae sunt ipsius, in quantum est *vestigium,* cooperatur sicut principium et causa, cuiusmodi sunt operationes naturales. In his vero, quae sunt ipsius, in quantum est *similitudo,* cooperatur ut donum infusum, ut sunt operationes meritoriae et Deo gratae. In his autem, quae sunt ipsius ut *imago,* cooperatur ut obiectum motivum et ratio,

---

[1] C *creaturis;* mox B *scilicet* pro *videlicet,* et *ad Deum sicut* pro *ad Deum ut.*

ut [1] sunt operationes intellectuales, in quibus percipit [2] veritatem incommutabilem. Unde Augustinus VIII. de Civitate Dei [3], dicit, quod « ipse est causa subsistendi et ordo vivendi et ratio intelligendi »; « effector naturarum et bonum agendarum et lumen cognoscendarum [4] »; « principium nostrum, bonum nostrum, lumen nostrum [5] »; « causa constitutae universitatis, fons potandae felicitatis et lux percipiendae veritatis [6] ».

Secunda ratio sumitur ex parte *rei cognoscibilis*. Omne enim, quod certitudinaliter scitur, necesse est esse [7] immutabile; et hoc verum est non tantum quantum ad actum intellectus, qui est in perceptione terminorum, sed primarum propositionum et illationum. — Capit enim noster intellectus *terminorum* significata, cum apprehendit unumquodque per definitionem. Definitio autem habet fieri per superiora, et illa superiora per alia superiora, quousque veniatur ad generalissima, quibus ignoratis, definitive sciri inferiora non possunt. Nisi enim cognoscatur, quid est *ens per se*, non potest sciri definitio substantiae; nec *ens per se* potest cognosci, nisi cognoscatur cum suis conditionibus, quae sunt unum, verum et bonum. Ens autem cum possit cogitari ut diminutum, ut completum, ut in potentia, ut in actu, ut ens secundum quid, ut ens simpliciter, et sic de ceteris conditionibus, quae sunt entis ut ens — « pri-

---

[1] C *cuiusmodi*.

[2] Supple: creatura vel intellectus.

[3] Cap. 4: « Fortassis aliquid de Deo sentiunt (scil. qui Platonem secuti sunt), ut in illo inveniatur ut causa subsistendi et ratio intelligendi et ordo vivendi. Quorum trium unum ad naturalem, alterum ad rationalem, tertium ad moralem partem intelligitur pertinere ». In nostris codd. verba, quae ad rationalem partem spectant, ter occurrunt ultimo loco, apud Augustinum rectius secundo loco. — Pro *ordo vivendi* B male *ordo movendi*.

[4] Loc. cit. c. 9: « Rerum creatarum effector, et lumen cognoscendarum et bonum agendarum; principium naturae et veritas doctrinae et felicitas vitae ».

[5] Loc. cit. c. 10. n. 1.

[6] Loc. cit. c. 10. n. 2: « Causa constitutae universitatis et lux percipiendae veritatis et fons bibendae felicitatis ». — Pro *universitatis* B minus bene *universalitatis*. — Tria capita haec, quae relationem Dei ad naturam, ad intellectum, ad voluntatem exprimunt, sumsit Augustinus ex Platone, et occurrunt apud ipsum loc. cit. c. 4. 6. 7. 9. 10.

[7] C legit *necessario est incommutabile et hoc manifestum*. — Tota doctrina, quae proxime sequitur, sumta est ex *Itinerario mentis in Deum* S. Bonaventurae, c. 3. et 5. Multae propositiones ad verbum inde acceptae sunt.

vationes autem non possunt cognosci nisi per positiones » secundum Augustinum et Philosophum [1] — non potest venire intellectus ut *plene resolvens* in intellectum alicuius entium creatorum, nisi iuvetur ab intellectu entis purissimi, actualissimi et completissimi. Non igitur potest scire ens imperfectum, defectivum et incompletum, « nec scire, hoc plurimum differre ab illo, nisi id quod omnino perfectum est, mente videatur », ut dicit Augustinus de Vera Religione [2].

Quantum ad perceptionem *propositionum*, tunc veraciter comprehendit et intelligit, quando scit eas veras, et circa eas falli non potest, ut: omne totum maius est sua parte. Scit enim, quod hoc non potest aliter se habere; scit igitur, veritatem hanc esse immutabilem. — Quantum ad perceptionem *illationum*, tunc [3] videt, comprehendit et intelligit, quando videt, quod conclusio necessario sequitur ex praemissis; et hoc non solum in terminis necessariis, sed in contingentibus, non solum in entibus, sed in non-entibus. Istam igitur necessitatem tam in propositionibus quam in illationibus et habitudinibus non videt in *materia*, quia omnis pars et omne totum interire potest; nec in *anima*, cum « anima mutabilis sit et mutabilitatem pati possit erroris », ut dicit Augustinus de Vera Religione [4] et XIV. de Trinitate. Ergo videt in *exemplari artis aeternae* et in rationibus idealibus, ubi res habent immutabilem habitudinem secundum illius artis repraesentationem. Omnis igitur vere ratiocinantis lumen accenditur ab illa veritate et ad illam nititur pervenire, ut dicit Augustinus de Vera Religione [5].

---

[1] Aristot., III. de Anima, text. 25. (c. 6.): « Punctum autem omnisque divisio et id quod sic est individuum, perinde atque privatio, manifestum evadit. Similis et in ceteris ratio est, v. gr. quomodo malum cognoscat vel nigrum: contrario namque quodam modo cognoscit ». Item II. de Caelo, text. 18. (c. 3.): « Affirmatio privatione est prior ». Cfr. etiam Averroes, in III. de Anima, text. 25: « Et universaliter omnes privationes non cognoscuntur nisi per contraria, scilicet per cognitionem habitus et per cognitionem defectus habitus ».

[2] Cap. 30. n. 55: « Unde enim qualiscumque in corporibus appeteretur aequalitas, aut unde convinceretur longe plurimum differre a perfecta, nisi ea quae perfecta est, mente videretur »; cfr. et n. 54. seqq. — Vide Bonav., V. Itinerar. mentis in Deum, c. 3. n. 3. (pag. 304).

[3] Ita A; B addit *veritatem*, C *veraciter*.

[4] Cap. 30. n. 56; alius locus est ibi c. 15. n. 21.

[5] Cap. 39. n. 72.

*Rursus*, ut in quaestione praecedenti [1] fuit tactum, veritas non est aliud in creatura nisi quaedam expressio artis et exemplaris aeterni, secundum quod facta est; et omnis creatura in tantum vera est, in quantum secundum gradum suum illud exemplar imitatur. Ergo impossibile est, quod cognoscatur veraciter nisi per quandam applicationem et relationem ad illam regulam et rationem, per quam facta est. Unde Augustinus I. libro Soliloquiorum [2]: « Intelligibilis est Deus, intelligibilia etiam illa disciplinarum spectamina, tamen plurimum differunt. Nam et terra visibilis et lux, sed terra nisi luce illustrata videri non potest. Ergo et illa quae in disciplinis traduntur, quae quisque verissima [esse] nulla dubitatione concedit, credendum est tamen non posse intelligi, nisi ab illo quasi suo sole illustrentur. Ergo sicut in isto sole tria quaedam licet advertere: quod *est*, quod *fulget*, quod *illuminat*; ita in illo secretissimo Deo tria quaedam sunt: quod *est*, quod *intelligit*, quod cetera *intelligi facit* ».

Tertia sumitur ratio ex parte *medii cognoscendi*. Medium autem in cognitione certitudinali necesse est esse certum. Certum autem non esset, nisi esset *omnibus* [3] *commune*, *immutabile* et *infallibile*.

Quod patet, quoniam secundum eandem rationem aequalitatis cognosco *omnia* aequalia, et secundum eandem [4] [rationem veritatis cognoscit] *quicumque* cognoscit vere et certitudinaliter; secundum eandem rationem pulcritudinis omnes cognoscunt omnia pulcra, secundum eandem rationem unitatis, omnia una. Oportet esse *immutabilem* [5], quia nihil immutabiliter potest

---

[1] Supra pag. 232.

[2] Cap. 8. n. 15. Edit. legit: quae *quisquis intelligit* verissima esse... nisi ab *alio* quasi... Ergo *quomodo in hoc* sole... licet *animadvertere*, quod... Deo *quem vis intelligere*, tria quaedam sunt, quod est, quod *intelligitur*, et quod cetera facit intelligi. — *Intelligit* pro *intelligitur* illa aetate erat lectio recepta.

[3] B *obiectum* pro *omnibus*.

[4] Post *eandem* A et B omittunt *rationem veritatis*, A etiam verbum *cognoscit*; B denique verba *omnes cognoscunt*. Locus in omnibus codd. est corruptus.

[5] Ita codices, sicut auctor mox *infallibilem*; loquitur de *medio* cognoscendi, pro quo tamen in propositione praecedente posuit *ratio*, ad quod verbum genus femininum referri debet. *Medium* cognoscendi et *ratio* cognoscendi idem sunt. — Post *Oportet* in B non bene additur a secunda manu *igitur*. Probantur enim

cognosci nisi per immutabilem rationem. Oportet esse *infallibilem*, alias non esset certa ratio cognoscendi, quia non posset dare infallibilitatem.

Si igitur omnis creatura et omne lumen creatum est coarctatum et limitatum et terminabile et mutabile; ratio autem certa est incoarctabilis, immutabilis, interminabilis: ergo nullum lumen creatum seu creata ratio potest esse medium in cognitione certitudinali. Ergo necesse est, omnia, quae certitudinaliter cognoscuntur, in lumine veritatis aeternae et in regulis incommutabilibus cognosci. Ista est ratio Augustini de Vera Religione [1], ubi dicit, quod ratio pulcritudinis nec [loco] tumida est, nec instabilis tempore. Non enim recte dici potest, secundum eam iudicari rotundum vasculum, et non secundum eam iudicari rotundum denarium; aut secundum eam iudicari aequales annos, et non secundum eam iudicari aequales menses. Ceterum loci aut temporis spatio nec maior nec minor est, quia, si maior esset, non secundum eam iudicaremus minora, si minor, non secundum eam iudicaremus maiora. Nunc autem secundum eandem quadraturae legem cognoscuntur omnia quadrata, et secundum eandem aequalitatis legem omnia aequalia: ergo locorum intervallis ac temporum nec maior nec minor est, sed potentia superat omnia. — Idem II. de Libero Arbitrio [2], ubi ostendit, leges iustitiae et leges numerorum omnibus esse communes, concludit: « At illa veritatis et sapientiae pulcritudo, nec multitudine audientium stipata, secludit venientes, non peragitur tempore nec migrat locis nec nocte intercipitur nec umbra intercluditur nec sensibus corporis subiacet; de toto mundo ad se conversis occurrit, omnibus praesto est, omnibus sempiterna, nulli loco deest, foris admonet, intus docet », omnibus contemplantibus praesto est.

---

hic tria membra divisionis supra posita, quod *ratio cognoscendi* (medium) debeat esse *communis, immutabilis, infallibilis*.

[1] Cap. 30. n. 56, quibusdam omissis et aliis paululum immutatis.

[2] Cap. 14. n. 38. Codd. legunt in textus principio *veritas*, sed editio et S. Bonaventura supra in sua Quaest. arg. 3. affirm. habet *veritatis*. Post verba: *ad se conversis* editio sic continuat: *qui diligunt eam, omnibus proxima est, omnibus sempiterna; nullo loco est, nusquam deest; foris admonet, intus docet; cernentes se commutat omnes in melius, a nullo in deterius commutatur* etc. — Ultima verba: *omnibus contemplantibus* etc. desunt in August. et superfluunt.

Quarta ratio sumitur ex parte *iudicii* [1]: quoniam in omni cognitione certitudinali necessarium est iudicium rectum. Iudicat autem mens recte de omnibus *sensibilibus*, iudicat de omnibus *pulcritudinibus*, ratione cuius dicimus, quod hoc delectat — et hoc facit convenientia, hoc facit aequalitas — iudicat de omnibus *naturis*, quid cui praeponenendum sit lege naturae; iudicat de *hominum moribus*, quid laudandum, quid vituperandum sit. Omne autem iudicium rectum oportet esse secundum aliquam regulam et legem omnino indiiudicabilem. Ista igitur lex aut est *infra* animam, aut *in ipsa* anima, aut *ipsamet*, aut *supra ipsam*. *Infra* ipsam non est, quia de omnibus, quae infra ipsam sunt, iudicat; nec *ipsa* vel *in ipsa*, quia ipsa mutabilis est et omnis habitus, qui in ipsa est, et etiam de se ipsa et de omni, quod in ipsa est, iudicat: ergo est *supra ipsam*. Supra animam autem nulla lex est nisi lex incommutabilis veritatis. Ergo per legem incommutabilis veritatis iudicat quidquid recte iudicat. Et hoc est quod dicit Augustinus de Vera Religione [2]: Mens, si secundum se ipsam iudicat, nulla est natura praestantior. Cum ergo ipsa sit mutabilis, alia lex, quae sit praestantior, quaerenda est. « Haec autem lex omnium artium cum sit [omnino] immutabilis, mens vero humana, cui talem legem videre concessum est, mutabilitatem pati possit erroris, [satis] apparet, supra mentem nostram esse legem, quae *veritas* dicitur. Nec iam illud ambigendum est, incommutabilem naturam, quae supra animam est, Deum esse; et ibi esse primam vitam, primam essentiam, primam pulcritudinem et aequalitatem, ubi est prima sapientia. Nam haec est illa incommutabilis veritas, quae lex omnium artium recte dicitur et lex omnipotentis artificis ». Hoc idem de Libero Arbitrio, libro II. [3] et VI. Musicae, sed optime XIV. de Trinitate [4]. « Hinc est, inquit, quod impii cogitant aeterni-

---

[1] Cfr. Itinerar. mentis in Deum, c. 3. (V. tom. Bonav.).

[2] Cap. 30. n. 54. ac 56. et c. 31. n. 57. — Codd. contra edit. in fine *lex* pro *ars*.

[3] Cap. 12. n. 34, et VI. Music. c. 12. n. 34. seqq.

[4] Cap. 15. n. 21. In hoc textu editio habet: *Neque enim in sua natura... eorumque mentes... quisquis in eis hoc videre potuerit*, nec... mentes *vero* eorum... *Ubinam* sunt... habendum *esse* quod... Ubi *ergo scriptae sunt*... et in *cor* hominis... sed *tanquam* imprimendo transfertur; *sicut imago ex anulo et* in ceram transit et... — Cfr. supra pag. 8, nota 1. et pag. 55, nota 1.

tatem, et multa reprehendunt recte recteque laudant in hominum moribus. Quibus ea tandem regulis iudicant, nisi in quibus vident, quemadmodum quisque vivere debeat, etiamsi nec ipsi eodem modo vivant? [Ubi eas vident?] Nec enim vident *in sua natura*, cum proculdubio mente ista videantur, mentesque eorum constet esse mutabiles, has vero regulas immutabiles videat quisquis in eis hoc videt. Nec in *habitu* suae mentis, cum illae regulae sint iustitiae, mentesque eorum constet esse iniustas. Ubi igitur sunt istae regulae [scriptae], ubi, quid sit iustum, et iniustus [1] agnovit, ubi cernit habendum quod ipse non habet? Ubi ergo sunt scriptae nisi in libro lucis illius, quae *veritas* dicitur, unde omnis lex iusta describitur et in animum hominis, qui operatur iustitiam, non migrando, sed imprimendo transfertur, quemadmodum figura in ceram transit et anulum non relinquit? Qui vero non operatur, et tamen videt, quid operandum sit, ipse est qui ab illa luce avertitur, a qua tamen tangitur ».

Ad hoc etiam valent auctoritates in quaestione praecedenti allegatae. Sic igitur dico, quod quidquid cognoscitur certitudinaliter cognitione intellectuali, cognoscitur in rationibus aeternis et in luce primae veritatis eo modo, quo fuit explicatum, concludente hoc et *natura cognoscente* et *re cognoscibili* et *medio certo* et *etiam iudicio recto* [2], ita quod ratio cognoscendi *materialis* est ab exterioribus, unde ministrantur species rerum cognoscendarum, sed ratio *formalis* partim est ab intra, scilicet a lumine rationis, partim a superiori, sed *completive* et *consummative* a regulis et rationibus aeternis.

Argumenta, quae hoc probant, concedenda sunt.

---

[1] A C *iniustum;* deinde C *animam* pro *animum.* In fine huius loci ante *tangitur* B omittit *tamen.*

[2] Verba, quae sequuntur usque ad *Argumenta quae,* in A ad calcem leguntur, ab eadem tamen manu auctoris exarata. Porro, quia in laudato codice non satis clare indicatur, ubi haec verba in textu ponenda sint, ipsa in cod. apographo B (sed in calce ab alia manu scripta) sequuntur post *Argumenta... concedenda sunt;* in C vero melius ut in nostro textu. — idem B pro *intra* legit *infra,* quod licet sequenti *superiori* forte corresponderet, non convenit toti contextui, in quo exhibetur haec duplex *climax:* ab *exteriori* — ab *interiori* — a *superiori; materialiter* — *formaliter* — *completive.*

Ad argumenta in contrarium dicendum:

Ad 1, quod philosophia Aristotelis ad hoc non pervenit; nec est mirum. Propterea dico, quod, licet sit in anima intellectus agens, quo est omnia facere, et intellectus possibilis, quo est omnia fieri, non tamen sufficit. Differt enim dicere *omne* et *totum*[1]. Sufficit ad *omnia*, sed tamen non *totaliter*, quia cum hoc exigitur necessario ulterius et superius lumen.

Ad 2. dicendum, quod operatio intellectualis circa naturalia naturalis est. Deus autem operatur et cooperatur in operationibus creaturarum secundum modum et exigentiam suae naturae, ut visum est. Et quia creatura rationalis imago Dei est vel ad imaginem, ipsa ratio imaginis[2] exigit, ut in eius operationibus cooperetur secundum modum *obiecti moventis*, eo quod mens nata est moveri et illuminari illa luce. Nec propter hoc debet dici operatio supernaturalis vel miraculosa, quia cooperatur naturae naturaliter operanti secundum gradum et modum suae naturae, quam operationem nulli subtrahit.

Ad 3. dicendum, quod re vera, ut dicit Hugo, aliqua sunt supra rationem, et aliqua infra rationem; et quamvis subsint virtuti naturae, non tamen in illa potest nisi superiori lumine[3], quia hoc est de ratione et exigentia naturae et nobilitate ipsius; sicut oculus potest in ea quae subsunt potestati visivae, non tamen sine lumine solis vel alio lumine extrinseco, quia hoc exigit talis potentia et talis operatio.

Ad 4. dicendum, quod in omni opere naturae rationalis, ut rationalis est, cooperatur Deus quodam specialiori modo et quadam specialiori influentia, quam in operibus aliarum creaturarum. Si autem argumentum currat de comparatione ad alias naturas, in quibus non cooperatur *potentia* per aliquam specialem influentiam, ergo nec *sapientia* in operationibus[4] intellectualibus; patet, quod non est simile, quoniam hoc ipso,

---

[1] Aristot., V. Metaph. text. 31. (c. 26.).

[2] Cod. B perperam *imaginationis*.

[3] Ita legit originale sive A non male. B legit *natura sine superiori lumine;* C vero *natura nisi superiori lumine adiuta*. Pro *natura* supplendum esset potius *virtus naturae*.

[4] C bis *operibus* pro *operationibus*, cui videtur concordare A. In fine B omittit *et* ante *ideo*, quod tamen deletum est. — Post *imago Dei* supple: est.

quod imago Dei, ordinatur ad Deum sicut ad obiectum; et ideo Deus cooperatur in eius operationibus sicut obiectum motivum.

Ad 5. dicendum, quod nec lumen intellectus agentis sufficit ad abstrahendum species intelligibiles, nec naturale iudicatorium sufficit ad iudicandum, nec species intelligibilis facta sufficit ad rem perfecte manifestandam, etiam supposita communi et generali influentia, nisi ipsa lux divina assistat, tangens et movens mentem nostram et illuminans ipsam ad hoc, quod certitudinaliter et indubitanter possit cognoscere, propter rationes praedictas.

Ad 6. patet responsio. Dictum est enim, quod intellectus necessario illam lucem attingit, illam lucem cernit; non tamen ut obiectum quietans, in quod [1] defigat aspectum, quia talis visio facit beatum, sed ut obiectum *movens, nec ducens in se, sed ducens in aliud;* sicut oculus videns in luce solis videt lucem solis, non ut obiectum, sed ut ratio est et medium videndi.

Ad 7. patet responsio, quoniam, si illae rationes essent *tota* et *sola* ratio cognoscendi, verum esset, quod propinquior magis et plura in illis videret; sed quoniam nec tota nec sola ratio sunt, sed cum rationibus creatis, ideo non propinquior, sed qui plures rationes acquirit, plura in illis rationibus videt. — Vel dicendum [2], quod illi plus vident, qui magis ad illas se movent. Si autem aliqui magis sint propinqui illi luci in ratione moventis *affectum;* non tamen ratione moventis *intellectum,* quia nec movent se ad ipsas ut ad *lucem,* sed potius ut ad *ignem,* et ideo sic recipiunt plus de calore, quod tamen non plus de splendore; alii autem e contrario.

Ad 8. dicendum, quod illud intelligendum est, quod quanto aliquid magis habet de *esse,* tanto magis est cognoscibile de ratione sui. Alias non est simile, quoniam *esse* rei quoddam absolutum est; et ideo ad illud sufficiunt propria principia

---

[1] B (a secunda manu) *qua,* referendo ad *lucem;* mox A omittit *ut* ante *ratio,* et cum B *est* post *ratio,* quod C bene supplevit.

[2] B *dic;* mox C *plura* pro *plus,* et *magis propinqui sunt illi* pro *magis sint propinqui illi.* In nostra lectione post *non tamen* supple: *sunt propinqui.* In fine solutionis C non bene omittit *quod* post *calore.*

cum generali manutenentia Creatoris. Sed *cognosci* dicit comparationem ad intellectum, quem res movet; ideo plus requiritur ad cognitionem quam ad [1] *esse,* tam ex parte rei cognoscibilis quam ex parte intellectus cognoscentis.

Ad 9. dicendum, quod Augustinus non intendit excludere adminiculum illius lucis sive illarum rationum, sed adminiculum sensuum. Unde non vult plus dicere, nisi quod [2] res corpóreas cognoscit mediantibus sensibus, sed res incorporeas sine sensus adminiculo; sicut si diceremus, oculus per se videt colorem, non propter hoc excluditur beneficium lucis.

Ad 10. dicendum, quod illa auctoritas Augustini omnino est in contrarium, sicut apparet diligenter consideranti. Vult enim ibi per totum, quod illi luci aeternae quoddam nostrum subiungitur [3] naturali ordine, et in illa videt quidquid videt. Nec vocat Augustinus *genus* [4] propter aliquam naturae communitatem, sicut loquitur communiter de genere, sed vocat propter quandam conformitatem, quia lux illa est intelligibilis, et anima nostra est intellectualis; illa spiritualis, et ista spiritualis, eo modo, quo dicitur Actuum 17 [5]: *Genus Dei sumus.*

Ad 11. dicendum, quod re vera natura non deficit in necessariis creaturae rationali, immo providit sibi sublimiori modo quam ceteris naturis. Et quamvis sine influentia illius lucis non possit exire in actum certitudinalis cognitionis, tamen non dicitur deesse sive deficere, quia semper sibi illa lux assistit et semper praesto est. Nec hoc derogat suae nobilitati, sed potius attestatur magnae dignitati.

Ad 12. dicendum, quod, ut vult Philosophus [6], intellectus *agens* est ut lumen, *possibilis* ut oculus, *phantasma* ut color. Sed tunc similitudo non valet, quoniam, sicut ad visionem cor-

---

[1] A B non repetunt praepositionem *ad,* quae tamen male deest.

[2] Supple cum C: *anima.*

[3] Cfr. August., XII. de Trin. c. 2. n. 2: « His (rationibus incorporalibus, sempiternis, incommutabilibus supra mentem humanam) nisi subiungeretur aliquid nostrum, non secundum eas possemus iudicare de corporalibus ».

[4] Cfr. S. Bonav., II. Sent. d. 17. a. 1. q. 1. ad 6. — Paulo inferius post *vocat* C supplet *genus.*

[5] Vers. 28.

[6] Cfr. III. de Anima, text. 18. (c. 5.). — Paulo post C praemittit *intellectus* ante *possibilis.* — In B solut. ad 12. et 13. incongrue commutata est.

poralem non sufficit color ipse et organum visivum et virtus cum naturali et complantato lumine sine beneficio lucis superioris, sic nec ad visionem intellectualem sufficit phantasma ad movendum, nec intellectus possibilis ad recipiendum, nec lux ad abstrahendum et [1] faciendum species actu intellectas sine auxilio et beneficio lucis divinae. Lux enim intellectus agentis est sicut lux oculo connaturalis, sed lux divina est sicut lux solaris.

Ad 13. dicendum, quod absque dubio cognitio operatio quaedam est naturalis naturae intellectualis, et ista influentia sive cooperatio quodam modo potest dici *naturalis*. Propterea distinguendum est, quod *naturale* potest dici duobus modis: vel quod *causatur* ex principiis naturae, et hoc modo non est naturalis, sed supernaturalis; alio modo, quod *nunquam deest* naturae et naturam inseparabiliter concomitatur, et hoc modo illa influentia potest dici *naturalis*.

Ad 14. dicendum, quod non videt in illa luce sicut in *speculo*, quia tunc videret illam lucem aperte, sed ut in *ratione*, ita quod lux divina per suam essentiam est ratio *effectiva* et *motiva*, sed illa influentia, quam ponimus, est ratio *formalis*.

Et quod *obiicit* [2], quod illa creatura est et mutabilis; dico, quod quamvis creatura sit et de se sit mutabilis, tamen non est inconveniens, quod cognitio certitudinalis sit ab ea *formaliter*, quoniam a Deo est *effective*. Sicut dicimus de *gratia*, quod elevat animam supra se et movet eam; non est intelligendum *effective*, sed *formaliter*, quia *Deus per gratiam*. Ita est in proposito.

Ad 15. dicendum, quod non est inconveniens, quod secundum alium et alium modum sit Creator ratio cognoscendi creaturam, et creatura ratio cognoscendi Creatorem. Creator enim est ratio cognoscendi *motiva* et *effectiva*, sed creatura est ratio cognoscendi Creatorem *manuductiva*; et ideo non est circularis cognitio, quia non secundum eundem modum.

Ad 16. dicendum, quod immo, ubi est res ipsa, necessaria est sua species; quia, etsi sit Deus intimus menti [3], tamen ut

---

[1] B *vel*.

[2] C *Quod autem obiicitur*.

[3] C addit *nostrae ut*, B addit *est*. — Intellige: tamen, ut *sit praesens* in ratione moventis etc.

*in ratione moventis* necessaria est influentia vel species sua, qua mediante movet, quia non posset moveri [1], nisi aliquid in ea fieret. Est etiam necessaria *in ratione informantis;* Deus enim non potest esse forma intellectus; ratio autem cognoscendi forma est intellectui inhaerens.

Ad 17. dicendum, quod illa influentia creatura est et de nihilo. Quod dicit de lumine corporali, dico, quod lumen corporale factura est et creatura. Non tantum enim dicitur creatura, quia immediate de nihilo, sed quia est ex aliquo vel de aliquo, quod fuit de nihilo [2]. Unde est igitur? Dico, quod est ex luminoso non materialiter, sed originaliter, sicut species rei est de ipsa re.

Ad 18. dicendum, quod infinitum aliquid potest dici duobus modis [3], scilicet actualitate vel duratione. Nec igitur motores orbium, nec intellectus sunt infiniti infinitate actualitatis; et si hoc diceret Commentator, erraret; sed sunt infiniti duratione, et ideo possunt perpetuare motum. Argumentum autem procedebat de infinitate actualitatis, et ideo non valet.

Ad 19. dicendum, quod non quaelibet visio tollit cognitionem, quae est per fidem, sed visio illius lucis ut obiecti *quietantis* et *terminantis* et in sua claritate; quo modo non videtur in via, sed videtur ut obiectum *movens* et ut *ratio videndi*, ut saepe dictum est.

Ad 20. dicendum, quod secundum Philosophum ibidem, aliqua sunt integra bonitate; et ista nullo motu acquirunt suam perfectionem, ut Deus. Alia sunt propinquissima integrae bonitati; et illa paucissimis motibus suam perfectionem acquirunt. Alia sunt, quae ordinantur ad magnam bonitatem, sed tamen ab illa perfectione sunt remota; ideo multis motibus suam perfectionem acquirunt. Aliqua sunt, quae ordinantur ad modicam perfectionem; et huiusmodi [4] paucis motibus ad illam perveniunt. Aliqua ad nullam; et illa sunt immobilia, quia motus est propter aliquam perfectionem acquirendam. Primus est Deus; secundus est ordo Angelorum; tertius est ordo creatu-

---

[1] Supple: mens.

[2] B addit *factum.*

[3] C addit *vel,* et deinde B legit *Non ergo* pro *Nec igitur.*

[4] B C habent *illa* pro *huiusmodi.*

rarum rationalium, ut hominum; quartus [1] est ordo animalium brutorum; quintus est ordo elementorum superiorum; ultimo et infimo loco est terra. Nec est simile de homine et de creaturis inferioribus [2], quia ille ordinatur ad aliquam operationem tam nobilem, ut lux divina sit sibi sicut obiectum movens et ratio operandi; et hoc est magnae nobilitatis, sicut nobilitatis est in visu, qui cum sit praestantior ceteris sensibus, tamen indiget auxilio lucis, quae est sibi ratio videndi, quod non oportet [3] in operationibus aliorum sensuum.

Ad 21. dicendum, quod ipse Deus per essentiam suam est ratio assimilandi *effectiva;* sed illa influentia est ratio assimilandi *formalis.* In Deo autem relucent omnia; tamen non influit ad cognoscenda naturali cognitione nisi ea solum, quorum species accipiuntur a rebus vel corporalibus [4] vel spiritualibus. Et puto, quod alia sit influentia et alia species secundum diversitatem cognitorum, secundum pluralitatem rationum rerum diversarum.

Ad 22. patet responsio sic [5]: quoniam illa lux non est tota et sola ratio videndi, sed cum rationibus et speciebus a rebus acceptis. Et ideo non omnes aequaliter vident, quia non omnes aequaliter species a rebus accipiunt. — *Adhuc,* quamvis aequaliter se habeat, quantum est ex parte sua, non [6] omnes aequaliter se movent vel convertunt ad illam, propterea nec aequaliter vident.

Ad 23. dicendum, quod *minor* argumenti est falsa; quoniam, sicut *intellectus* nunquam aliquid cognosceret certitudinaliter sine illius veritatis illustratione, ita nec *affectus* aliquid ordinate diligeret sine illius bonitatis affectione; immo plane [7]

---

[1] B *alius.*

[2] C *irrationabilibus, quia non ordinantur ad operationem tam nobilem.* A B legunt *quia enim ordinatur* pro *quia ille* (scil. homo) *ordinatur.*

[3] C *quod non est;* in B *oportet* desideratur. Pro *operationibus* A legit *operibus.*

[4] C habet *materialibus.* [5] In B omittitur *sic.*

[6] C addit bene *tamen.* — Quoad rem cfr. August., II. de Lib. Arbitr. c. 12. n. 34: « Si autem esset aequalis mentibus nostris haec veritas, mutabilis etiam ipsa esset. Mentes enim nostrae aliquando eam plus vident, aliquando minus, et ex hoc fatentur, se esse mutabiles; cum illa in se manens nec proficiat, cum » etc.

[7] C legit *plus.* — August., in Ps. 32. Enarrat. 3. n. 15; Epist. 130. (alias 121.) n. 9.

vult Augustinus, quod in peccatis non appetitur nisi beatitudo. Et quamvis naturaliter moveatur, tamen hoc est de natura sua; et sicut intellectui assistit veritas illustrans, ita affectui bonitas quodam modo afficiens.

Ad 24. dico, quod aliquid habet; et hoc est illa influentia afficiens nostrum affectum, quam naturaliter habet non ex suis principiis, nec a se, sed quia sibi nunquam deest. Habet etiam conformitatem secundum imaginem. — *Si dicatur*, utrum natura sibi relicta posset moveri; *dico*, quod non. Et nunquid est imago Dei? Est [1] utique. Sed tamen de ratione imaginis est, quod in illud feratur sicut in obiectum motivum, propterea ista non possunt separari.

Ad 25. dicendum, quod lux divina proportionalis est et virtuti cognoscitivae et obiecto cognoscibili, non proportione commensurationis, sed cuiusdam ordinis; quia *natura rationalis*, hoc ipso quod imago, ordinatur ad illud obiectum; etiam *cognoscibile* natum est illa luce illustrari tanquam quodam suo sole, secundum Augustinum. Lumen autem angelici intellectus, quantumcumque beati, non est sibi proportionalis proportione ordinis, quamvis proportione comparationis et commensurationis. Nec in hoc est superior anima rationali. Nam, sicut dicit Augustinus de Vera Religione [2] et 83 Quaestionum, « eo quod imago Dei est, immediate ab ipsa veritate formatur, nulla interposita creatura »; et X. de Civitate Dei: « Eadem luce illustratur angelicus spiritus et rationalis ». Est autem proportio [3] naturalis, ut per naturam feratur in ipsum tanquam in obiectum movens, non tamen quietans.

Ad 26. dicendum, quod duplex est iudicium de re. Est enim [4] iudicium *discretionis*, utrum res sit, et quod haec non est illa; et iudicium *auctoritatis* et quasi definitionis, ut qualis res debeat esse. Primo modo iudicat de divina luce, aliter non cognosceret; secundo modo non iudicat. Hoc modo argumentum procedebat, ideo non valet.

---

[1] In B deest *Est.*

[2] Cap. 44. n. 82; secundus locus est 83 Qq. q. 51. n. 2. et 4; tertius est X. de Civit. Dei, c. 2.

[3] C *proportionalis, ut per.*

[4] B *scilicet iudicium.* — Cfr. August., de Vera Relig. c. 31. n. 57. et 58; S. Bonav., I. Sent. d. 3. a. 1. q. 1. ad 4.

Ad 27. dicendum, quod quando illae rationes conspicientur et videbuntur in sua claritate et ut tota et sola ratio cognoscendi, aeque videbuntur futura ut praesentia, contingentia ut necessaria. Sed quia hic non sic videntur, ideo nec omnia aequaliter videntur. Intelligendum est tamen, quod, quamvis Deus sit omnino simplex et uniformis, tamen lux illa aeterna, ut est [1] exemplar, *quaedam* repraesentat quasi exterius et aperte, *quaedam* quasi profunde et occulte. Prima sunt quae fiunt secundum necessariam ordinationem artis divinae, secunda vero quae fiunt secundum dispensationem voluntatis occultae; et ideo naturalia cognoscuntur in luce illa naturali iudicatorio rationis, supernaturalia vero et futura non nisi dono supernae revelationis.

Ad 28. dicendum, quod cum video ista vera immutabilia ut obiectum *terminans*, video quid *creatum*; ut *movens*, video quid *increatum*. Istud autem creatum non est immutabile simpliciter, sed ex suppositione; ideo nec ab his veris venit certitudo *simpliciter*, sed *secundum quid*. Video ergo obiective quoddam verum in anima mea conceptum ex praesentia specierum cognoscibilium, relatum tamen ad rationes incommutabiles.

Ad 29. dicendum, quod influentia illius lucis non est in nostra potestate, tanquam nos vel faciamus vel educamus eam, seu cogamus Deum ad influendum; sed tamen secundum immutabilem ordinationem liberalitatis divinae semper praesto est, nec cuiquam subtrahitur cognoscenti, immo semper assistit; et pro tanto posset dici esse in potestate nostra.

## QUAESTIO III.

**Tertio quaeritur, utrum cognoscens [2] accipiat seu recipiat species a rebus, an formet de se vel habeat in se.**

*Quod autem de se formet, nec a rebus recipiat [3], ostenditur:*

1. Augustinus X. de Trinitate cap. 5. in fine [4]: « Illas animae partes, quae corporum similitudinibus informantur, etiam cum

---

[1] Ita C alii *et exemplar.*

[2] D *utrum cognoscens recipiat species.*

[3] B *accipiat.*

[4] Num. 7.

bestiis sentimus nos habere communes ». Sed intellectus rationalis naturae est proprius, et per hunc homo a ceteris animalibus distinguitur: ergo intellectus non informatur similitudinibus corporum: ergo nec recipit a corporibus sive rebus corporeis species. Sed certum est, quod res corporeas intelligit: ergo species corporearum rerum intelligibiles format de semetipso.

2. Item, idem in eodem capitulo, supra in medietate[1]: « Quia non potest corpus inferre in regionem incorporeae naturae, imagines eorum convolvit, et rapit factas in semetipsa de semetipsa. Dat enim eis formandis quiddam substantiae suae; servat autem aliquid, quod de specie talium imaginum iudicet, et hoc est mens vel rationalis intelligentia ». Ergo imagines sive similitudines rerum corporearum anima non recipit, sed facit de se in se et format ex se.

3. Item, Augustinus XII. super Genesim ad litteram[2]: « Nec sane putandum est, facere aliquid corpus in spiritu, ut corpori facienti materiae vice subdatur. Omni enim modo praestantior est qui facit ea re, in qua aliquid facit; neque ullo modo spiritu praestantius est corpus, immo perspicuo modo spiritus corpore. Quamvis ergo prius videamus aliquod corpus, quod antea non videbamus, atque inde incipiat imago eius esse in spiritu nostro, quo illud, cum absens fuerit, recordamur; tamen eandem imaginem eius non corpus in spiritu, sed ipse spiritus in se facit celeritate mirabili ». Et post dicit, quod « cum vult recordari, invenit illas imagines factas a se in se »: ergo etc.

4. Item, idem eodem libro[3]: « Eodem momento, quo corpus aliquod sensu corporis tangitur, fit in animo tale aliquid,

---

[1] Ibid. — C magis convenit cum textu originali, legendo: *quia anima non potest introrsus corpus inferre.* Editio sic legit: Quia illa corpora sunt, quae foris per sensus carnis adamavit eorumque diuturna quadam familiaritate implicata est, nec secum potest introrsum tanquam in regionem incorporeae naturae ipsa corpora inferre... servat autem aliquid *quo libere* de specie... et hoc est *magis* mens, id est rationalis...

[2] Num. 33. In editione legitur: spiritu, tanquam spiritus corpori... ea re de qua (pro *in qua*) recordemur (pro *recordamur*)... videramus (pro *videbamus*)... ipse spiritus in se ipso facit...

[3] Scil. XII. super Gen. ad litt. c. 14. n. 51. Editio: in se ipsa, quod extrinsecus *pro* in se quod exterius.

non quod hoc sit, sed quod simile sit; quod si non fieret, nec sensus ille esset ». Et post: « Neque enim corpus sentit, sed anima per corpus, quo velut nuntio utitur ad formandum in se quod exterius nuntiatur ». Ergo idem quod prius.

5. Item, VI. Musicae[1]: « Diligenter considerandum est, utrum re vera nihil sit aliud quod dicitur audire, nisi aliquid a corpore in anima fieri. Sed perabsurdum est fabricatori corpori materiam quoquo modo animam subdere. Nunquam enim est anima corpore deterior, et omnis materia fabricante deterior. Nullo modo igitur anima fabricatori corpori est subiecta materies; esset autem, si aliquos in ea numeros corpus operaretur. Non ergo, cum audimus, fiunt in anima numeri ab his quos in sonis cognoscimus ». Et post: « Poterimusne operanti corpori et numeros imponenti animam subdere, ut illud sit fabricans illud[2], haec autem materies, de qua et in qua numerosum aliquid fabricetur? Quod si credimus, deteriorem illam credamus necesse est. Quo quid miserius, quid detestabilius credi potest »? Ergo etc.

6. Item, Hugo, Didascalion, libro I. in principio[3], recitans opinionem Pythagoricorum, qui dicunt, animam ex omnibus naturis compositam, eo quod simile non apprehenditur nec cognoscitur nisi simili, dicit, quod Pythagoras dicebat, animam ex omnibus constare naturis, « non secundum compositionem, sed secundum compositionis rationem. Neque enim [haec] rerum omnium similitudo aliunde aut extrinsecus [animae] advenire credenda est, sed [ipsa] potius [eam] in se et ex se nativa quadam potentia et propria virtute capit ». Ergo etc.

7. Item, Philosophus et suus Commentator super III. de Anima[4] comparat animam sive intellectum materiae: ergo sicut se habet materia ad formas naturales, ita se habet noster intellectus ad species intelligibiles. Sed materia ita se ha-

---

[1] Cap. 5. n. 8. Editio legit: fabricatore deterior *pro* fabricante deterior.

[2] In editione deest *illud*. Primum *illud* referendum est ad *corpus*, alterum vero ad id « quod in audiente contingit » seu fit, et « quod fortasse explicare non possumus » (August., ibidem).

[3] Cap. 2.

[4] Text. 17. (c. 5.). — Respectu propositionis minoris cfr. Aristot., II. de Generat. animal. c. 3, ubi et ait: « Restat igitur, ut mens sola extrinsecus accedat ».

bet ad formas, quod non veniunt in eam ab extra, sed de potentia materiae educuntur: ergo similiter ita se habet intellectus ad species intelligibiles, quod non veniunt in intellectum ab extra, sed potius de ipso formantur, praecipue cum intellectus sit in potentia multo magis actuali respectu specierum, quam materia respectu formarum.

8. Item, omne, quod educit aliquid de potentia ad actum, oportet, quod sit ens actu respectu illius, et maxime in generatione univoca[1]: ergo si intellectus agens educit intellectum possibilem de potentia in actum, et species in phantasia intellectas in potentia facit actu intellectas, oportet[2], quod sit in actu respectu illarum: ergo oportet, quod habeat species intelligibiles actu. Sed si habet actu, potest illis informare intellectum possibilem: ergo nulla receptio ab extra est necessaria.

9. Item, omnes perfectiones, quae reperiuntur in inferioribus, reperiuntur multo fortius in superioribus. Certum est autem, quod anima rationalis multo sublimior est et perfectior quam caelum; sed forma caeli adeo est perfecta, quod omnino terminat appetitum et inclinationem materiae suae, ita quod nullo extrinseco indiget[3]: ergo multo fortius forma nostri intellectus ita perficiet suam materiam, quod ad sui perfectionem nullo indigebit extrinseco in esse intellectuali, nec aliquid ab extrinseco recipiet: ergo nec species intelligibiles.

10. Item, lucis ad illuminabile necessaria est proportio; sed lucis spiritualis sive intellectualis ad speciem sive simili-

---

[1] Cfr. Gregor., in Evang. II. homil. 30. n. 3: « Nisi idem Spiritus cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris: nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit, quia, nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat. Ecce unam loquentis vocem omnes pariter auditis, nec tamen pariter sensum auditae vocis percipitis. Cum ergo vox dispar non sit, cur in cordibus vestris dispar est vocis intelligentia, nisi quia per hoc, quod vox loquentis communiter admonet, est magister interior, qui de vocis intelligentia quosdam specialiter docet ». — Mox A contra alios codd. habet *sed* pro *ergo si;* cum autem post *facit actu intellectas* in ipso deletum sit *igitur,* et ita constructio sit incongrua, lectionem aliorum codicum recepimus. Praeterea A C post *in potentia* non bene omittunt *facit actu.* Deinde pro *illarum* B C D legunt *illorum,* id est intellectus possibilis et specierum.

[2] B praefigit *igitur* et deinde legit *ergo et quod* pro *ergo oportet quod.*

[3] Cfr. S. Bonav., I. Sent. d. 1. a. 3. q. 2. ad 1. et III. Sent. d. 13. a. 1. q. 3. ad 6.

tudinem corporalem nulla est proportio, nulla convenientia: ergo intellectus agens, qui est lux spiritualis, nullo modo phantasmata illustrat, ut faciat eas, intellectas in potentia, intellectas in actu. Sed aut intellectus possibilis recipit per irradiationem agentis, aut habet in se, aut intellectus agens facit et format de possibili; sed non recipit per irradiationem eius, ut probatum est: ergo etc.

11. Item, si intellectus agens facit speciem intelligibilem in potentia intellectam in actu; aut fit intellecta in phantasmatibus, aut in intellectu possibili. Si in phantasmatibus: ergo est intellecta, antequam sit in intellectu, quod est falsum; et cum hoc [1] est impossibile, quoniam in phantasmatibus adhuc est materialis. Si sit intellecta in intellectu possibili: ergo prius est in intellectu, quam sit intelligibilis: ergo in intellectu est materialis, quod est omnino falsum. Si igitur utrumque horum est impossibile: ergo species intelligibilis non abstrahitur a phantasmatibus, sed formatur de ipso intellectu.

12. Item, si intellectus recipit species intelligibiles ab extra, hoc non est nisi mediantibus sensibus; sed mediantibus sensibus non recipit: ergo etc. *Probatio minoris:* Augustinus 83 Quaestionum [2]: « Omne sensibile transmutabile; sed nullum transmutabile est scientia perceptibile, quia quod non manet, percipi non potest. Non est igitur exspectanda sinceritas veritatis a sensibus corporis »: ergo etc.

13. Item, nihil potest recipere intellectus a rebus nisi ministerio sensuum; sed species intelligibiles non potest recipere mediantibus sensibus seu ministerio sensuum: ergo etc. *Probatio minoris:* quia in sensibus non cadunt nisi sensibiles qualitates vel earum species; sed obiectum intellectus est quidditas secundum Philosophum [3]: ergo species quidditatis rerum nullo modo recipit intellectus a rebus.

14. Item, secundum Philosophum II. de Anima [4], anima se habet respectu corporis in triplici genere causae, scilicet *for-*

---

[1] Id est: insuper. — In B deest *est* post *hoc,* qui etiam deinde legit *primo* pro *prius*.

[2] Quaest. 9, in qua B *expetenda* loco *exspectanda* (ita et editio: « Quod non manet percipi non potest; illud enim percipitur quod scientia comprehendatur. Comprehendi autem non potest quod sine intermissione mutatur. Non est igitur etc.

[3] Cfr. supra pag. 226, nota 5. [4] Text 36. et 37. (c. 4.).

*malis*, in quantum perficit; *efficientis*, in quantum movet; *finalis*, quia corpus est propter animam et ad illam ordinatur. Sed *forma* nihil recipit a materia, *agens* vel efficiens nihil recipit a patiente, *finis* nihil recipit ab his quae sunt ad finem. Ergo anima nihil recipit a corpore.

15. Item, homo dicitur a Damasceno [1] minor mundus: idem ergo ordo debet esse in homine, qui est in mundo maiori; sed in maiori mundo superiora nihil recipiunt ab inferioribus: ergo in homine intellectus, qui est superior, nihil recipit a sensibus corporis, qui sunt inferiores.

16. Item, nullus effectus excedit naturam suae causae; sed intellectualis cognitio excedit omnia sensibilia: ergo intellectualis cognitio nullo modo potest esse causata a sensibilibus [2]; esset autem causata, si intellectus reciperet ab eis species intelligibiles: ergo etc.

17. Item, omne, quod ducit in alicuius cognitionem, oportet, quod sit unigeneum illi et eiusdem naturae, alias in cognitionem illius non duceret; sed species intelligibilis existens in intellectu differt plus quam secundum genus a rebus corporalibus: ergo nullo modo per species potest cognoscere ista corporea [3], igitur nec eorum recipit speciem, cum non propter aliud recipiat, nisi ut veniat in eorum cognitionem.

18. Item, nihil potest intelligi vel cognosci ab intellectu, nisi quod prius fuit in memoria; sed species illa, quae venit a sensu, nunquam fuit in memoria retenta: ergo per illam speciem non potest aliquid intelligi. *Probatio minoris* est, quoniam, si species aliqua acciperetur a sensibus, prius esset in intellectu quam in memoria.

19. Item, species in phantasia [4] est corporea et quanta et dimensionata, species intelligibilis est spiritualis, simplex et indivisibilis. Sed ex corporeo non potest fieri incorporeum: ergo ex specie, quae est in phantasia sive ex phantasmate,

---

[1] Libr. II. de Fide orthodoxa, c. 12.

[2] D *sensibus.*

[3] C *corpora;* deinde C D *ergo nec* et deinde *species* pro *speciem.*

[4] Contradicente A, alii codd. *phantasmate;* deinde in B deest *est spiritualis,* et legit cum C D *sive in phantasmate* loco *sive ex phantasmate.*

nullo modo potest fieri species intelligibilis, et multo minus species corporea potest facere incorpoream [1]: ergo etc.

20. Item, ad actum intelligendi duo concurrunt, scilicet *informatio aciei intelligentis* a specie intelligibili et *passio;* quia intelligere quoddam pati est [2]. Modo quaero: intellectus aut *informatur a phantasmate;* et hoc est falsum, quia illa species est materialis et quanta [3]; materiale autem et quantum non potest informare subiectum omnino simplex et spirituale. Aut [4] *transmutatur in aliquam speciem*, quae informet; et hoc est impossibile, quoniam, quemadmodum corpus non transmutatur in spiritum, ita nec species corporalis in spiritualem. Aut ex se *gignit speciem informantem;* et istud pari modo est impossibile, quoniam ex corporeo non potest fieri incorporeum nisi divina virtute, cum sint res diversorum generum.

Similiter quaero: a quo *patitur?* Non a re extra vel specie corporali, quoniam omne agens nobilius est patiente; intellectus autem nobilior est omni corpore et omni specie corporea. — Igitur si non *informatur* phantasmate, nec aliquo, in quod phantasma transmutetur, nec aliqua specie genita a phantasmate, nec potest ab illo *pati:* ergo speciem intelligibilem *format* et facit [5] ex se ipso, et a se ipso *patitur.*

CONTRA:

1. Augustinus X. libro de Trinitate [6]: « Alia, quae (mens) non corporeo sensu internuntio, sed per se ipsam nosse debet, cum in ea venit, invenit aut in superiori substantia, id est in Deo, aut in ceteris animae partibus, sicut de ipsis imaginibus corporum cum iudicat; intus enim in anima eas invenit per

---

[1] B falso *incorporeum.*

[2] Aristot., III. de Anima, text. 2. et 12. (c. 4.).

[3] Ita ceteri codd. (B a secunda manu), sed autographum habet tantum *species materialis quanta; materiale quantum.* Auctor supponit distinctionem communem quantitatis in quantitatem *molis* et *virtutis.*

[4] Supple: phantasma, sicut etiam in principio duarum sequentium propositionum.

[5] B addit *et.*

[6] Cap. 7. n. 10. — B *imaginationibus* pro *imaginibus.*

corpus impressas ». Ergo species rerum cognoscibilium imprimuntur per sensus sive corpus in animam.

2. Item, XI. de Trinitate [1]: « Pro specie corporis, quae sentitur extrinsecus, succedit memoria retinens illam speciem, quam per corporis sensum combibit anima ». Et capitulo 9. in principio: « In hac distributione, cum incipimus a specie corporis et pervenimus usque ad speciem, quae fit in contuitu cogitantis, quatuor species reperiuntur, quasi gradatim natae altera de altera: secunda de prima, tertia de secunda, quarta de tertia. A specie quippe corporis, quod cernitur, exoritur ea quae fit in sensu cernentis, et ab hac ea quae fit in memoria, et ab ea quae fit in memoria [2], ea quae fit in acie cogitantis ». Si igitur anima combibit rerum species, et species de specie gignitur secundum istos gradus: ergo recipit species intelligibiles ab extra, nec facit aut format de se.

3. Item, contra Iulianum Pelagianum libro V [3]: « Rerum corporalium qualitates in res incorporeas transeunt, quod fit, quando formas corporum, quas videmus, haurimus quodam modo et in memoria recondimus, nec illae recesserunt a corporibus suis, et tamen ad nos quodam modo affectis sensibus transierunt ». Ergo etc.

4. Item, X. libro Confessionum [4]: « In memoria sunt thesauri innumerabilium imaginum de huiusmodi rebus invectarum ». Et post: « Haec omnia recipit recolenda grandis memoriae recessus, et nescio qui secreti et indestruibiles sinus, quae omnia suis quaeque foribus intrant ad animam ». Ergo etc.

5. Item, Gregorius XXVI. libro Moralium, non multum post principium [5], tractans illud Ezechielis 8: *Et universa*

---

[1] Cap. 3. n. 6. Sequens locus est c. 9. n. 16.

[2] Ita A B C; sed D cum originali Augustini brevius: *memoria et ab hac ea quae fit in acie.*

[3] Cap. 14. n. 51. — In principio huius argumenti solus D addit *idem* post *Item.* Editio sic: *Mirabilius est autem, quando* rerum... transeunt, *et tamen* fit... recondimus, *et quocumque pergimus, nobiscum ferimus* nec illae... tamen ad nos *mirabili modo* affectis *nostris* sensibus transierunt.

[4] Cap. 8. n. 12; et sequens locus est n. 13; in quo textu post *recolenda* editio addit: *cum opus est et retractanda* grandis; post *secreti et* habet: *ineffabiles,* pro quo B habet lectionem: *indestructibiles* vel *indetractibiles.*

[5] Cap. 6. n. 7. — Locus Scripturae est Ezech. 8, 10.

*idola domus Israel depicta erant:* « Bene dicitur: *depicta erant,* quia, dum exteriorum rerum species intrinsecus attrahuntur, in corde quasi depingitur quidquid fictis imaginibus cogitatur ». Ergo etc.

6. Item, Hugo super illud Ecclesiastae [1]: *Non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu,* dicit: « Sane duo sunt, quae ex rerum specie per visum intrant ad animam [2], et duo, quae ex vocum perceptione ingrediuntur per auditum. Per visum namque ad animi cognitionem ex rebus pervenit substantia et forma, ex vocibus per auditum significatio et melodia ». Ergo etc.

7. Item, phantasmata sunt necessaria ante [3] cognitionem, hoc certum est; aut igitur ut ex phantasmate abstrahatur species intelligibilis; et tunc habetur propositum, quod intellectus recipit a phantasmatibus; aut ut excitetur et excitatus formet in se consimilem speciem. Sed tunc quaero: aut format *sciens,* aut *casu et fortuna* sive nesciens? Si *sciens:* ergo non fuit necessaria excitatio a phantasmate; vel [4], si *sciens,* tunc prius apprehendit speciem: ergo *per* speciem; et tunc aut oportet abire in infinitum, aut oportet dicere, quod ex phantasmate species intelligibilis gignitur. Si *casu et fortuna;* hoc est inconveniens, cum sit agens secundum rationem et a proposito. *Ulterius,* tunc non magis formaret unam quam aliam. Si igitur ista sunt inconvenientia, et phantasmata sunt necessaria: ergo [5] non nisi quia a phantasmatibus recipit species intelligibiles.

8. Item, si *format:* aut de *nihilo,* aut de *aliqua specie* existente in intellectu, aut de *essentia* [6]. Non de *nihilo,* quia hoc solius Dei est aliquid de nihilo facere. Nec de *essentia sua,* quia tunc potius esset species animae cognoscentis quam rei cognoscibilis et magis illam repraesentaret; et cum hoc

---

[1] Homil. II. in Ecclesiasten, c. 1, 8, ubi Vulgata: *Non saturatur* pro *satiatur.*

[2] B *animam.*

[3] B *ad;* et infra idem habet *casu fortuito* loco *casu et fortuna.*

[4] Haec est altera ratio contra primam hypothesim.

[5] B *igitur.*

[6] Solummodo B addit (in margine ab alia manu) *sua,* quod certe subintelligendum est. — Quod sequitur infra *et cum hoc,* intellige: insuper.

non videtur probabile, quod fiant species de essentia animae, quemadmodum fiunt aliqua artificiata de aliqua materia. Nec de aliqua vel aliquibus *speciebus*, quia, secundum Philosophum in III. de Anima [1], « anima sive intellectus creatur ut tabula, in qua nihil est depictum »: ergo necesse est ponere, quod recipiat a rebus extra.

RESPONDEO:

Repulso errore famoso Platonis [2], qui posuit, animas, cum ad corpora veniunt, deferre secum artes et scientias et rerum species de alio mundo, in quo per multa millia annorum vixerunt, sed propter impedimentum corporis quasi obliviscuntur, et ideo paulatim reminiscuntur cognita potius, quam nova addiscant, et addiscere non est nisi reminisci: quae Augustinus recitat XII. de Trinitate [3] et Epistola VII. et est ad Nebridium — repulso nihilominus errore Avicennae [4] et Algazelis, quod anima species intelligibiles a rebus non recipit, sed intelligentia ultima decimi orbis, quae irradiat super animas rationales, imprimit in nostros intellectus; et illa intelligentia est agens

---

[1] Text. 14. (c. 4.). — B ibi legit *depingitur igitur* loco *est depictum: igitur nullo modo* (scil. formatur): *ergo*.

[2] Cfr. Phaedo, I. pag. 72 seqq.; Menon, II. pag. 81 seqq.; Phaedrus, III. pag. 249 seqq. (edit. I. Serrani 1578).

[3] Cap. 15. n. 24; Epist. 7. (alias 72.) n. 2.

[4] IX. Metaph c. 3, ubi secundum edit. Venet. 1508 haec habentur: « Unicuique autem caelo est intelligentia, quae est principium sibi proprium et propinquum, scilicet principium separatum, cuius comparatio ad eius animam est sicut comparatio intelligentiae agentis ad nostras animas; et hoc est exemplum universale intelligentiae speciei suae actionis, et huic assimilatur ipsum... Primum autem eorum est intelligentia, quae non movetur, cuius est movere sphaeram corporis ultimi; deinde id quod sequitur est, quod movet sphaeram fixarum; deinde sequitur quod movet sphaeram Saturni. Similiter est quousque pervenitur ad intelligentiam, a qua fluit super nostras animas; et haec est intelligentia mundi terreni, et vocamus eam intelligentiam agentem ». — Quod attinet ad Algazelem (Abu Hamed Muhamed Ben Achmed al Ghazali, † 1111), haec notamus. Ipse composuit duos libros, quorum mentionem facit Averroes (Abul Walid Muhamed Ibn Achmed Ibn Muhamed Ibn Rodsch, † 1198) in Prologo sui operis « Destructio destructionum » (edit. Venet. 1560). Primus intitulatur: « Intentio philosophorum » (Makàcid al-falàsifa), secundus: « Destructio philosophorum » (Tehàfot al-falàsifa). In primo ipse refert, duce Avicenna (Abu Ali Al Hosain Ibn

intellectus — quorum[1] primus tollit animarum creationem et ponit animarum circulationem et revolutionem, secundus ponit Angelos creatores et derogat nobilitati et dignitati imaginis, ratione cuius intellectus humanus, sicut angelicus, immediate a prima veritate formatur et illuminatur — hoc duplici errore repulso, circa istam quaestionem fuerunt et sunt adhuc opiniones[2] inter catholicos doctores et magistros.

Quidam enim dicunt, sequentes viam Aristotelis, ut videtur, quod intellectus recipit species a rebus sensibilibus, ita quod res extrinsecae imprimunt suas imagines non tantum in sensum, immo in[3] imaginationem et in intellectum, non tantum coniunctum, immo separatum, non tantum humanum, immo angelicum.

---

Sina, † 1037), diversa systemata philosophorum Arabum una cum eorum rationibus, et de hoc videtur Averroes loc. cit. locutus fuisse his verbis: « In philosophia eximia construxit (Algazel) volumina, in quibus sapientum opiniones clarius quam deberet et diffusius ostendit ». Impressus est liber iste Venetiis 1506 sub titulo: « Logica et philosophia Algazelis Arabis ». De secundo Algazelis libro ait Averroes: « Ad manus nostras quidam liber Algazeli attributus pervenit, cuius *Destructio philosophorum* titulus est, de quo libro ab eodem Algazele editum fuisse non est ambigendum; ipse enim in principio et fine cuiusdam sui libri *Philosophorum intentio* nuncupati praedictum promiserat librum compilare... Deinde excitatus est hunc librum texere, in quo et stipites totius sapientiae promittit evellere, turres et castra veritatis meditatus est irruere, itaque philosophia ratione huius libri periculata abominationi extitit deinde ». Huic libro opposuit Averroes librum « Destructio destructionum », in quo, recitatis verbis et rationibus Algazelis, ipsa destruere conatur, in eoque, disputat. 3, etiam illa sententia de intelligentia irradiante super animas rationales invenitur, Algazele opponente et Averroe solvente. Quae autem fuerit vera de hoc Algazelis sententia, non nisi ex secundo eius libro videri posset, cum expositio adversarii, Averrois, non sufficiat. Unde mirum esse nequit, quod Algazelis sententia a diversis diversimode allegetur et explicetur. In aliis suis operibus Algazel, doctrinam Gnosticorum secutus, mysticismum et doctrinam de omnimoda absorptione sive interitu animae in Deo, ita quod personis individuis nulla existentiae veritas sit tribuenda, tradidisse fertur. De quo cfr. Schmoelders, Essai sur les écoles philosophiques chez les Arabes (Paris 1842 pag. 106 seqq.), Tholuck, Ssufismus sive Theosophia Persarum pantheistica (Berolini 1821 pag. 17), ac Pococke, Specimen hist. Arab. pag. 263, seqq. — Paulo infra B *ordinis* pro *orbis*.

[1] Ita B (a secunda manu) D; sed A B (primitus) C non bene *quarum... prima... secunda,* in quo textu post *quarum* suppleri debet vel *opinionum* vel *positionum*.

[2] C addit *diversae*.

[3] In B hic et deinde ante *intellectum* desideratur verbum *in*.

Nec hoc dicunt esse inconveniens, nec derogare naturae spirituali propter ordinem universi [1]. Omnia enim, quae sunt de universi integritate, habent quandam naturam communem, qua possunt in invicem agere et pati, et si non actione *transmutante* [2], saltem actione *immutante* et [3] afficiente, qua mediante communicant sibi suas similitudines. Aliqui etiam addunt, quod res sensibiles non tantum imprimunt suas species, immo educunt eas de potentia intellectus, sicut formae naturales educuntur de materia per agentia extrinseca.

Sed ista positio omnino repugnat sententiae Augustini, sicut apparet per multas auctoritates supra allegatas, ut XII. super Genesim [4], ad litteram et in VI. Musicae, ubi dicitur, quod omnino praestantius est agens patiente, et inconveniens est [5], animam corpori materiam subdere, ut aliquos numeros vel species sive imagines corpus in anima operetur sive fabricetur. Est etiam contra Aristotelem in III. de Anima [6], ubi ponit, quod agens est honorabilius patiente, et principium materia. Et quod corporeum in rem incorpoream agat aut imprimat actione naturali, non videtur multum consonum rationi, et multum videtur derogare nobilitati substantiae spiritualis.

Ideo alii dicunt, quod anima sive intellectus nihil omnino a rebus recipit nisi solam excitationem. Sed isti bipartiti sunt.

Quidam enim eorum dicunt, quod anima a suae conditionis principio hoc ipso, quod est natura intellectiva, habet sibi concreata, indita et innata quaedam seminaria vel radices et quasi activas potentias respectu omnium [7] specierum intelligibilium, omnium artium et scientiarum, quemadmodum materia

---

[1] C D *universitatis;* paulo inferius in B deest verbum *in* ante *invicem.*

[2] Actio *transmutans* est, secundum quam forma immutantis recipitur in immutato secundum esse naturale, sicut calor in calefacto; actio vero *immutans* est, secundum quam forma immutantis recipitur in immutato secundum esse intentionale, ut forma coloris in pupilla, quae non fit per hoc colorata (cfr. S. Thom., S. I. q. 78. a. 3.).

[3] In B deest *et.*

[4] Cap. 16. n. 33; alter locus est VI. Musicae, c. 5. n. 8. Cfr. supra pag. 140, nota 5.

[5] In B deest *est,* et deinde potius legit *in animam operetur.*

[6] Text. 19. (c. 5.).

[7] A D transponunt verba sic: *potentias omnium respectu.*

naturalis habet in se rationes seminales et activas quasdam potentias, quae non sunt de essentia materiae, sed materiae inditae et superadditae in prima mundi formatione; ita quod sicut formae non adveniunt ab extra in materiam, sed illa quasi semina, excitata per agentia extrinseca convenientia [1], prodeunt in actum, ita anima excitata a sensibus virtute sui agentis educit de suo possibili, ubi haec latent, et deducit in actum.

Inconveniens enim videtur secundum eos, ut anima intellectiva, quae est ad imaginem Dei, sit nuda; immo, sicut dicit auctor libri de Causis [2]: « Omnis intelligentia plena est formis », sicut intelligentia angelica, ita et humana. Sed aliter est plena intelligentia divina, aliter angelica, aliter humana. Nam divina intelligentia habet in se actu distinctas species et ideas sive rationes tam universalium quam particularium. Intelligentia angelica universalium tantum habet species distinctas in actu; sed humana intelligentia, quae est postrema in ordine essendi, tantum in potentia in radice et in quadam confusione. Huic positioni videtur favere Augustinus II. de Libero Arbitrio [3], ubi dicit, quod anima habet in se seminaria virtutum, et in VIII. de Trinitate dicit, quod habet impressam humanae naturae notitiam; et Boethius III. de Consolatione [4]: « Latet introrsum quoddam semen veri, quod excitatur ventilante doctrina »; et in V: « Excitat interim quiescentes [intrinsecus] formas ».

Sed ista positio, licet non sit erronea, immo catholicorum et subtilium magistrorum, tamen non videtur multum probabilis.

*Primo*, quia omnino videtur contraria Philosopho, qui dicit III. de Anima [5], quod « intellectus noster creatur ut tabula, in qua nihil est depictum ».

---

[1] C D *continuo;* mox A B (primitus) D post *latent* omittunt *et.*

[2] Propositione 10.

[3] Cap. 10. n. 29, ubi editio *lumina virtutum* pro *seminaria virtutum.* Sed inter Scholasticos communis et melior lectio erat *semina,* cfr. S. Thom., S. I. q. 79. a. 12. arg. 3; et Bonav., II. Sent. d. 39. a. 1. q. 2. et III. Sent. d. 23. a. 2. q. 5. ad 6. ac supra pag. 92, nota 1. Secundus locus est VIII. de Trin. c. 4. n. 7.

[4] Metr. 11; alter locus est ibi, pros. 5. — In primo loco B (a secunda manu, primitus *in cursum*) C D *introrsus* loco *introrsum;* edit. *Haeret* pro *Latet.*

[5] Text. 14. (c. 4.).

*Secundo*, quia non videtur consona dictis Augustini. Non enim dicit, quod habeat talia in se, sed dicit, quod videt haec immutabilia vera in lumine rationum aeternarum sibi praesente; et ideo respondent pueri vera, cum sapienter et ordinate interrogantur. Et quamvis principia artium intellectualium habeat in quadam virtute propter naturale lumen et iudicatorium, per quod statim, cum obiicitur vel offertur sibi aliquod verum evidens, statim approbat et iudicat verum esse; tamen non habet materiam sive terminos [1]. Unde non potest scire, quod omne totum est maius sua parte, nisi habeat speciem totius et partis, quam [2] non habet, nisi accipiat per sensus, ut dicit Philosophus II. Posteriorum [3]. Et ideo dicit, quod « principia cognoscimus in quantum terminos ».

*Tertio* vero, quoniam per istum modum non possunt evadere receptionem. Illa enim principia sunt universalia, ut ipsimet dicunt; ideo nunquam ducerent in aliquod determinatum cognoscibile, nisi determinarentur [4] per aliquid ab extra; et illud, quidquid sit, oportet in animam [5] recipi. Et hoc apparet, quoniam ab illo oportet animam immutari, et necesse est, animam quodam modo illi applicari. Et *ulterius*, quomodo potest anima illa specie excitari, nisi illa specie immutetur? Quomodo [6] potest immutari, nisi vel illa species attingat animam ipsam vel agat in ipsam et moveat, aut aliqua alia species ab illa nata vel genita? Hoc autem necessario ponit receptionem.

Aliorum positio est huic opinioni conformis in hoc, quod non ponit receptionem ab extra, sed solum excitationem sive occasionem formandarum in se specierum; sed in modo ponendi non parum discordant. Dicunt enim isti, quod anima nullas habet tales species inditas vel concreatas tanquam seminales rationes vel radices, sed dicunt, quod anima est omnium similitudo et quantum ad sensum et quantum ad intellectum. Nam,

---

[1] Cfr. S. Bonav., I. Sent. d. 17. p. I. q. 4. et II. Sent. d. 39. a. 1. q. 2.

[2] B *quod*.

[3] Cap. 18. (c. 15.) et I. Poster. c. 17. (c. 18.) et I. Metaph. c. 1. — Alius locus est I. Poster. c. 3, in quo textu C D repetunt *cognoscimus* post *terminos*.

[4] B *determinaretur*.

[5] A D *in anima*.

[6] C addit *autem*.

ut dicit Philosophus [1], intellectus est omnia intelligibilia, et sensus omnia sensibilia, et intellectus est species specierum, sicut manus organum organorum. Habet igitur et quo assimilatur et quod assimilat, et principium assimilandi activum et passivum. Et principium assimilativum est intellectus agens, qui est quasi lux; principium, quo est assimilabilis, est intellectus possibilis. Anima autem sic assimilabilis unitur corpori ut perfectio. Unitur autem secundum rationem diversarum virium [2] et secundum dispositiones diversas. Quando igitur fit aliqua immutatio in organo *sensus*, puta in organo virtutis visivae, per aliquam speciem alicuius visibilis, anima, quae secundum illam virtutem est perfectio et motrix organi [3], admonita, excitata et pulsata ex organi immutatione, configurat se et assimilat sive coaptat illi motui proportionaliter et immutatur consimili immutatione, et illud est quod dicitur *sentire*, ut videre vel audire. Similiter, quando fit aliqua immutatio in organo potentiae *imaginativae* per aliquam speciem imaginabilem, anima, quae secundum virtutum imaginativam est perfectio et motrix illius organi, admonita [4] et excitata ad organi immutationem, secundum illius organi dispositionem coaptat, configurat et assimilat se illi motui, et immutatur consimili immutatione; et illud est actu *imaginari*. Quando autem fit immutatio in ultimo organo sensitivo per aliquam speciem, tunc transformat se et configurat illi motui vel in illam speciem *secundum intellectum*. Et hoc modo videntur sibi salvare illos gradus abstractionis, quos ponit Philosophus [5]. Non quod aliquid extrinsecum ingrediatur in essentiam animae, hoc enim nefas est dicere, sed proportionaliter transformat et assimilat sive configurat et coaptat se secundum gradus organorum, propter naturalem colligantiam et connexionem potentiarum cum organis.

Et innituntur isti suis rationibus.

---

[1] III. de Anima, text. 37. seqq. (c. 8.).

[2] C *virtutum*.

[3] D *organica*, B C addunt *illius* post *organi;* et B (a secunda manu) pro *admonita* legit *commota* (commonita? uti infra), deerant enim primitus verba *admonita, excitata et pulsata,* quae sunt in margine addita.

[4] B C *commonita*.

[5] III. de Anima, text. 38. seq. (c. 8.), ubi distinguit species sensibiles, phantasmata et species intelligibiles.

*Una* est, quia tunc intellectus per receptionem et acquisitionem talium specierum fieret compositior [1], cum illa species sit materialis, et si gigneretur a re, magis saperet naturam sui principii quam subiecti.

*Secunda* est, quia derogat multum nobilitati animae rationalis, quod perficiatur re ignobiliori. Omnis autem corporalis species est ignobilior anima.

*Tertia* est, quoniam ex intellectu et specie intelligibili nunquam fieret vere unum, si aliunde sibi adveniret, quod oportet secundum Commentatorem, qui dicit super III. de Anima [2], quod verius fit unum ex intellectu et intelligibili quam ex materia et forma. Et hoc dicunt sensisse Augustinum in auctoritatibus praeallegatis.

Ista positio magnorum magistrorum est et multum subtilium, tamen hanc videntur sequi aliqua inconvenientia.

*Primum* est, quoniam est contra beatum Augustinum expresse in quadam Epistola ad Nebridium, in numero Epistolarum septima [3], ubi dicit, quod « nihil est aliud imago quam plaga inflicta per sensus, quibus non, ut tu asseris, commemoratio quaedam fit, ut talia formentur in anima, sed ipsa huius falsitatis illatio sive, ut expressius dicatur, impressio ». Ergo talis falsitatis, id est imaginis impressio, fit per sensus in animam, et non tantum excitatio sive commemoratio.

Est etiam contra Anselmum, qui dicit in Monologio [4], quod nullam speciem potest anima de novo formare, sed per illas species, quas in memoriam attraxit, potest componendo, ordinando, dividendo fingere aliquid. Et hoc dicit Augustinus de Vera Religione [5] et in illa Epistola ad Nebridium supra allegata. Et inde fingit imagines in somniis.

*Praeterea*, si anima format de se talem speciem sive similitudinem, per talem similitudinem potius deveniret in cognitionem sui quam in cognitionem rei, quia similitudo ab ali-

---

[1] B probabilius legit *compositum*.

[2] Context. 5. — Supplevimus *de Anima*, quod codd. omittunt.

[3] Num. 3, in quo textu etiam sicut B falso editio pro *imago* legit *imaginatio*; mox *scribis* pro *asseris*.

[4] Cap. 11.

[5] Cap. 34. n. 64; in Epistola locus est n. 3. seqq. (cfr. XI. de Trin. c. 5. n. 8, c. 7. n. 12.).

quo originata magis repraesentat suum originale principium quam aliquid aliud. Et cum hoc Augustinus non dicit, quod anima transformet se in speciem [1], sed potius quod species sive imagines transformat in se seu format.

Et ideo est *alia positio* fortassis magis concors dictis beati Augustini et Philosophi, quae medium tenet inter istas.

Dico ergo, quod duo sunt genera rerum cognoscibilium, scilicet *corporearum* et *incorporearum*. *Incorporearum* rerum notitiam anima a sensu corporis non accipit nec recipit, sed aut in semetipsa videt, dum ad semetipsam se movet, in quantum est connexa regulis immutabilibus, aut in regulis illis. Et inde est, quod huiusmodi etiam imperiti vera respondent quaerentibus, dum prudenter interrogantur, ut dicit Augustinus I. libro Retractationum, et XII. de Trinitate [2]. *Corporearum* vero rerum notitiam per sensus corporis colligit.

Hanc distinctionem ponit Augustinus IX. de Trinitate [3], et ad Nebridium Epistola septima [4]. Colligit autem notitiam rerum corporearum et sensibilium non ab ipsis rebus aliquid pa-

---

[1] C D *species;* mox C addit *illas* ante *species*.

[2] I. Retract. c. 8. n. 2. et XII. de Trin. c. 15. n. 24.

[3] Cap. 3. n. 3: « Mens sicut corporearum rerum notitias per sensus corporis colligit, sic incorporearum per semetipsam. Ergo et semetipsam per se ipsam novit, quoniam est incorporea. Nam si non se novit, non se amat ». Simile legitur XV. de Trin. c. 12. n. 21: « Duo sunt genera rerum, quae sciuntur, unum earum quae per sensus corporis percipit animus, alterum earum quae per se ipsum ». Paulo ante ibid. iam dixerat: « Exceptis quae a sensibus corporis in animum veniunt, quantum rerum remanet, quod ita sciamus, sicut nos vivere scimus »? Etiam VIII. de Civit. Dei, c. 7: « Hi (Platonici), quos merito ceteris anteponimus, discreverunt ea quae mente conspiciuntur, ab iis, quae sensibus attinguntur; nec sensibus adimentes quod possunt, nec eis dantes ultra quam possunt ». Idem in Epist. 147 ad Paulinam, seu in libro de Videndo Deo, n. 3. seqq.; Epist. 13. n. 4.

[4] In dicta Epist. n. 1. et 2. distinguit duplicem memoriam pro duplici rerum genere: unam, quae non est sine imaginibus vel imaginariis visis, et est « rerum praetereuntium »; alteram, quae est sine ulla imaginatione, et est « rerum, quae nondum interierunt ». « Quamobrem si, ut alia omittam, ipsa aeternitas semper manet, nec aliqua imaginaria figmenta conquirit, quibus in mentem quasi vehiculis veniat, nec tamen venire posset, nisi eius meminissemus, potest esse quarundam rerum sine ulla imaginatione memoria ». August. clarius hanc distinctionem ponit in Epist. 13. ad Nebridium (cfr. X. Confess. c. 15. et 17. n. 23-26.).

tiendo, ut eis vice materiae subdatur, tanquam aliquos numeros corpus in ipsa fabricetur, quia hoc perabsurdum est, ut dicit Augustinus et Philosophus [1], quoniam omnino praestantius et honorabilius est agens patiente. Sed anima colligata est corpori ut perfectio, non pars parti, sed tota toti et tota cuilibet parti, colligata, inquam, et copulata secundum aliquam dispositionem, qua stante et manente, stat unio et colligatio; cessante, cessat. Et colligatur diversis organis secundum diversas sui vires et diversas dispositiones, excepta intellectiva, quae nullius partis corporis est actus, ut dicit Philosophus [2]. Quando autem fit immutatio in aliquo organo corporeo per aliquam speciem, non potest latere animam secundum illam potentiam organi perfectricem et motricem, sed statim percipit eam; percipiendo vero format eam in se secundum illius organi proportionem, ita quod vel sensibilem vel imaginabilem. Nam, ut vult Augustinus [3], et videtur velle Avicenna, potentiae sensitivae non tantum sunt passivae, immo et activae. Est autem talis ordo. Primo defertur species rei visibilis, puta coloris vel lucis, virtute luminis abstrahentis usque ad pupillam; nec stat in superficie, ut ibi visio perficiatur, sed transit per humidum glaciale usque in profundum. Immutato igitur organo, vis [4] visiva, quae ibi viget et vivificat oculum, transformat eam in se et facit in se spiritualiori modo, quam sit in organo, illi tamen proportionatam. Et istius signum est, quod frequenter, organo immutato visus, non videmus, distracta in aliud intentione, ut dicit Augustinus XI. de Trinitate [5]; sed intentione adhibita, consummatur visio et tamdiu stat, quamdiu manet in-

---

[1] Iam supra pag. 280 citati, scilicet August., VI. Musicae, c. 5. n. 8, ac XII. super Gen. ad litt. c. 16. n. 33. (cfr. supra pag. 140, nota 5.) et Aristot., III. de Anima, text. 19. (c. 5.).

[2] III. de Anima, text. 6. (c. 4.); cfr. S. Bonav., I. Sent. d. 8. p. II. q. 3. arg. 3. ad oppositum.

[3] Videsis argum. 4. et 5. pro parte affirm., et VI. Music. c. 5. n. 10. et XI. de Trin. c. 2. — Avicenna, I. de Anima seu Sexto naturalium, c. 5. Est sententia communis Scholasticorum, quia *sentire* est actio vitalis, et si sensitivae potentiae dicantur passivae, hoc est solum respectu obiecti, a quo prius pati debent, ut agant.

[4] B (a secunda manu in margine) D *virtus;* mox D addit *visus* post *in organo*.

[5] Passim, praesertim c. 4. n. 7. et c. 8. n. 15.

tentio copulans et tenens aciem videntis cum specie rei visae. Deinde a sensu particulari per nervum opticum defertur usque ad sensum communem, ad quem deferunt sensus particulares sua sensata, tanquam ad iudicem, ut dicit Augustinus II. de Libero Arbitrio [1]. Habet enim iudicare de obiectis sensuum particularium et de differentiis ipsorum, eo quod omnibus praesidet tanquam iudex. Postmodum vero, immutato organo phantasiae sive imaginativae, vis imaginativa, quae ibi viget et organum illud vegetat, quae, quamvis corpus non sit, imagines tamen corporum accipit [2] et transformat in se celeritate mirabili. Fit autem ista delatio mediantibus spiritibus subtilissimis, qui deserviunt viribus illis, et sunt subtiliores et minus subtiles secundum exigentiam et naturam organorum, ita quod species, quanto magis ascendit per organa diversa delata spiritibus illis subtilissimis, tanto magis illa species simplificatur; non tamen est eadem species, sed, ut dicit Augustinus XI. de Trinitate [3], est species nata altera de altera. Quando autem est in ultimo sensitivo, in quo est ultimum organi complementum, quod est dispositio, qua mediante unitur intellectus corpori, illa species est in ultima dispositione simplicitatis et depurationis secundum exigentiam organi corporalis; et tunc est quodam modo apta intellectui, et dicitur esse *intentio intellecta in potentia* a Commentatore [4]. Intellectus agens, quo est omnia facere, transformat eam in intellectum possibilem et facit eam intellectam actu; et illud vocat Philosophus *abstrahere*.

Non igitur patitur anima aliquid a rebus sensibilibus sive corporeis, sed potius facit ex illis et de illis, et format sibi species aptas et proportionatas secundum exigentiam organorum et virium, quousque det sibi esse intelligibile et coaptet eam et formet sive transformet eam in intellectum possibilem, quo est omnia fieri.

---

[1] Cap. 5. n. 12. — Paulo post C D addunt *omnibus* ante *obiectis sensuum*.

[2] B in margine *capit*.

[3] Cap. 9. n. 16.

[4] III. de Anima, text. 4. seq. — Paulo ante C D non bene *apud intellectum* pro *apta intellectui;* in principio sequentis propositionis solummodo C bene addit *autem*. — Sequens textus Philosophi est III. de Anima, text. 18. et 39. (c. 5. et 8.).

Sed attendendum est hic, quod de illa specie possumus loqui duobus modis: aut secundum quod *species*, aut secundum quod *sensibilis*, *imaginabilis* sive *intelligibilis*. Quod sit *species*, hoc habet a suo principio originali, quoniam quaelibet res nata est suam speciem diffundere et multiplicare. Sed quod sit *sensibilis* aut *imaginabilis* aut *intelligibilis*, hoc habet a virtute animae, quae facit eam in se et proportionat eam sibi. Unde non tam *recipit* a rebus, quam *accipit* vel capit, vel facit seu [1] formal non *de se*, ut dictum est, sed *ex illis* et *de illis*.

Ratio autem ad istius intelligentiam multiplex potest esse.

*Prima* [2] *ex parte intellectus agentis*, quoniam actus intellectus agentis est abstrahere species a phantasmatibus, secundum Philosophum et Commentatorem [3], et facere intentiones intellectas in potentia intellectas in actu, cuius comparatio ad *phantasmata* est sicut lucis ad colores, ad *possibilem* sicut [4] ad oculum. Iste autem actus non haberet locum in anima, nisi anima caperet, acciperet vel raperet aliquid a rebus extra.

*Secunda ratio est ex parte intellectus possibilis*, qui, secundum Philosophum [5], creatus est ut tabula, in qua nihil est depictum; et ideo est potentia omnino nuda, et ideo est in potentia omnia intelligibilia. Cum igitur non habeat species concreatas nec recipiat [6] a superiori, nec ipse per essentiam potest esse species, quia tunc informaretur semetipso, cum intellectus possibilis informetur speciebus; nec intellectus potest esse materia, de qua species formetur, sicut cultellus de ferro: ergo necesse est, quod ab extra per virtutem agentis recipiat. Obiectum enim intellectus possibilis sunt phantasmata, quorum comparatio est ad intellectum possibilem, sicut color ad visum. Et hoc dicit plane Philosophus II. de Anima [7], « quod sensus

---

[1] B legit potius et melius *capit* pro *rapit* et dein primitus *facit formal*, sed *facit* ab eadem manu expunctum est.

[2] C D addunt *est*.

[3] III. de Anima, text. 18. (c. 5.).

[4] Supple: lucis.

[5] III. de Anima, text. 14. (c. 4.).

[6] Ita C et mox *possil*, A B *recipit*, D *recipiat*, at deinde cum A B *potest*. Infra pro *formetur* C D *formentur*, et pro *color* bene legunt *coloris*.

[7] Text. 121. (c. 12.); sequens locus est ibi text. 3. (c. 4.), in quo textu B contra originale (quod in fine *formae* loco *speciei* exhibet) *passivam* legit pro *impassibilem*.

est susceptivus specierum sensibilium sine materia », et in principio III. de Anima dicit, quod « intellectum oportet esse impassibilem, susceptivum autem speciei ». Et Ioannes Damascenus II. libro de Fide orthodoxa [1]: « Anima sensibilia quidem per sensus suscipit, et fit opinio; intelligibilia vero per intellectum, et fit intelligentia ».

*Tertia ratio est ex parte phantasmatis*, quoniam ibi non stat actus animae, immo ordinatur ad actum perfectiorem; iste autem est actus intelligendi. Omnes enim potentiae inferiores subministrant intellectui. Ordinatur autem phantasma tanquam *obiectum motivum*, quemadmodum color ad visum, secundum Philosophum [2], non tantum sicut *excitativum;* quoniam cum intellectus sit praesens sensui sicut phantasiae, ita posset excitari per sensum sicut per phantasma. Quodsi istud est falsum et contra Sanctos et philosophos, manifestum est, quod ex phantasmatibus sive intentionibus imaginatis accipiuntur intentiones intelligibiles.

*Quarta ratio est ex parte rei intelligibilis*, quoniam res non intelliguntur [3] per essentiam, sed per species suas; nec res sunt in anima, sed species rerum. Species autem rerum gignuntur ab ipsis rebus, et ideo in cognitionem ducunt ipsarum rerum. Si autem illa species de intellectu formaretur, magis duceret in cognitionem sui quam in cognitionem rei; et cum hoc, etsi posset dici imago, quemadmodum pictor pingit aut sculpit alicuius rei imaginem, tamen species dici non posset, et magis esset fictio quam aliquid vere intellectum. Et hoc dicit Augustinus IX. de Trinitate [4]: « Omnis res, quamcumque cognoscimus, congenerat in nobis sui notitiam. Ab utroque enim notitia paritur: et a cognoscente et a cognito ». Hoc idem dicit Anselmus in Monologio [5].

---

[1] Cap. 20, in quo textu codd. corrupte legunt *ipsa* pro *opinio*, et B habet *intellectiva* pro *intelligibilia* ac *sensitiva* loco *sensibilia*.

[2] II. de Anima, text. 67. seqq. (c. 7.). et III. de Anima, text. 18. et 39. (c. 5. ac 8.). — Mox post *quoniam* A per errorem, ut videtur, omittit *cum*. Paulo inferius D legit *phantasiam* loco *phantasma;* et deinde in fine huius rationis habet *accipiantur* pro *accipiuntur*.

[3] B C *intelligitur*, et mox B (a secunda manu) D *speciem suam* pro *species suas*.

[4] Cap. 12. n. 18.

[5] Cap. 62.

*Quinta ratio est ex parte rationis cognoscendi.* Ratio enim cognoscendi unamquamque rem est species vel similitudo eius, ut dicit Augustinus IX.[1] et XV. de Trinitate. Similitudo autem duplex est, scilicet *originativa rei*, sicut idea arcae in mente artificis est causa productiva et causativa arcae in materia. Alia est similitudo *originata a re*, sicut ille qui nescit facere arcam, cognoscit arcam per speciem ab ipsa arca originatam. Similitudo igitur, quae est ratio cognoscendi in humano intellectu, certum est, quod non est causativa rerum, quia talis est ratio idealis in summo artifice; nec est deducta sive impressa immediate ab illo[2], quia talis est angelica: ergo oportet, quod sit originata a rebus. Ergo necesse est, quod intellectus accipiat species intelligibiles a rebus extra, nec formet[3] de se.

*Sexta ratio est ex connexione potentiarum et virium ad invicem*, quae ita sunt connexae, ut nihil fiat in superiori, quod prius non fuit in inferiori. Unde dicit Philosophus de Sensu et sensato[4], et Augustinus IV. super Genesim ad litteram et X. Confessionum, quod nihil sit in intellectu, quod prius non fuerit in sensu. Hoc autem fit mediante phantasmate, quod, ut dicit Augustinus de Vera Religione[5], est figmentum attractum per sensum. Et ideo impossibile est, caecum a[6] nativitate fingere imaginem coloris, aut surdum fingere imaginem soni, ut dicit Augustinus in Epistola praeallegata[7] et VI. Musicae. Ergo necesse est, ut in cognitione talium accipiat species a rebus sensibilibus, quae ita se habent gradatim natae altera de altera, quousque fiant in acie cogitantis, sicut et potentiae ipsae sunt[8] ad invicem ordinatae. Istius autem signum est, quod intellectus obnubilatur a phantasmatibus; quod non esset, nisi ab ipsis acciperet species intelligibiles. Unde Augu-

---

[1] Cap. 11. n. 16; sequens locus est ibi, c. 12. n. 22.

[2] B non bene *illa;* D legit *impressa in mente, quia.*

[3] B *format.*

[4] Cfr. supra pag. 39, nota 1, ubi etiam habetur locus Augustini super Gen. ad litt.; et pag. 276, nota 4, ubi indicatur textus Confessionum.

[5] Cap. 10. n. 18.

[6] B *ex.*

[7] Scil. 7. n. 6; sequens locus est VI. Musicae, c. 11. n. 32.

[8] In A et B primitus exciderunt verba *sunt ad;* in eodem infra ad margi nem et ab alia manu habentur *ab extra acciperet* pro *ab ipsis acciperet.*

stinus IX. de Trinitate[1]: « Phantasias rerum corporalium per sensum corporis haustas et quodam modo infusas memoriae, ex quibus [etiam] ea quae non visa sunt, ficto phantasmate cogitantur, approbare vel reprobare quibusdam regulis supra mentem positis nititur. Sed claret desuper iudicium veritatis, sed corporalium imaginum nubilo subtexitur ». Unde intelligentia constituta est inter lucem et tenebras.

Sic igitur dico sine praeiudicio, quod anima sive intellectus accipit sive capit species a rebus extra, non virtute rerum corporalium agentium in animam vel intellectum, sed intellectus sua virtute facit et format[2]. Huic sententiae Augustinus concordat in auctoritatibus adductis in opponendo; concordat nihilominus Philosophus: et ideo huic positioni ad praesens adhaereo.

Ad argumenta *in contrarium* facile est respondere.

Ad 1. dico, quod de similitudinibus corporum possumus loqui duobus modis: *uno modo*, ut corpora sunt, utpote sub dimensione signata[3] et ceteris accidentibus corporalibus; et hoc modo illae partes, quae talibus imaginibus informantur, sunt communes nobis cum bestiis; et illa vis, quae maxime his deputatur, est phantasia, quam Augustinus[4] vocat *spiritum*. *Alio modo* possumus loqui de corporum similitudinibus ut abstractis a dimensionibus, figura[5] et huiusmodi, et omnino factis intellectis in actu. Et tunc dico, quod intellectus informatur similitudinibus corporum.

---

[1] Cap. 6. n. 10. In editione post verba *phantasmate cogitantur* ita continuatur: « sive aliter quam sunt, sive fortuitu sicut sunt, aliis omnino regulis supra mentem nostram incommutabiliter manentibus vel approbare apud nosmetipsos vel improbare convincimur, cum recte aliquid approbamus aut improbamus. Nam et cum recolo Carthaginis moenia, quae vidi, et cum fingo Alexandriae, quae non vidi, easdemque imaginarias formas quasdam quibusdam praeferens rationabiliter praefero; viget et claret desuper iudicium veritatis, ac sui iuris incorruptissimis regulis firmum est: et si corporalium imaginum quasi quodam nubilo subtexitur, non tamen involvitur atque confunditur ». Propositio, quae sequitur post hunc locum, continet summam doctrinae Augustini sub n. 11. loc. cit. fusius expositae. — C pro *intelligentia* legit *anima intellectiva*.

[2] C D *informat*. — Paulo inferius B *introductis* pro *adductis*.

[3] B *figura* et paulo ante *corporum sunt* pro *corpora sunt*.

[4] Scil. XII. de Genesi ad litt. c. 7. n. 16. et c. 16. n. 33. Cfr. supra pag. 270, nota 2.

[5] C D *signatis*.

Ad 2. dicendum, quod diligenter consideranti seriem verborum sancti Augustini illa auctoritas magis est ad oppositum quam ad propositum. Vult enim dicere Sanctus, quod animus, qui adamavit corpora, vellet intus ferre corpora ipsa, quae adamavit, in regionem incorporeae naturae, hoc est in ipsam mentem, sed non potest; et ideo imagines corporum convolvit et rapit factas *in se, de se* — vis autem illa, quae deputata est talibus imaginibus, est phantasia, quam Augustinus vocat *spiritum* — igitur factas *de se,* hoc est de memoria phantastica, ubi tales imagines conservantur; *in se,* hoc est in intellectu possibili per virtutem agentis. Id autem, quod *dat* eis formandis, est ipsemet intellectus possibilis, non sicut materiam, ut *de* qua vel *ex* qua fiant, sed *in* qua, sicut dicitur subiectum dari formandis accidentibus. Id quod *servat,* quo de talibus imaginibus iudicet, est mens sive intelligentia, quae discernit eas a rebus. Et huic concordat textus sequens. Sequitur enim, quod illae partes, quae talibus imaginibus informantur, sunt nobis communes cum pecoribus.

Ad omnes alias auctoritates Augustini (3. 4. 5.) patet responsio per solutionem principalem.

6. Ad auctoritatem Hugonis dici posset, quod ipse loquitur recitans opinionem Pythagorae, et ex verbis suis elicit intellectum, qui potest inde saniori modo haberi; non tamen loquitur tanquam asserens et astruens modum illum. — Vel posset dici, quod, ut dictum est, dicit non advenire ab extrinseco, scilicet corporeo, tanquam efficiente, sed anima sua potentia et vi nativa, id est innata, rapit[1]. Et hoc ipso quod dicit, dat intelligi, quod non facit de se ipsa, sed aliunde accipit.

Ad 7. dicendum: et[2] *similiter* se habent et *dissimiliter. Similiter* se habent, quod sicut materia est in potentia, ita et intellectus possibilis, et nullam habet formam in actu; *dissimiliter* autem, quia est in potentia multo actualiori anima sive intellectus possibilis quam materia; quoniam materia nullum habet intra[3] se principium activum, quod agat et educat for-

---

[1] B *capit,* et mox pro *dicit* repetit (a secunda manu in margine) bene *capit.*

[2] C D *quod* pro *et.*

[3] C D *in,* etiam infra. — In codicibus post hanc solutionem, ordine immutato, sequitur solutio ad 10. et 11, et deinde ad 8. et 9.

mas in actum; sed anima habet intra se suum activum, quod sua virtute et lumine format species intelligibiles et informat possibilem, non tamen *de se*, ut dictum est.

Ad 8. dicendum, quod intellectus agens est in actu respectu specierum abstrahendarum a phantasmatibus et respectu intellectus possibilis informandi per illas. Tamen non oportet, quod sit in actu consimili; sed sufficit, quod sit in actu nobiliori, sicut sol facit potentia calidum actu calidum: oportet ergo, quod sit in actu, sed non calidus, quia est in actu nobiliori.

Ad 9. dicendum, quod anima rationalis re vera perfectior est et nobilior quam caelum. Et sicut forma caeli terminat totum appetitum et inclinationem materiae, multo magis forma animae rationalis materiam suam, si habet. Sed *esse* duplex est. Quoddam est *esse primum;* et de hoc verum est, quod tam forma haec quam illa suam materiam terminat et eius appetitum et inclinationem figit. Est et aliud *esse secundum* et accidentale; et de hoc neutrum suam materiam perficit. Nam anima acquirit scientias et virtutes, et caelum movetur ab Intelligentia.

Ad 10. dicendum, quod illius lucis ad phantasmata, etsi non sit proportio naturalis convenientiae, est tamen [1] proportio *moventis* et *moti*. Quia enim intellectus est motor et perfectio corporis, sicut agit in corpora [2], potest agere in phantasmata, et illud vocatur *illuminare*. Est etiam alia proportio, quoniam illud organum est vicinissimum spiritui et fortassis est illud, quo mediante anima unitur, et ideo magis potest recipere actionem intellectus.

Ad 11. dicendum, quod non est ibi talis ordo. Simul enim, dum fit intellectio [3], est in intellectu et e converso; nec est prius fieri intellectam quam esse in intellectu, vel e converso; sed simul sunt; sicut anima simul creatur et infunditur, nec prius est creari quam infundi. Dum enim species est in ultimo sensitivo, est in ultima dispositione ad hoc, quod fiat actu intellecta. Et ideo intellectus agens sua virtute format et coaptat

---

[1] In B desideratur *tamen*.

[2] B *corpus*.

[3] B *intellecta;* C D male *intellectus*. Post *est* supple: species intelligibilis.

eam intellectui possibili et facit eam intellectam in actu, simul tamen utrumque.

Ad 12. dicendum, quod veritas sive veritatis notitia non concipitur a sensibus *effective* vel *formaliter*, tamen concipitur *materialiter* et quasi *ministerialiter;* inde enim aliquid [1] ministratur, quo est cognitio veritatis. Propter quod [2] ad notitiam veritatis concurrunt tria: scilicet species accepta a sensibus quasi *materiale;* et lumen naturale intellectus agentis quasi *efficiens secundarium;* et species facta actu intellecta per actum eius, sed imperfecta [3] quasi *formale*, sed *incompletum;* tertium est lumen divinum irradians quasi *efficiens primarium* et principale, et lumen ab eo *fluxum* quasi *formale completivum* et consummativum, ut in quaestione praecedenti visum est. His tribus vel quatuor concurrentibus, concipitur perfecta [4] veritatis notitia.

Ad 13. dicendum, quod cadere aliquid in sensu [5] est duobus modis: vel tanquam sensu *perceptibile* vel apprehensibile; et sic non cadit in sensu nisi qualitas sensibilis; vel tanquam inde *transiens*, sed involutum et investitum illis qualitatibus sensibilibus; et sic species quidditatis cadit in sensu; simul enim cum speciebus accidentium multiplicatur species substantiae. Sed sicut substantia investitur accidentibus, ita et species substantiae speciebus accidentium. Utrisque igitur speciebus multiplicatis, sensus apprehendit quod suum est, donec veniatur usque ad intellectum, qui abstrahit species [6] quidditatis, quae est per se obiectum eius; et hoc dicit Hugo in auctoritate al-

---

[1] C D *vi enim sensus aliquid* pro *inde enim aliquid.* Mox B *quod est cognitionis materia* loco *quo est cognitio veritatis* (primitus legebat *quod est cognitionis veritatis*).

[2] B addit *intelligendum, quod.*

[3] Verba *sed imperfecta* deficiunt in B, loco quorum exhibet verbum *perfecta* delineatum et expunctum; in A vero *sed* delineatum videtur et *im* ante *perfecta* abrasum est. Mox C D legunt *influxum* pro *fluxum*, quod videtur habere A; B vero *fluens*. Verbum *quasi*, quod immediate sequitur, deest in B C D, et in A eius loco habetur aliquod signum, quod legi non potest, quod tamen ob praecedentia interpretati sumus, ut in textu est. Pro *completivum* B C potius legunt *completum*.

[4] Ita B.

[5] B hic et paulo inferius adhuc bis *sensum*.

[6] B C *speciem*.

legata in opponendo. Dicit enim, quod per visum ad animi cognitionem intrant substantia et forma.

Ad 14. posset responderi per interemptionem *minoris*. Nam et forma aliquid accipit a materia, sustentamentum scilicet et fundamentum; et agens physicum etiam patitur a patiente [1]; et finis non ultimus, sed finis sub fine aliquid recipit ab his quae sunt ad finem illum. Nam homo, qui est finis creaturarum inferiorum, recipit auxilia ab inferioribus creaturis. — Possumus tamen dicere ad propositum, quod, ut dictum est, anima non recipit, tanquam a corpore patiatur, sed potius ipsa facit ex ipso et agit in ipsum.

Ad 15. dicendum, quod in maiori mundo superiora non recipiunt ab inferioribus, tanquam agentibus et moventibus ipsa, sed tanquam ministrantibus. Unde non recipiunt, tanquam agentibus per dominium, sed potius tanquam obsequentibus per ministerium; sicut dictum est, quod homo recipit ministerium ab omni creatura, tanquam sibi deserviente. Similiter vires inferiores in anima ministrant superioribus.

Ad 16. dicendum, quod cognitio intellectualis non causatur a sensibilibus [2] *effective* et principaliter sive formaliter, sed tantum *materialiter* et ministerialiter, quia materiam cognitionis accipit anima a sensibus; hoc autem non est inconveniens.

Ad 17. posset responderi per interemptionem *maioris*, quoniam aliqua ducunt in aliquorum cognitionem, quae non sunt eiusdem naturae cum illis; sicut patet, quod imago depicta vel formata ducit in cognitionem rei omnino differentis secundum genus, et circulus ducit in cognitionem vini appensus ante tabernam, et tamen differt in natura a vino. — Aliter potest dici, quod species in intellectu vel quomodocumque, quia non est res aliqua fixa, non est in genere proprie, tamen per reductionem est in genere illius rei, cuius est species tanquam ab ea originata de substantia sua.

---

[1] Aristot., IV. de Animalium generatione, c. 3. circa medium: « Omne agens patitur etiam a patiente, ut quod secat, hebetatur ab eo quod secatur, quod calefacit, refrigeratur a calescente; denique quodcumque movet, excepto primo, mutuo movetur aliquo motu, v. gr. quod pellit, pellitur quodam modo, quod premit reprimitur ». — Mox solummodo A, et quidem in margine, habet bene *sub fine*.

[2] C D *sensibus*.

Ad 18. dicendum, quod duplex est actus intellectus: unus in via acquisitionis et adeptionis, alius post acquisitionem et adeptionem, quod quidam vocant intelligere *ad habitum* et *ab habitu*. Quantum ad actum intellectus, qui est *post acquisitionem* et adeptionem sive ab habitu, verum est, quod nihil intelligitur, nisi quod prius in memoria retinetur. Quantum ad actum vero intellectus, qui est *in via acquisitionis* sive ad habitum, dico, quod falsum est; sed tunc ipsum phantasma est loco memoriae. — Vel posset dici [1], quod hoc verum est, quod nihil intelligitur, nisi quod prius est in memoria, quia memoria secundum essentiam est intellectus possibilis, differens solum secundum rationem.

Ad 19. posset dici, quod species in phantasia non est *quanta* nec *dimensa* nisi per accidens ratione subiecti, quia organum est quantum. Et hoc dicit Hugo super Ecclesiasten [2]: « Purum, inquit, atque sincerum hoc alimentum [sine omni mole corporea totum] in refectionem animae transit; quia, licet emanet a specie corporali et per corporis sensus transeat, non potest tamen retineri a corpore, quia corporeum nihil habet nec ingerit corpulenter [3] ». — *Rursus*, si esset corporea, nullo modo possent esse in eodem puncto medii plures species corporum, alias essent plura corpora in eodem loco. Si *tamen dicatur*, quod sit *quanta*, adhuc nullum est inconveniens. Non enim corporea *quanta* fit *non quanta*, quoniam non est eadem species numero in phantasia et in intellectu; in illa autem, quae est in phantasia, est aliquid, quod non est quantum, ipsa scilicet species quidditatis, quae latet, ut dictum est, quae [4] simul cum speciebus accidentium multiplicatur et quae nata est esse in intellectu. *Praeterea*, quod inconveniens, si de quanto fiat non quantum, cum de non quanto fiat quantum, sicut de semine, quod nullo modo tumet, producitur res maximae molis [5]?

---

[1] B *Tamen posset*, C D *Et posset.*

[2] Homil. 2.

[3] Cum editione (Migne) D *corpulentum.*

[4] B (a secunda manu in margine) *et.* Mox C D *et quae manet* pro *et quae nata est esse.* Deinde post *inconveniens* C D addunt *est.*

[5] B (i. e. secunda manus in margine) addit *ut dicit Augustinus de Vera Religione* (cfr. c. 42. n. 79.).

Ad 20. patet responsio, quoniam intellectus non informatur phantasmate, nec phantasma transmutatur in aliquam speciem, quae informet intellectum; sed ex phantasmate gignitur species illa, quae intellectum informat; nec spirituale gignitur ex corporali proprie, quia non virtute sua, sed virtute agentis. — *Ulterius,* licet illa species sit corporalis, aliquid tamen ibi latet, quod non est corporale, sed intellectuale; et ideo illa species est intellecta in potentia, quae, dum abstrahitur et depuratur, fit intellecta in actu; nisi dicatur corporale, quia species corporis: hoc modo semper remanet corporalis, etiam si ab ipsa anima formaretur, posset dici corporalis.

*Ad argumenta pro parte affirmativa.*

Ad secundam partem pariter responsum est [1], quia non patitur a corpore sive re corporali, sed potius anima agit in phantasmata, faciendo et formando sibi ex ipsis speciem intelligibilem; patitur tamen possibilis ab agente. Unde anima secundum *aliam* sui vim agit, et secundum *aliam* patitur hoc modo passionis.

Ad penultimum argumentum *in contrarium* oportet responderi, quoniam argumentum est *cornutum,* et posset fieri ita ad oppositum sicut ad propositum. Ideo dicendum, quod, ut praedictum est, non est ibi ille ordo, ut possit dici: aut cognoscens aut non. Intellectus enim agens, qui semper est in actu, statim cum obiicitur sibi aliquod phantasma, irradiando super illud abstrahit inde speciem intelligibilem. Per quid autem determinatur ad abstrahendum plus unum quam aliud [2]? Dico, quod non per cognitionem intellectivam, sed quodam modo experimentalem. *Praecedit* enim quidam tactus, quo anima ipsa tangitur a specie in organo existente. Anima autem tacta agit in illam per vim suam activam, et recipit per vim suam passivam. Quod autem hoc magis tangat quam illud, aliquando

---

[1] C D *patet responsio* pro *pariter responsum est.* B in margine *argumenta alterius partis* pro *secundam partem pariter,* (ut, omisso verbo *pariter,* primitus legebat, quod explicat mentem auctoris, qui deinde etiam aliqua argumenta pro parte affirmativa accuratius explicat.

[2] C D *alterum.*

est ex superiori virtute, utpote angelica, quae movet illud phantasma plus quam aliud; aliquando est ex rememoratione sensus, utpote quando audimus [1] aliquid, incipimus inde cogitare; aliquando ex assuefactione, quia sumus assueti circa aliquid unum, et tunc redimus ad illud; aliquando ex specie et voluntate; ista enim, ut dicit Philosophus de Problematibus [2], faciunt visiones in somniis, et magis de uno quam de alio, et eodem modo in vigilia.

## QUAESTIO IV.

**Quarto quaeritur, utrum intellectus humanus intelligat singularia.**

*Quod non*, ostenditur:

1. Boethius super Porphyrium [3] dicit, quod « similitudo singularis est in singularibus, et similitudo universalis in universalibus »; et post: « Singulare, dum sentitur, universale, dum intelligitur »: ergo sicut universale non sentitur, ita nec singulare intelligitur.

2. Item, Augustinus in Epistola ad Nebridium in numero Epistolarum 13 [4] quae sic incipit: « Nova tibi scribere », dicit, quod « quidquid loco movetur, non esse intelligibile, clarum est; quidquid autem intelligibile non est intelligi non potest ». Sed omnia singularia, de quibus loquimur, vel moventur vel saltem sunt mobilia secundum locum: ergo singularia non sunt intelligibilia: ergo nec intelliguntur.

3. Item, idem, 83 Quaestionum [5] distinguens tria genera credibilium dicit, quod « quaedam sunt, quae semper creduntur et nunquam intelliguntur, sicut est omnis historia temporalia et humana gesta percurrens ». Sed certum est, quod ista sunt singularia: ergo singularia non intelliguntur.

---

[1] C D *audivimus*.

[2] Sect. 30. probl. 13. (14.).

[3] Scil. I. Commentariorum circa finem, ubi *cogitatur* pro *intelligitur*.

[4] Alias 218. n. 2; quae potius sic incipit: « Usitata tibi scribere non libet, nova non licet ».

[5] Quaest. 48; textum integrum videsis supra pag. 139, nota 3.

4. Item, Anselmus, in Proslogio cap. 2 [1]: Omne « quod intelligitur est in intellectu »; sed singularia nec sunt nec possunt esse in intellectu nec per se nec per suas species: ergo singularia non intelliguntur. *Probatio minoris:* Quod *per se* non sunt [2] in intellectu, planum est, nam et Philosophus dicit III. de Anima [3] et Augustinus IX. de Trinitate, quod « in anima non sunt res ipsae, sed species rerum »; quod autem non *per species suas*, quoniam speciem, quae est in intellectu, oportet esse abstractam a materia et conditionibus materialibus, sine quibus non est singulare.

5. Item, quod semper est intellectum in potentia nunquam est intellectum in actu; sed singulare semper est intellectum in potentia: ergo nunquam intelligitur in actu. *Probatio minoris* est, quoniam aut species manet materialis, et tunc non intelligitur; aut est facta immaterialis, et tunc est universalis.

6. Item, ut dicit Philosophus VI. Ethicorum [4]: « Contingentia, si extra speculari fiant, nescitur, utrum sint vel non sint ». Tunc arguo: Duplex est cognitio de re, scilicet *an est* et *quid est* [5]: ergo remotis singularibus a conspectu mentis, non intelliguntur, an sint. Si igitur intelliguntur, intelliguntur, quid sint; sed in eo *quod quid est* sive in quidditate non distinguuntur singularia; omnia enim singularia eiusdem speciei [6] conveniunt in ratione quidditatis: ergo non intelliguntur distincta, ergo nec intelliguntur singularia.

7. Item, secundum sententiam Philosophi II. de Anima [7], « potentiae distinguuntur per actus, et actus per obiecta »; sed certum est, quod sensitiva et intellectiva sunt diversae potentiae: ergo quod est [8] per se obiectum sensus non potest esse

---

[1] Cap. 2. — C post *in* legit: *intellectu vel per se vel per suas species; sed singularia non sunt in intellectu.* [2] A legit *sint.*

[3] Text. 38. (c. 5.); locus August. est IX. de Trin. c. 11. n. 16.

[4] Cap. 3. (Cfr. Thomas, in VI. Ethic. lectio 3. versio antiqua: « Contingentia autem aliter, cum extra speculari fiant latius, vel si sint, vel non sunt »).

[5] Cfr. Aristot. II. Poster. c. 1. et August. X. Confess. c. 10. n. 17, ubi de tribus quaestionum generibus sermo est: scil. « an sit, quid sit, quale sit »; cfr. supra pag. 57, nota 1.

[6] Ita A C, B *eadem specie.*

[7] Text. 33. (c. 5.). Cfr. Bonav., tom. IV. p. 320, nota 3.

[8] Ita B, A legit *etiam* pro *quod est,* loco cuius C *et* habet.

obiectum intellectus; sed singulare est per se obiectum sensus: ergo non potest esse obiectum intellectus.

8. Item, secundum gradum potentiarum sunt gradus specierum magis et minus ab intellectu, quae est potentia suprema, distantium [1]; sed intellectus non potest intelligere rem singularem, prout est in phantasmate: ergo multo minus, prout est in sensu aut in re extra. *Probatio minoris* est, quoniam, dum est in phantasmate, non est in intellectu possibili nec irradiatur ab agente: ergo non intelligitur, quia nec ad eum pertingit actus agentis nec possibilis.

9. Item, « sensus materialis est et permixtus, intellectus omnino immaterialis est et immixtus [2] »; sed quia sensus materialis est et permixtus, nullo modo assurgit ad apprehendendum obiectum intellectus: ergo intellectus, quia immaterialis est et immixtus, non descendit ad intelligendum obiectum sensus. Sed singulare est obiectum sensus: ergo etc.

10. Item, sicut dicit Philosophus II. de Anima [3], « sicut trigonum in tetragono et tetragonum in pentagono, sic est vegetativum in sensitivo et sensitivum in intellectivo ». Sed forma trigoni [4] nullo modo potest esse forma tetragoni, nec forma tetragoni potest esse pentagoni: ergo nec forma sensitivi potest esse forma intellectivi. Sed singulare est forma sensitivae partis: ergo non potest esse forma partis intellectivae; sed intellectum est forma intellectus: ergo etc.

11. Item, secundum Philosophum III. de Anima [5], « pars animae, quae intelligit et sapit, est intellectus possibilis »; « intelligere autem quoddam pati est »: ergo intellectus patitur ab obiecto intelligibili; sed non potest pati a rebus singularibus: ergo non potest intelligere singularia. *Probatio minoris:* Dicit

---

[1] C falso *distantia.*

[2] Cfr. Aristot., III. de Anima, text. 3: « Sicut se habet sensus ad sensibilia, sic se habet intellectus ad intelligibilia »; text. 4. seqq.: « Necesse est itaque, quoniam omnia intelligit, immixtum esse, sicut dicit Anaxagoras, ut dominetur, hoc autem est, ut cognoscat; nam alienum, iuxta apparens, prohibet et obstruit ».

[3] Text. 31.

[4] B contra A C legit brevius: *Sed trigonum nullo... tetragoni, nec tetragonum* (A *nec tetragoni*) *pentagoni: ergo* etc.

[5] Text. 1. et 5; deinde sequitur ibi. text. 2. et 12.

Philosophus III. de Anima [1], et Augustinus XII. super Genesim ad litteram, quod « agens est praestantius patiente et principium materia »: ergo etc.

12. Item, quaedam sunt singularia corporalia [2], quaedam singularia spiritualia; sed intellectus non intelligit singularia spiritualia nec corporalia: ergo etc. *Probatio minoris:* Quod non spiritualia, apparet, quoniam secundum Philosophum, de Sensu et sensato [3], « nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu »; sed spiritualia non possunt esse in sensu: ergo etc. — Item, quod nec corporalia, quoniam quod apprehenditur necessario ut hic et nunc non potest esse apprehensum ab intellectu; sed singularia necessario apprehenduntur ut hic et nunc: ergo etc.

13. Item, « omne receptivum debet esse denudatum a natura recepti [4] », quia « receptivum soni debet esse absonum », secundum Philosophum II. de Anima [5]; sed intellectus non est denudatus a singulari: ergo non recipit singulare: ergo nec intelligit. *Probatio minoris* est, quia intellectus in se ipso singularis est: ergo etc.

14. Item, intellectus non est nisi necessariorum, secundum Philosophum VI. Ethicorum [6], sed singularia non sunt necessaria, immo possunt esse et non esse: ergo singularia non sunt intellecta ab intellectu.

15. Item, intellectus non recipit magis et minus, ut dicit Augustinus, 83 Quaestionum [7]: « Quisquis ullam rem aliter, quam ea res est, intelligit, fallitur; et omnis, qui fallitur, id, in quo fallitur, non intelligit »; sed, ut dicit Augustinus VIII. de Trinitate [8], qui fratrem diligit « magis novit dilectionem, qua diligit, quam fratrem, quem diligit »: ergo non novit fratrem: ergo eadem ratione non cognoscit alia singularia.

16. Item, nulla virtus superior circa actum proprium et obiectum indiget adminiculo virtutis inferioris; sed singularia

---

[1] Text. 19. — Locus August. est ibi c. 16. n. 33.
[2] C addit hic *et* ac *sunt* post *quaedam*.
[3] Cap. 6.
[4] Cfr. Averroes, II. de Anima, text. 67.
[5] Text. 71.
[6] Cfr. tract. I. c. I. 3. 6.
[7] Quaest. 32.
[8] Cap. 8. n. 12.

nullo modo possunt apprehendi ab intellectu nisi mediante sensu: ergo singularia non apprehenduntur ab intellectu.

CONTRA:

1. Avicenna VI. Naturalium [1] dicit, quod « virtutes animales adiuvant animam rationalem in multis. Primum est, quod ratio separat unum universalium a singularibus, abstrahendo eorum intentiones, et considerat, in quo conveniunt et [2] differunt, et cuius esse est essentiale et cuius accidentale ». Ex hoc arguitur primo, quod considerat; secundo, quod novit eorum differentias. Sed Commentator dicit hoc super II. de Anima in fine [3], quod differentia duorum extremorum non potest cognosci, nisi cognoscatur utrumque extremum. Igitur si intellectus novit differentiam universalis et particularis, ergo necessario novit et intelligit particulare.

2. Item, illa proprie intelliguntur, circa quae sunt habitus, qui sunt in intellectu; sed habitus *veridici*, ut ars, scientia et prudentia [4], qui sunt in intellectu, sunt circa singularia: ergo singularia intelliguntur.

3. Item, sicut ars se habet ad operabilia, ita intellectus ad intelligibilia [5]; sed eadem arte cognoscit artifex totum et partes, alias partes non posset ordinare in toto: ergo eadem ratione intellectus intelligit totum et partes. Sed intellectus syllogizat sic: « Omne singulare est hic et nunc [6] »; nullum universale est hic et nunc: ergo nullum singulare est universale: ergo cognoscit necessario singulare et particulare.

4. Item, quidquid cognoscitur, cognoscitur aut sensu, aut intellectu; sed aliqua particularia sive singularia sunt cognita et non per sensum: ergo per intellectum necessario. *Probatio*

---

[1] Sive de Anima, parte V. c. 3. in principio.

[2] C repetit verba *in quo*.

[3] Context. 154; cfr. Aristot., text. 144, 146. et 149. (III. c. 2. et 3.).

[4] Cfr. Aristot., VI. Ethic. c. 3, ubi enumerat virtutes animae rationalis dicens: « Sunt ea quibus anima affirmando aut negando *verum* dicit, numero quinque: *ars, scientia, prudentia, sapientia, intellectus* ». — Pro *qui* C non bene legit *quae*.

[5] Cfr. Aristot., VI. Ethic. c. 4. et 6.

[6] Aristot., I. Poster. c. 24. (c. 31); cfr. Bonav., II. pag. 439, nota 7.

*minoris* patet [1] per Scripturam, IV. Regum [2], ubi dicitur, quod Eliseus absens vidit, quod Giezi accepit munera a Naaman, quod fuit quoddam factum singulare: ergo etc.

5. Item, omne, quod appetitur appetitu rationali sive intellectuali, necessario intelligitur, quia dicit Philosophus III. de Anima [3]: « Obiectum appetitus est bonum apprehensum »; sed certum est, quod appetitus est circa bonum singulare: ergo intellectus necessario intelligit singulare.

6. Item, naturalia nunquam possunt separari a materia; nam, ut dicit Philosophus III. de Anima [4], « et si sit aliud magnitudo et magnitudinis esse, tamen idem est caro et carnis esse »; sed omne, quod habet materiam est singulare: ergo omnia naturalia sunt singularia. Sed manifestum est, quod naturalia intelliguntur ab intellectu: ergo singularia necessario intelliguntur.

7. Item, probabat, quod *singulare nullo modo apprehenditur nisi* [5] *intellectu:* Illa vis sola apprehendit aliquid, quae apprehendit causam et rationem illius; sed sola vis intellectiva apprehendit causam et rationem individui sive singularis: ergo sola apprehendit et cognoscit singulare sive individuum. *Probatio minoris* est per Richardum II. de Trinitate [6], ubi distinguit triplicem substantialitatem: universalem, specialem [7] et individualem sive singularem; et omnis substantia est per suam substantialitatem, universalis per universalem, specialis [8] per specialem, individualis sive singularis per singularem; et vocat substantialitatem formam, ut substantialitas hominis est humanitas. Sed formam solus apprehendit intellectus: ergo solus intellectus apprehendit singulare: ergo nullo modo sensus, qui non apprehendit substantialitatem [9].

---

[1] A *est* pro *patet.*

[2] Cap. 5, 26.

[3] Text. 51. et 54.

[4] Text. 9.

[5] C addit *ab.*

[6] Cap. 12.

[7] C hic falso *spiritualem.*

[8] C iterum falso *spiritualis* pro *specialis.*

[9] Intellige: *singulare apprehendit,* quae verba B exhibet in margine ab alia manu addita post *substantialitatem,* dum A ista verba omittit, et C brevius, sed falso *sensus, qui non* etc.

RESPONDEO:

Dicendum indubitanter, quod intellectus noster cognoscit sive intelligit singularia; et hoc necessario convincit *veritas fidei*, *auctoritas divini praecepti* et *violentia argumenti*.

*Veritas fidei* hoc convincit, quoniam *fides* nostra ut in pluribus est circa *singularia*, et omnes fidei articuli de singularibus et particularibus sunt, utpote de incarnatione, passione, morte Christi, sepultura, resurrectione et ascensione et huiusmodi, quae omnia singularia et particularia sunt, quae oportet *credere;* credere autem est actus *intellectus* vero non viso assentientis [1], quia, ut dicit Augustinus, de Praedestinatione Sanctorum [2], « credere est cum assensione cogitare »; impossibile est ergo, aliquid credi, quod non intelligitur; oportet autem, *credi singularia:* ergo necesse est, singularia *intelligi*.

Secundo hoc convincit *auctoritas divini praecepti*. Praecipit enim Dominus, diligi proximum sicut semetipsum, Matthaei 22 [3]: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota virtute tua et proximum tuum sicut te ipsum;* et Ioannis 13 [4]: *Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem*. Sed, ut dicit Augustinus X. de Trinitate [5] et XIV. de Trinitate, nullus potest diligere, qui quid vel quale sit, nescit: ergo si secundum praeceptum divinum diligimus fratrem et proximum dilectione et amore, quí est actus *voluntatis* [6] intellectualis, necesse est, fratrem et proximum cognosci cognitione intellectuali. Sed non diligimus fratrem vel proximum in universali, sed in particulari, quia hunc

---

[1] Cfr. supra quaest. 8. de fide in corpore (pag. 211 seqq.).

[2] Cap. 2. n. 5.

[3] Vers. 37. seqq.

[4] Vers. 34: Mandatum novum do vobis, ut etc.; cfr. cap. 15, 12: Hoc est praeceptum meum, ut etc.

[5] Cap. 1. seqq., et deinde XIV. c. 14. n. 18, ubi legitur: « Nemo diligit cuius non meminit et quod penitus nescit »; codd. citant falso *XV. cap. penultimo;* cfr. tamen XV. de Trin. c. 27. n. 50: « Nullus potest velle qui quod vel quale sit, nescit ». — Pro *qui quid*, ut bene legit C (A solum *quid* exhibet pro *qui quid*), B tantum *quod* habet.

[6] C legit *assensu volibilitatis* pro *actus voluntatis*.

fratrem et hunc proximum: ergo necesse est, quod cognoscamus in particulari et in singulari.

Tertio hoc convincit *violentia argumenti*, et sumitur *prima ratio* ex parte *potentiae intellectivae*, quoniam in potentiis ordinatis ad invicem quod potest virtus inferior necessario potest virtus superior et amplius. Si igitur potentiae sunt ad [1] invicem ordinatae, ita quod primo est sensus, secundo imaginatio, tertio ratio, quarto intellectus sive intelligentia, necesse est [2], quod id quod potest sensus, possit imaginatio et amplius, et quod potest imaginatio possit ratio et amplius, et quod potest sensus, imaginatio et ratio, possit *intellectus* et amplius. Si igitur sensus et imaginatio cognoscunt et apprehendunt particulare, non autem universale, ergo ratio et intellectus non tantum universale, sed universale et particulare sive singulare cognoscit. Et hoc est quod dicit Boethius V. de Consolatione [3] circa finem: « Superior, inquit, comprehendendi vis amplectitur inferiorem, inferior vero ad superiorem nullo modo consurgit. Neque enim sensus aliquid extra materiam valet, vel universales species imaginatio contuetur, vel ratio capit simplicem formam; sed intelligentia quasi desuper spectans, concepta forma, quae subsunt etiam cuncta diiudicat; sed eo modo quo formam ipsam, quae nulli alii nota esse poterat, comprehendit. [Nam] et rationis universum et imaginationis figuram et materiale sensibile cognoscit, nec ratione utens nec imaginatione nec sensibus ». Augustinus etiam XII. super Genesim ad litteram [4], dicit, quod « error potest esse in visione corporali et [5] imaginaria, sed in intellectuali visione error esse non potest, aut enim intelligit et verum est; aut si non est verum, non intelligit ». Et ideo adhibetur intellectus ad discernendum, quid significent corpora aut corporum imagines; nullo autem modo posset discernere, nisi cognosceret sive intelligeret: ergo manifestum est, quod intellectus cognoscit singularia.

Secundo sumitur *ratio* ex parte *actus intellectus speculativi*. Componere enim propositionem et syllogizare est actus

---

[1] Ita C, A *in*, B solummodo *invicem*.

[2] Adiunximus *est* ex C.

[3] Prosa 4.

[4] Cap. 25. n. 52.

[5] In B abest *et*, et deinde desideratur in A B verbum *in* post *sed*.

intellectus speculativi. Componit autem frequenter et facit propositionem, in qua necessario est terminus singularis, et syllogizat sic: omnis homo est animal; Socrates est homo: ergo Socrates est animal. Ergo necessario intelligit et cognoscit singulare. — *Rursus*, intellectus colligit et abstrahit universale ex particularibus sive singularibus; ex incognitis autem nullo modo posset intentionem cognoscibilem colligere: ergo necesse est, quod singularia et particularia cognoscat.

Tertia *ratio* sumitur ex *parte actus intellectus practici*. Disponere enim et consiliari de agendis est actus practici intellectus [1]; sed agenda sunt necessario [2] particularia sive singularia, secundum Philosophum II. Ethicorum [3], quoniam « omnis actus et operatio circa singularia ». Ergo si disponit et consiliatur de agendis, necesse est, quod agenda intelligat sive cognoscat, alias nullo modo posset veram rationem agendorum invenire.

Quarto [4] sumitur *ratio* ex *parte obiecti*. Per se enim obiectum intellectus est verum, nec aliqua alia potentia verum apprehendit nisi intellectus. Omne autem ens est verum, quia « verum et ens convertuntur [5] »: ergo hoc ens est hoc verum. Sed hoc verum est cognoscibile ab intellectu: ergo hoc ens est ab intellectu cognoscibile. Igitur oportet necessario ponere, quod intellectus cognoscit singularia. Et hoc dicit Augustinus XXII. de Civitate Dei [6]: « Illam ratiocinationem philosophorum, qua disputant, ita mentis aspectu intelligibilia videri et sensu corporis sensibilia et corporalia, ut nec intelligibilia per corporis sensum, nec corporalia per se ipsam mens valeat intueri, et vera ratio et prophetica [7] irridet auctoritas. Quis enim ita est aversus a vero, ut dicere audeat, Deum corporalia ista nescire »? Et tunc allegat auctoritatem Scripturae [8], quando vidit

---

[1] Cfr. Aristot., III. Ethic. c. 3.

[2] A C legunt *necessaria sunt* pro *sunt necessario*.

[3] Cap. 7; et I. Metaph. c. 1.

[4] C *Quarta*.

[5] Haec propositio innititur verbis Aristot., II. Metaph. text. 4. (I. brevior, c. 1.): « Quare, ut secundum *esse* unumquodque se habet, ita etiam secundum *veritatem* ». Cfr. Bonav., II. pag. 874, nota 3.

[6] Cap. 29. n. 5.

[7] C male *philosophica*.

[8] IV. Reg. c. 5, 26.

Eliseus Giezi accipientem munera a Naaman, quod utique corporaliter gestum est, et tamen ille non per corpus, sed per spiritum vidit.

Quamvis autem hoc indubitanter tenendum sit et contrarium vergat in errorem, tamen *modum* videre, *quo* intellectus singularia cognoscat, difficile est. Et circa hoc sunt opiniones magistrorum.

Quidam enim dicunt, quod, quia [1] obiectum intellectus est *quod quid est* [2] et universale, intellectus nunquam per se singulare cognoscit, immo abstrahit speciem intelligibilem ab omnibus principiis individuantibus; cognoscit tamen per accidens, dum [3] singularibus se immiscet, in quantum enim continuatur viribus sensitivis, quae circa singularia versantur. Haec autem continuatio dupliciter fit [4]: uno modo, in quantum motus terminatur ad mentem, sicut accidit in motu, qui est in rebus ad animam, et sic intellectus singulare cognoscit per quandam reflexionem, prout scilicet mens cognoscendo obiectum, quod est aliqua natura universalis, redit ad cognoscendum actum suum et ulterius in speciem, quae est actus principium, et ulterius in phantasma, a quo species est abstracta. Et sic accipit aliquam cognitionem de [5] singulari. — Alio modo fit ista continuatio secundum quod motus, qui est ab anima ad res, incipit a mente et procedit in partem sensitivam, prout regit inferiores vires, et sic singularibus se immiscet mediante ratione particulari, quae est quaedam potentia sensitivae partis componens et dividens intentiones individuales; haec autem potentia alio nomine dicitur cogitativa et habet organum determinatum in media parte cerebri. Universalem vero sententiam, quam mens habet de operabilibus, impossibile est applicari ad actum particularem nisi per aliquam potentiam mediam apprehendentem particulare sive singulare, ut sic fiat quidam syllogismus, cuius *maior* sit universalis, quae est sententia men-

---

[1] In C desideratur *quia*.

[2] Cfr. Aristot., III. de Anima, text. 9. seq. (c. 4.) et 26. (c. 6) ac supra pag. 41, nota 1. et pag. 226, nota 5.

[3] Ita B C, A *cum*.

[4] De sequentibus cfr. S. Thomas, de Veritate, q. 2.

[5] C legit perperam: *Et sic accidit aliqua cognitio de.*

tis, *minor* autem singularis, quae est applicatio singularis rationis, *conclusio* vero sit electio singularis operis.

Sed iste modus ponendi non videtur multum bene intelligibilis, et primo, quod [1] ponit, mentem sive intellectum cognoscere singulare per reflexionem ad phantasma. Aut enim cognoscit singulare in *phantasmate*, aut in *semetipso* [2]. Non in phantasmate, quia in phantasmate non est intelligibile in actu et adhuc in phantasmate non potest cognoscere, quia oportet, cognitum esse in cognoscente, phantasma autem non est in intellectu. Si cognoscit in se ipso: ergo singulare est in intellectu; quod falsum est secundum eos, quia species, quae est in intellectu, abstracta est ab omnibus principiis et conditionibus individuantibus, et si cognoscit per speciem illam universalem, non cognoscit nisi in universali, et sic singulare non cognoscitur. — Secundo vero, quia [3] ponit, intellectum sive mentem cognoscere singularia, prout movet vires inferiores mediante ratione particulari sive cogitativa, ita quod fit unus syllogismus, cuius *maior* est universalis, quae est sententia mentis, *minor* autem particularis, quae est applicatio cogitativae virtutis [4], et tunc sequitur *conclusio*, quae est electio singularis operis. Non videtur intelligibile: *primo*, quia, quod duae potentiae unum syllogismum componant, non videtur multum probabile. *Secundo* vero, quia, etsi maior propositio sit mentis, minor cogitativae virtutis, cuius igitur erit conclusio? Si intellectus, et conclusio est singularis, ergo cognoscit singulare; si cogitativae, ergo illa eligit [5]; quod falsum est, quia electio est actus voluntatis deliberativae. *Tertio*, quoniam impossibile est, *minorem* sub *maiori* assumi, nisi ab illa potentia, quae apprehendit *maiorem*. Cum ergo *maior* sit universalis, tunc cogitativa apprehendit universale; quod est absurdum. *Ulterius*, necesse est, in minori propositione replicari aliquem terminum, qui fuit in maiori, et ille est universalis [6],

---

[1] Forte melius C *quia*.

[2] C solummodo *se ipso*.

[3] Ita legit hic recte B; A C *Secundum vero quod*, et C addit incongrue *scilicet* post *ponit*.

[4] C *partis*.

[5] Ita A C, B *elegit*.

[6] Solummodo A legit *maiori propositione universalis* pro *maiori, et ille est universalis*.

verbi gratia: bonum est faciendum; hoc est bonum: ergo est faciendum. Certum est, quod bonum est universale. Quodsi ista sunt inconvenientia, iste modus nullo modo potest stare.

Et ideo *alii* dixerunt, quod intellectus *vere* et *proprie* et *per se* intelligit singulare et per speciem suam, quae fit apud intellectum. Eadem tamen est species, qua cognoscit [1] singulare et universale, quoniam universale non est realiter nisi in singularibus; nec differt re a singularibus, immo [2] eadem res est universalis et singularis. Cum ergo ab aliqua re multiplicatur species et defertur usque ad intellectum, eadem species illius rei est ratio cognoscendi universale, ut universale est, et singulare, ut singulare est. Unde per eandem speciem, per quam ego cognosco Socratem, cognosco hominem.

Sed et iste modus non videtur sufficiens, quoniam speciem universalis oportet esse abstractam a conditionibus individuantibus, speciem autem singularis oportet esse concretam; dicamus ita, cum illis conditionibus. Impossibile autem videtur, quod una species sit simul abstracta et concreta. — *Praeterea*, per speciem hominis, ut homo est, cognosco omnem hominem, ut homo est, ergo ad cognoscendum omnem hominem, ut homo est, sufficit una species, sicut omnes homines conveniunt in hoc quod est esse hominem. Secundum autem istam positionem oportet [3] tot species hominum habere, quot homines cognosceret. — Et *praeterea*, secundum Augustinum ad Nebridium, Epistola in numero Epistolarum 15 [4], quae incipit: « Recentissimis litteris tuis », apud Deum alia est ratio, per quam cognoscit hominem et per quam cognoscit hunc hominem: ergo multo fortius apud humanum intellectum.

Propterea dicendum sine praeiudicio, quod re vera intellectus cognoscit et intelligit singularia per se et proprie, non per accidens, ita quod singularia cognoscit per species singulares, universalia per species universales, nec species universalis sufficit [5] ad cognoscendum singularia, et fortassis, licet

---

[1] C habet *cognoscitur*.

[2] C *quinimmo* et paulo inferius pro *multiplicatur* et *defertur* habet *multiplicantur* et *deferuntur*.

[3] A legit potius *oporteret*.

[4] Nunc 14. n. 4.

[5] C *universales sufficiunt*.

prius in habitu cognoscat hominem universalem, quia impressam habet humanae naturae notitiam, ut dicit Augustinus VIII. de Trinitate [1], tamen prius actus cognoscit *hunc* hominem; prius enim defertur species singularis ad intellectum et ex illa colligit intentionem universalem, quam ipsum universale intelligat; oportet enim cognoscere ea, ex quibus intentionem cognoscibilem colligit sive abstrahit, ut praedictum est. Is est ergo modus, quod per speciem universalem hominis vel cuiuscumque omnem hominem cognoscit, in quantum homo est. Sed ad hoc, quod cognoscat et intelligat hunc hominem, necesse est, quod species huius hominis singularis fiat apud intellectum, ita quod, quot homines vel quot cognoscit singularia, tot species habet differentium singularium. Acquirit autem primo [2] notitiam singularis per sensus, quibus mediantibus defertur species singularis ad intellectum. Sed specie habita et facta apud intellectum absque omni sensu et phantasmate potest illud singulare cognoscere.

Verumtamen quia species in intellectu et imaginatione non repraesentat, rem esse vel non esse, sed rem tantum simpliciter, ut imago Herculis in cera [3] repraesentat Herculem non mortuum vel vivum, tunc [4] est verum quod dicit Philosophus [5], quod, si singularia contingentia extra speculari fiant, nescitur, utrum sint vel non sint. Cognoscit tamen intellectus singulare illud absolute utpote quendam hominem cum talibus conditionibus, cum talibus circumstantiis, quibus differt a quolibet alio homine; sed hic non determinamus de causa individuationis. Sed illud idem singulare non potest cognoscere *esse*, ut scilicet ipsum intueatur vel speculetur, nisi per sensus, quibus mediantibus defertur species eius [6], loci et actus usque ad intellectum, in qua [7] intueatur ipsum; iterum autem remoto [8] a conspectu mentis, remaneret [9] sibi notitia illa absoluta, qua cogno-

---

[1] Cap. 4. n. 7.
[2] C *prius*.
[3] Ita C. Cfr. supra pag. 230.
[4] C *ideo* pro *tunc*.
[5] VI. Ethic. c. 3.
[6] In B ad marginem ab alia manu non incongrue additum est *et*.
[7] Supple: specie; C male legit *quo*.
[8] Intellige: *singulari*.
[9] Ita B, A C *remanet*.

scit talem hominem. Sed non cognoscit, eum *esse*, vel esse *hic*, vel *ibi*; sed per species, quas accepit, potest recordari etiam *intellectualiter*, eum fuisse in tali loco, in tali tempore, et hoc vel illud fecisse. Hoc modo faciliter possunt vitari omnia inconvenientia. Tamen ad intelligentiam ampliorem quaestionis et quorundam argumentorum distinguendum est, quod [1] intelligibile vel *intelligi* potest aliquid dici duobus modis. Uno modo dicitur aliquid intelligibile vel intelligi, quod scitur per demonstrativam rationem; et hoc modo non intelliguntur singularia, quae demonstrari non possunt, ac per hoc nec de his potest esse scientia, cum sint contingentia et transeuntia [2], sed tantum est de universalibus, quae sunt principia artis et scientiae. Alio modo potest dici aliquid intelligibile vel intelligi, quod intellectu percipitur vel apprehenditur [3]; et sic singularia et quidquid est vel habet esse, potest intelligi et est intelligibile. His visis, facile est responderi [4] ad omnia obiecta.

Ad 1. dicendum, quod *sensus* apprehendit tantum singulare, ad universale autem apprehendendum non assurgit; sed *intellectus* apprehendit et universale et particulare. Hoc autem, quod dicit Boethius, dictum est cum praecisione ex parte sensus, non ex parte intellectus, quia sensus alterum tantum, intellectus utrumque apprehendit.

Ad 2. posset dici, quod ista mobilia dicuntur ab Augustino non intelligibilia, eo quod de eis non potest esse scientia, quae tantum est de intransmutabilibus, sed tamen intelligibilia sunt, quia intellectu apprehendi et percipi possunt. — Vel dicendum secundum mentem Augustini, quod quae moventur loco ut corporalia, non sunt intelligibilia ab intellectu per se solum, sed ministerio sensuum, quibus mediantibus defertur species usque ad intellectum. Et hoc dicit postmodum Augustinus ibidem [5], quod intelligere duobus modis in nobis fit: « uno modo commonitione a corporis sensibus, ut intelligimus esse corpus; alio modo ipsa per se mente atque ratione intrinsecus, sicut intelligimus esse ipsum intellectum ».

---

[1] C, addito hic verbo *est*, paulo inferius omittit *dici* post *aliquid*.

[2] C *transmutabilia*.

[3] C *comprehenditur*.

[4] C *respondere*.

[5] Scil. in Epist. 13. ad Nebridium n. 4. — Post *quod* C addit *est* et omittit deinde *fit* post *nobis*.

Ad 3. patet responsio, quoniam hoc ipso, quod creduntur, intellectu percipiuntur et apprehenduntur. Sed dicuntur non intelligi, quia non possunt *demonstrative sciri*, et hoc patet per hoc quod ibidem [1] subdit Augustinus. Dicit enim, quod « aliqua primo intelliguntur et postea creduntur, ut sunt ea quae pertinent ad disciplinas, in quibus argumentum facit fidem; aliqua sunt, quae primo creduntur et postea intelliguntur, ut ea quae de divinis intelligimus, in quibus fides aperit viam intellectui, quia, ut dicitur Isaiae septimo [2]: *Nisi credideritis, non intelligetis* ».

Ad 4. etiam patet responsio. Dico enim, quod singularia sunt in intellectu non per se, sed per suas species. — Quod vero dicit, quod species, quae est in intellectu, est abstracta a materia et conditionibus materialibus; dico, quod verum est de specie universali et [3] quae est ratio cognoscendi universale, non de specie singulari et quae est ratio cognoscendi singulare, nisi fortassis vocet abstractionem, quia facta est actu intellecta et intellectu apprehensa et quae erat in phantasia quanta et dimensa, ut quidam volunt, facta est non quanta, sed tamen species non quanta ducit in cognitionem quanti et species non dimensa in cognitionem dimensi.

Ad 5. dicendum, quod singulare intelligitur per speciem, quae est apud intellectum, quae quidem quodam modo manet materialis, quodam modo fit immaterialis. Materialis quidem manet, quia repraesentat et ducit in cognitionem totius aggregati ex materia et forma, fit autem immaterialis, quia abstrahitur a re extra nec habet esse in materia. Unde frequenter vocat Philosophus [4] materiale vel immateriale, non prout materia dividitur contra formam, sed prout dicimus, materiale esse reale extra animam, immateriale esse intentionale apud animam sive intellectum.

Ad 6. patet responsio, quoniam, ut dictum est, quamvis, amotis a conspectu mentis singularibus, nesciatur, utrum sint

---

[1] Scil. 83 Qq. q. 48; cfr. supra pag. 139, nota 3.

[2] Vers. 9. (secundum Septuaginta); Vulgata: Si non credideritis, non permanebitis. — Cfr. supra pag. 137, nota 3. et 4.

[3] C omittit *et*.

[4] Cfr. II. de Anima, text. 121. et III. de Anima, text. 39, ubi species sensibilis vocatur immaterialis.

vel non sint, tamen manent apud intellectum species diversorum singularium, quibus distincte cognoscantur. — Quod autem arguit [1]: Non cognoscit, an sint, ergo quid sint tantum, in eo autem, *quod quid est,* non distinguitur, quia eadem est quidditas; dico, quod quamvis eadem sit quidditas, sicut eadem forma specifica [2], eadem dico in specie, alia tamen et alia est forma individualis, et secundum Richardum de sancto Victore [3], alia substantialitas; et pro tanto fortassis non est inconveniens, quod alia quidditas singularis. Unde quidditas generalis hominis est humanitas, quidditas Danielis est Danielitas, ut dicit Richardus II. libro de Trinitate [4]. Et si velim explicare per nomen, dicam, quod homo est animal rationale, Daniel autem est homo in tali gradu participans humanam naturam et cum talibus conditionibus.

Ad 7. dicendum, quodsi intelligatur, quod singulare sit per se obiectum potentiae sensitivae, hoc est non per accidens, verum est. Si autem per se intelligatur praecise, hoc est non alterius potentiae, falsum est, quoniam, ut visum est, superior potentia complectitur obiectum potentiae inferioris, non e converso; et ideo singulare potest esse obiectum intellectus [5], sed universale non potest esse obiectum sensus.

Ad 8. dicendum, quod intellectus [6] intelligit singulare et ut in re extra et ut est in sensibus et phantasia, sed tamen singulare extra intelligit ministerio sensuum et phantasiae [7] ministrantium sibi speciem ipsius, quae species est in intellectu et est ratio cognoscendi singulare. (1)

Ad 9. dicendum, quod, si sit argumentum a simili, non est simile, quoniam intellectus est sublimior et efficacior potentia quam sensus; et ideo, licet sensus non possit assurgere [8] pro-

[1] Ita A; B in margine *obiicit* et C *obiicitur* pro *autem arguit;* cfr. tamen supra arg. 6.

[2] C legit *respondeo, quod eadem est forma* pro *eadem dico.*

[3] Cfr. supra arg. 7. in *Contra* (pag. 303, nota 6.).

[4] Cap. 12. Dixerat enim Richardus: ad designandum individualem aliquam substantialitatem *nomen* in usu non habemus.

[5] C legit *intellectuale* pro *intellectus.*

[6] In B desideratur hoc verbum *intellectus,* et immediate post A legit *singulare* pro *singularia.*

[7] C *sensus* et *phantasiarum,* B legit potius *phantasmatum* pro *phantasiae.*

[8] C *attingere.*

(1) Sent. contigua cell. opin. S. Aquin. De ver. q. 2, 3 / 1

pter sui alligationem et permixtionem ad apprehendendum obiectum intellectus, tamen intellectus, qui complectitur obiectum inferioris potentiae, tanquam superior potest apprehendere illud; nec obstat, quia illud est materiale [1], intellectus immaterialis, quia intellectus immaterialiter [2] potest materialia cognoscere, hoc est per species immateriales eo modo, quo dictum est. — Si autem sit [3] argumentum *a commutata proportione* [4], ut: sicut se habet sensus ad suum obiectum, ita se habet intellectus ad suum; ergo permutatim, sicut sensus ad obiectum intellectus, ita intellectus ad obiectum sensus; sed sensus non apprehendit obiectum intellectus: ergo etc., dico, quod ibi non est commutata proportio; in commutata enim proportione debet fieri comparatio primi ad tertium et secundi ad quartum [5]; unde sic debet commutari, quod, sicut se habet sensus ad intellectum, ita obiectum sensus ad obiectum intellectus; et tunc nihil sequitur ex hoc.

Ad 10. dicendum, quod duplex est forma perficiens, scilicet in esse primo et in esse secundo. Sicut ergo trigonum non potest esse forma tetragoni, nec tetragonum pentagoni, ita nec id quod est in sensu potest esse forma intellectus in esse primo et substantiali, potest tamen in esse secundo et accidentali, et hoc non est inconveniens. — Vel potest dici, quod argumentum verum concludit, quia forma, quae est in sensu, dum est in sensu, non est forma intellectus nec illa unquam migrata sensu ad intellectum, sed species de illa nata; singulare autem per se non est forma [6], nec sensus nec intellectus, sed per suam speciem.

---

[1] C addit falso *et.*

[2] C male *immaterialis;* cfr. supra pag. 57, ad 9. in fine.

[3] C *fit.*

[4] Boeth., II. de Differ. topic. de *proportione* ait: « Hic autem locus distat ab eo qui a *similibus* ducitur. Ibi enim una res unicuilibet alii comparatur, in proportione vero non est similitudo rerum, sed quaedam habitudinis comparatio... Maxima propositio: quod in unaquaque re evenit, id in eius proportionali evenire necesse est ». Cfr. Aristot., I. Poster. c. 5. et II. c. 17. (c. 14.) et Bonav., III. pag. 684, nota 3.

[5] Cfr. Boeth., VI. in libro de Interpretatione, editio secunda circa finem (in edit. Migne tom. 64. col. 634), ubi legitur: « Ergo in omni propositione hoc respicitur, dum est, quod si de quatuor propositis rebus sicut prima est ad secundam ita tertia ad quartam, erit ut prima ad tertiam, ita secunda ad quartam ».

[6] C contra alios falso *scientia* pro *forma.*

Ad 11. responsum est quaestione praecedenti. Non enim intellectus aliquid patitur a rebus, ut eis vice subdatur materiae, tanquam ex ipsa vel in ipsa aliquas species operentur; sed intellectus potius sua virtute ex illis facit et format in se species, ut plenius fuit supra declaratum [1].

Ad 12. dicendum ad praesens, quod [2] cognoscit singularia spiritualia, ut fidem et spem et alios [3] habitus in se existentes et semetipsam et singularia corporalia. — Sed quod dicit: nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu; dic, quod verum est de his quae animus novit ex rebus corporalibus, quae non cognoscit nisi ministerio sensuum secundum viam naturae; sed non est ita de intelligibilibus et incorporeis, quae nata est nosse per semetipsam. Unde dicit Augustinus IX. de Trinitate [4], quod « sicut [mens] rerum corporearum notitias per sensus corporis colligit, sic incorporearum per semetipsam, quoniam est incorporea ». — Quod *ulterius* dicit [5], quod apprehenditur necessario ut hic et nunc, non potest esse apprehensum ab intellectu; dico, quod falsum est, quia intellectus apprehendit et singulare et hic et nunc et quidquid est. Verum tamen est [6], quod intellectus universalis abstrahit ab his.

Ad 13. dicendum, quod intellectus est denudatus a singulari, quod recipit, nec illud habet, et quia ipse singularis est, semetipsum non recipit, nisi in quantum a semetipso accipitur ut absens in ratione intelligibilis, et tunc recipit speciem sui ipsius. Hoc tamen spectat ad quaestionem sequentem.

Ad 14. iam patet responsio, quoniam, ut intellectus dicit notitiam demonstrativam, sic non est nisi necessariorum et intransmutabilium; aut si de transmutabilibus [7], in quantum habent rationes intransmutabiles. Sed prout dicit apprehensionem certam cuiuscumque [8], sic est non tantum necessariorum, immo et contingentium et universalium et singularium.

---

[1] C *determinatum.*

[2] Supple: mens; ideo dicitur infra *semetipsam,* vel intellectus, sicut supplere debet C, qui infra habet *semetipsum.*

[3] C *aliquos.*

[4] Cap. 3. n. 3.

[5] C *obiicit* pro *dicit.*

[6] Solummodo B habet bene *est* a secunda manu additum.

[7] C addit *hoc est.*

[8] C *cuiusdam.*

Ad 15. dicendum, quod aliter vel plus et minus possunt esse modi determinantes actum intelligendi ex parte rei intellectae; et sic verum est quod dicit Augustinus [1], quod quisquis aliter aliquam rem quam est intelligit, non intelligit, aut plus aut minus, ut [2] si intelligit asinum, equum vel hominem, capram; possunt etiam esse modi determinantes actum intelligendi ex parte intelligentis, et sic non est verum, quoniam [3] eandem rem alius clarius et perspicacius alio [4] intelligit, et unus et idem plus et minus clare et postea magis unam et eandem rem intelligit. Unde sunt multi gradus in cognitione unius et eiusdem veritatis, unus tamen est intellectus perfectissimus, qui perfectissime intelligit omnia, et ille non recipit magis et minus.

Ad 16. dicendum, quod maior illius argumenti est falsa. Nam vires ordinatae sunt et inferiores ministrant superioribus, et superiores ministerio inferiorum utuntur.

Ad penultimum argumentum [5] pro alia parte dicendum, quod naturalia non possunt separari a materia naturali simpliciter, sed tamen abstrahi a materia hac; et licet [6] caro non possit abstrahi a commixtione tali elementorum, potest tamen ab hac. — *Ulterius*, quod dicit: omne, quod habet materiam, est particulare, non est verum; nam, secundum Philosophum, VII. Metaphysicorum [7], partes hominis sunt materia et forma ut universaliter, ut Socratis [8] vero haec forma et haec materia.

Ad ultimum argumentum dico, quod *maior* illius argumenti similiter est falsa. Multi enim cognoscunt rem, qui [9] tamen non cognoscunt rationem vel causam eius. Unde distinguendum est, quia est cognitio *propter quid*, et de illa verum

---

[1] Cfr. supra in obiectione 15.

[2] C legit *minus aut si intelligis asinum esse equum.*

[3] A C *quia.*

[4] Ita B; A *alius et alius clarius perspicacius intelligit,* C vero *alius alio certius et.*

[5] Scil. n. 6. Addidimus *argumentum* post *penultimum* ex C, qui deinde habet *materialia* pro *naturalia.*

[6] C legit *sed cum abstrahitur a materia hac, et ideo licet.*

[7] Text. 35; cfr. text. 10.

[8] C *universaliter sumta, Socratis.*

[9] C *et* pro *qui.*

est, quod qui cognoscit rem cognoscit causam, propter quam res est; et est cognitio *quia*, et de hac non est verum [1].

## QUAESTIO V.

Quinto quaeritur, utrum anima cognoscat semetipsam et habitus, qui in ea sunt, per essentiam suam, an per actus tantum.

*Quod per actus tantum, videtur.*

1. Per illud anima cognoscit se et habitus, qui in ea sunt, quod solum facit ad cognitionem, et, quo remoto, non potest cognoscere. Sed actus sive operationes sunt huiusmodi: ergo etc. *Probatio minoris:* Si enim cognoscit se et habitus in se existentes per semetipsam, non per actus, tunc non cognoscit se vel habitus a superiori — hoc suppono — nec ab inferiori — hoc constat [2]; tunc haec cognitio esset omnibus communis, et quilibet posset animam suam cognoscere, quod falsum est. Nam, ut dicit Augustinus XVIII. de Civitate Dei [3], quidam bibit venenum in caseo, et tunc [sibi] videbatur esse caballus et portare onera inter iumenta: ergo etc.

2. Item, si anima semetipsam videret aut intueretur, nullus circa animae naturam erraret; sed multi circa animae naturam erraverunt, alii putantes eam cor, alii cerebrum, alii sanguinem, alii atomos, alii aërem, alii ignem, ut dicit Augustinus X. de Trinitate [4]: ergo anima semetipsam per semetipsam non cognoscit neque se videt aut intuetur.

3. Item, quicumque cognoscit rem aliquam per propriam speciem, cognoscit sine discursu, sicut apparet, quoniam visus corporalis sine discursu videt, quia per speciem corporalem rem apprehendit; sed anima nec se nec habitus, qui in se sunt, cognoscit sine discursu: ergo non cognoscit se vel habitus, qui sunt in se, per propriam speciem sive per essentiam, ergo per actus.

---

[1] Ita A C; supplendum est: quod qui cognoscit rem causam cognoscit, propter quam res est, ut legit B ponendo pro aliis verbis post *causam* tantum *etc.* — De cognitione (vel demonstratione) *propter quid* et *quia* cfr. supra pag. 135, nota 2. et pag. 146, ad 7.

[2] B in margine a secunda manu addit *quoniam.*

[3] Cap. 18. n. 2.

[4] Cap. 7. n. 9.

4. Item, actus virium superiorum non impedirentur [1] per impedimentum virium inferiorum, nisi actus inferiorum subministrarent et deservirent actibus superiorum; sed nos videmus, quod per impedimentum actuum inferiorum actus superiorum impediuntur, sicut apparet, quoniam, impeditis actibus inferiorum, ligantur vires superiores: ergo subministrant et deserviunt superioribus. Cum igitur intellectus ligetur propter infirmitates et ineptitudinem organorum, quibus actus virium inferiorum impediuntur [2], ita quod non potest se vel habitus suos intelligere: ergo actus inferiorum necessarii sunt ad intelligendum: ergo per actus cognoscit se et habitus in se existentes.

5. Item, Avicenna VI. Naturalium [3], parte dicit, quod vires apprehensivae non apprehendunt, nisi immutentur ab obiectis. Si igitur anima se ipsam aut habitus, qui sunt in ipsa, apprehenderet per essentias suas aut per suas proprias species [4], necesse esset, animam a se ipsa aut ab habitibus ipsis immutari. Sed istud est impossibile: ergo etc. *Probatio minoris* est, quia dicit Philosophus I. de Anima [5], quod intelligere est actus totius coniuncti: ergo quidquid cognoscit, cognoscit mediantibus sensibus et phantasmatibus: ergo etc.

6. Item, impossibile est, aliquid apprehendi ab aliqua potentia nisi aut obiectum proprium, aut mediante obiecto proprio; quod apparet: nam sensata communia non apprehenduntur nisi mediantibus sensatis propriis; sed proprium obiectum intellectus est phantasma, secundum Philosophum III. de Anima [6]: ergo intellectus aut nihil intelligit nisi phantasma, aut mediante phantasmate: ergo semetipsam vel habitus, qui sunt in ipsa, non cognoscit per semetipsam aut per essentias suas vel per species, sed per actus.

7. Item, qui cognoscit rem aliquam per essentiam suam, vel per eius speciem immediate ab ea genitam vel expressam, si illa res sit omnino simplex et indivisibilis, cognoscit omnem motum, omnem operationem, omnia accidentia illius; sed anima

---

[1] Ita C; alias *impedirentur*.

[2] B *impeditur* pro *impediuntur*.

[3] Sive *de Anima*.

[4] A (et B primitus) omittit *species*, et C eius loco habet *naturas*.

[5] Text. 64. seqq. (c. 4.); vide etiam text. 12. (c. 1.).

[6] Text. 32. et 39. (c. 7. et 8.).

non cognoscit omnem motum, omnem operationem, omnia accidentia sua, et tamen omnino est simplex et indivisibilis: ergo non cognoscit se per essentiam suam, vel per speciem immediate a se expressam vel genitam; sed aut cognoscit se per essentiam, aut per actus: ergo etc.

*Quod autem nullo modo cognoscat per actus, ostenditur sic:*

1. Augustinus VIII. de Trinitate [1] dicit, quod animus cernit speciem rei in se ipso. Certum est autem, quod non in *memoria*, ergo in *acie intellectus;* sed habitus scientiae est in ipso intellectu: ergo habitum scientiae cernit. Quod autem habitus scientiae sit in intellectu, *probatur*, quia eius est habitus, cuius est actus, et e converso [2]; sed certum est, quod actus scientiae est actus intellectus: ergo habitus est in intellectu: ergo absque omni actu potest illum habitum cernere.

2. Item, secundum Augustinum X. de Trinitate [3], anima actum suum nullo modo cognosceret *suum* esse, nisi primo se nosset. Dicit enim: « Ubi suum *nosse* novit, si *se* non novit? Cum se nosse [mens] quaerit, *mentem se esse* iam novit, alioquin utrum se quaerat, ignorat ». Si ergo prius novit *se* mens, quam novit *suum actum esse:* ergo non cognoscit se per actum suum.

3. Item, omne illud, per quod aliquid scitur vel cognoscitur, est immediatius cognoscenti quam cognitum ipsum vel scitum; sed certum est, quod actus nullo modo est immediatior animae quam ipsa sibi: ergo non cognoscit se per actum suum.

*Quod autem cognoscat per essentiam,*
*ita quod non per speciem aliquam mediam, ostenditur sic:*

1. Tria concurrunt ad cognitionem, scilicet *cognoscens*, *cognitum* et *ratio cognoscendi*, sive quo cognoscitur. Sed anima

---

[1] Cap. 6. n. 9.

[2] Aristot., de Somno et Vigilia, c. 1: « Cuius enim est potentia, huius est et actus ».

[3] Cap. 3. in fine et c. 4. in principio, scilicet n. 5. et 6. — In quo textu A pro *nosse* legit *esse*. Paulo post B male legit: *quam noverit suum actum vel suum esse* (quae verba in margine ab alia manu addita sunt).

in cognitione sui est *cognoscens* et *cognitum* et *ratio*, sive quo cognoscitur: ergo sic per semetipsam cognoscit, quod non per actus. *Probatio minoris:* Augustinus IX. de Trinitate [1] dicit, quod « novit semetipsam per semetipsam ».

2. Item, Augustinus XII. super Genesim ad litteram [2]: « Illud quod non imaginabiliter, sed proprie non per corpus videtur, illud videtur visione intellectuali ». Hoc modo videtur dilectio. Et post: Hoc genus visionis, « quo dilectio intellecta conspicitur, eas res continet, quae non habent imagines [3] sui similes, quae non sunt quod ipsae ». Ergo dilectio cernitur et videtur aut per essentiam aut per speciem omnino a se indifferentem.

3. Item, Commentator super III. de Anima [4] dicit, quod in rebus separatis a materia non est aliud intentio, per quam intelliguntur, et aliud forma, per quam sunt id quod sunt; sed certum est, quod tam anima quam habitus, qui sunt in anima, sunt a materia separata: ergo non intelliguntur per aliquam intentionem sive speciem a se differentem: ergo intelliguntur per essentias suas tantum.

4. Item, quandocumque aliqua [5] proveniunt ex duobus, ita quod quasi ex duobus compositio sit, necesse est, quod unum sit velut forma, aliud velut materia, sicut Commentator dicit super III. de Anima [6]. Si igitur actio intelligendi se ipsam manat ab ipsa anima et specie sive aliqua similitudine media, necesse est, quod anima sit velut materia, et species sicut forma, quia species illa non potest esse sicut materia. Sed certum est, quod actio principalius procedit a forma quam a materia: ergo principalius provenit ex illa specie, quam a se ipsa. Hoc autem falsum est: ergo non cognoscit se per speciem mediam.

5. Item, confirmatur argumentum sic: Augustinus IX. de Trinitate [7]: « Mens cum se ipsam cognoscit, sola parens est

---

[1] Cap. 3. n. 3.

[2] Cap. 6. n. 15.

[3] B C et etiam A, sed a secunda manu, *species*.

[4] Context. 15.

[5] C *aliqua actio* (sed hoc verbum *actio* est a secunda manu in margine additum) *provenit*, et mox cum C *compositum est* pro *compositio sit*.

[6] Context. 36.

[7] Cap. 12. n. 18.

notitiae suae; nam et cognitum et cognitor ipsa est »; sed notitia dicit actum cognoscendi sive intelligendi: ergo anima per semetipsam sine aliqua specie est causa suae cognitionis.

6. Item, anima est in ordine entium, et in ordine intelligentium et intelligibilium; sed anima existit per semetipsam: ergo intelligit et intelligitur per semetipsam, ergo non per speciem.

7. Item, non videtur esse aliqua ratio, quare ad cognitionem alicuius rei species sit necessaria, nisi quia res materialis est, et quia non potest esse per essentiam in intellectu [1], oportet, speciem abstrahi a re; sed anima et habitus, qui in ea sunt, omnino sunt immateriales: ergo non cognoscit aut intelligit se vel habitus suos per aliquam speciem, sed per semetipsam.

8. Item, « propter quod unumquodque et illud magis [2] ». *Species* habet rationem intelligibilis ab intellectu agente, qui abstrahit species a phantasmatibus et facit species intelligibiles in potentia intellectas in actu; *intellectus agens* habet rationem intellectus intelligentis vel intelligibilis ab essentia animae, a qua fluit, quia est vere [3] intellectualis: ergo anima per essentiam suam multo magis est intellectiva et intelligibilis, non ergo per speciem.

9. Item, omnis cognitio est per assimilationem [4]: ergo quod se ipso simile est, non per aliquam speciem assimilantem, per semetipsum cognoscit, non per speciem. Sed anima sibi similis est per semetipsam: ergo semetipsam per essentiam suam cognoscit, non per aliquam speciem.

10. Item, Commentator super XII. Metaphysicae, super illud « movet sicut desideratum [5] » dicit, quod forma balnei est in anima et in materia, et illa quae est in anima, movet sicut agens, illa quae est in materia, movet sicut finis, quia illa quae

---

[1] B (in margine ab alia manu) addit *et ideo.*

[2] B addit *tale* post *unumquodque,* sicut nunc communiter citatur hoc axioma Aristotelis, I. Poster. c. 2. et II. Metaph. text. 4. (I. brevior, c. 1.).

[3] B potius legit *natura.*

[4] Aristot., VI. Ethic. c. 1. — Mox B (a secunda manu) *cognoscitur* pro *cognoscit.*

[5] Text. 36. (XI. c. 7.), iuxta versionem Arabico-latinam. B legit *desiderium* pro *desideratum.*

est in anima, movet propter illam quae est in materia; si autem forma balnei esset in anima immaterialis, esset in anima per essentiam suam et moveret sicut agens et sicut finis. Sed certum est, quod anima ipsa et habitus virtutum sunt immateriales et sunt praesentes ipsi animae per essentias suas: ergo per essentias suas, non per species movent intellectum.

11. Item, secundum Commentatorem et Philosophum [1] oportet, quod intellectus sit absque forma, ut sit susceptibilis formae; sed intellectus non caret forma sui, immo habet eam: ergo non recipit, ergo nec se per suam speciem intelligit.

*Quod autem se cognoscat et habitus, qui in ea sunt, per speciem, ostenditur:*

1. Anselmus, in Monologio [2]: « Nulla ratione negari potest, cum mens rationalis se ipsam cogitando intelligit, imaginem ipsius nasci in sua cogitatione, immo ipsam cogitationem sui esse [3] suam imaginem, ad eius similitudinem tamquam ex eius impressione formatam. Quamcumque enim rem mens vel per corporis imaginem seu per rationem cupit veraciter cogitare, eius utique similitudinem, quantum valet, in ipsa sua cogitatione conatur exprimere; quod quanto verius facit, tanto verius rem ipsam cogitat ». Ergo tam se ipsam quam habitus, qui sunt in ipsa, cognoscit per species suas.

2. Item, Philosophus III. de Anima [4] dicit, quod anima intelligit se sicut alia intelligibilia; sed alia intelligibilia intelligit per speciem: ergo et semetipsam et habitus in ea existentes intelligit per species suas.

3. Item, intellectum et cognitum est perfectio intellectus, non per essentiam, sed per speciem, quia res ipsae non sunt in intellectu, sed rerum species [5]. Si igitur anima intelligit se,

---

[1] III. de Anima text. 4. et 5. (c. 4.). — In fine argumenti B *ergo nec per se nec per suam speciem intelligit se.*

[2] Cap. 33.

[3] Editio post *sui esse* habet *suam* pro *sui,* et mox post *similitudinem* addit *tamquam;* pro *corporis imaginem* B habet *imaginationem corporis.*

[4] Text. 15. (c. 4.), ubi versio Graeco-latina habet: « Et ipse (intellectus) autem intelligibilis est sicut intelligibilia ».

[5] Aristot., III. de Anima, text. 38. (c. 8.).

se ipsa perficitur; sed non perficitur se ipsa, quia perfectio differt a perfectibili: ergo sua specie vel similitudine.

4. Item, Augustinus XIV. de Trinitate [1] dicit, quod quando fides non erit, cognoscetur per quoddam imaginarium vestigium in memoria derelictum, unde formabitur acies recordantis; sed aliam nunc facit trinitatem, aliam tunc factura est. Sed certum est, quod per illud res cognoscitur, per quod recolitur sive rememoratur: ergo si anima recordatur fidei per speciem, ergo et per speciem cognoscit.

*Quod autem per essentiam, ostenditur sic:*

1. Augustinus XIII. de Trinitate [2]: « Non sic videmus fidem in nobis, sicut videmus hominem [vivum], cuius animam etiamsi non videmus, ex nostra coniicimus, et ex motibus corporalibus hominem [vivum], sicut vivendo didicimus, intuemur etiam cogitando. Non sic videtur fides in corde, in quo est, ab eo cuius est; sed eam tenet certissima scientia clamatque conscientia. Cum itaque propterea credere iubeamur; quia id quod credere iubemur, videre non possumus; ipsam tamen [fidem], quando [3] inest in nobis, videmus in nobis; quia et rerum absentium praesens est fides, et rerum, quae foris sunt, intus est fides, et rerum, quae non videntur, videtur fides ». Non igitur coniiciendo [4] ex actibus, sed per semetipsam fidem intuemur.

2. Item, idem in Epistola ad Paulinam de Videndo Deum, in numero Epistolarum 147 [5], distinguit duplicem sensum, sensum scilicet corporis et sensum mentis. « Et sensu corporis videt anima corporalia, quae extra nos sunt, cum ipsis sensibus corporis praesto sunt. Sensu autem mentis videt spiritualia, quae intra nos sunt, quae praesto sunt sensibus mentis. Primo sensu videmus montes, arbores, lucem, colorem; secundo sensu, scilicet mentis, videmus vitam nostram, voluntatem, in-

---

[1] Cap. 3. n. 5.

[2] Cap. 1. n. 3, in quo textu B *convincimus* pro *coniicimus*, et deinde editio pro *vivendo didicimus* habet *videndo dicimus*.

[3] B *quae*.

[4] B *convinciendo*.

[5] Codices habent *numero Epistolarum* 62. In editione est ibi, Prooem. n. 3. seqq.; et sequens locus ibid. c. 2. n. 7. — In fine argumenti C legit *ibidem hoc* pro *ibi de hoc*.

quisitionem, scientiam, fidem et huiusmodi; haec enim intuitu mentis conspicimus ». Et post: « Sicut lucem corpoream corporis sensu, sic voluntatem meam plane video, quia praesto est animi mei sensibus atque intus mihi praesens est ». Et multa similia ponit ibi de hoc: ergo etc.

3. Item, idem ad Nebridium, in numero Epistolarum 16 [1]: « Intelligere duobus modis in nobis fit », scilicet « ipsa per se mente atque ratione intrinsecus, ut [cum] intelligimus, esse ipsum intellectum, aut admonitione a corporis sensibus, ut cum intelligimus, esse corpus ». Igitur intellectus intelligit semetipsum per semetipsum sine admonitione a corporis sensibus: ergo nec per actus.

4. Item, idem VII. super Genesim ad litteram [2]: « His nuntiis, scilicet sensibus, accipit anima quidquid eam corporalium non latet, ipsa vero usque adeo aliud quiddam est, ut cum vult intelligere divina vel Deum vel omnino se ipsam suasque considerare virtutes, ut aliquid veri certique comprehendat, ab hac ipsa quoque se luce oculorum avertat eamque ad hoc negotium non tantum nullo adiumento, verum etiam nonnullo impedimento esse sentiens, [se in obtutum mentis attollat »]. Et post: « Habetque ipsa innumerabilia longe dissimilia cuncto generi corporum, quae non nisi intellectu atque ratione conspicit, quo nullus carnis [3] sensus aspirat ». Ergo non per sensus aut phantasmata, quae magis sunt impedimento quam adiumento, sed per semetipsam conspicit se et suos habitus.

5. Item, ubi nullus sensus, aut usus sive actus sensus, nullum est phantasma. Nam, ut dicit Augustinus VI. Musicae [4], impossibile est, caecum natum fingere imaginem coloris; sed anima semetipsam intelligeret, si nullum usum vel actum sensus alicuius haberet: ergo non intelligit se mediante phantasmate. *Probatio minoris* apparet per Avicennam VI. Naturalium tractatu primo capitulo 1, ubi dicit, quod, si crearetur unus homo suspensus in aëre, ita quod eius membra essent omnino distincta, nec se aliquo modo contingerent, nec aliquid

---

[1] Nunc 13. n. 4, B falso *CVI.*

[2] Cap. 14. n. 20, in quo textu B *quoddam* pro *quiddam.* — Ultima textus verba *se in obtutum mentis attollat* desiderantur in codd. hoc loco, sed infra in responsione ponuntur.

[3] B *corporis.*

[4] Cap. 14. n. 32.

omnino sentiret, non dubitaret affirmare, se esse; et post dicit, quod « non eget corpore ad hoc, ut sciat animam et percipiat eam »: ergo etc.

RESPONDEO:

Ad istius quaestionis intelligentiam praenotandum est, quod *tripliciter* dicitur aliquid cognosci, vel triplex de aliquo potest cognitio haberi [1]. Contingit enim, aliquid cognosci per *manuductivam arguitionem* sive ratiocinationem, ut videndo fumum arguo ignem, videndo hominem loqui arguo, ipsum habere animam rationalem. *Secundo* contingit, aliquid cognosci per *contuitivam inspectionem* sive inspectivam contuitionem, sicut cum ignem praesentem oculis meis intueor et in ipsum dirigo obtutum. *Tertio* contingit, aliquid cognosci per *simplicem quiddditatis speculationem* in universali, non concernendo hoc vel illud, in hoc vel in illo, sicut cum considero, *quid* est ignis.

*Primo* modo cognoscitur de re vel deprehenditur, *an est* vel *inest*, sed ipsa res non videtur, sicut videndo fumum deprehendo, quod ibi est ignis, sed ipsum ignem non video. *Secundo* [2] modo videtur res ipsa. *Tertio* modo cognoscitur, *quid est* res *in generali*, non cogitando, *si est* vel *inest*.

Si igitur quaeratur, quomodo anima cognoscat, quid anima est, vel quid sunt habitus mentis, quam (cognitionem) vocavi *simplicem quiddditatis speculationem;* iste modus communis est omni animae, nec plus respicit animam propriam quam alienam; communis est etiam tam habentibus quam non habentibus tales habitus. Non habens enim fidem potest scire, quid est fides, sicut habens; et *hoc modo* anima vel habitus in se existentes cognoscuntur partim per *impressam notionem*, quoniam anima habet impressam naturae suae notitiam, ut dicit Augustinus VIII. de Trinitate c. 4. [3] in fine; habet nihilominus virtutum et habituum notiones, ut dicit II. de Libero Arbitrio [4] et VIII. de

---

[1] Cfr. August., VIII. de Trin. c. 4. n. 7. et seq.

[2] Codd., ordine immutato, sub *secundo modo* falso ponunt propositionem, quae correspondet *tertio modo*.

[3] Num. 7. — Paulo ante post *impressam* solummodo A habet *suae*, pro quo B *hominis*, C *humanae*.

[4] Cap. 10. n. 29. et c. 15. n. 40. Sequens textus est loc. cit. c. 3. n. 4. — Post *de Libero Arbitrio* C addit *dicit*.

Trinitate, quod habet impressam notionem boni; partim per *subtilem investigationem* et inquisitionem; sed *consummative* per *lucis aeternae irradiationem*. In illa enim forma et in libro lucis illius, quid sit animus iustus, etiam iniustus agnovit. Huius rei testis est Augustinus IX. [1] et XIV. de Trinitate, sicut patet aspicientibus. Sed de hoc nihil ad praesens.

Si autem quaeratur, quomodo anima cognoscat se ipsam et habitus, qui sunt in ea, per *arguitionem;* dico, quod cognoscit per *signa* et *a posteriori:* ab obiectis deveniendo in cognitionem actuum, et ex actibus deveniendo in cognitionem habituum et potentiarum, ex potentiis autem et habitibus in cognitionem ipsius animae essentiae. Nam, secundum Philosophum in principio Physicae [2], « innata est nobis via ex certioribus et notioribus nobis in certiora naturae et notiora », et in II. de Anima dicit, quod « potentiae cognoscuntur per actus et actus per obiecta ». In his duobus modis omnes conveniunt, nec est discordia inter doctores.

Utrum autem anima se ipsam vel habitus, qui sunt in ipsa, possit *videre* et intueri — et iste est secundus modus cognoscendi per *intuitionem* — dicunt *aliqui*, quod anima coniuncta corpori, quamdiu coniuncta est, nec se ipsam nec habitus, qui in ea sunt, immo nec aliquid omnino spirituale valet intueri directo aspectu; sed tantum deprehendit sive percipit, se esse et habitus sibi inesse, per actus; non quod ipsos actus intueatur tanquam obiectum visionis, cum sint ita spirituales, sicut habitus et essentia ipsa, sed quia percipit et deprehendit sibi inesse, dum percipit intelligibilia per species a phantasmatibus abstractas. Dum enim intellectus dirigitur vel tendit in ea quae per phantasmata apprehenduntur, percipit *actum* suum; percipiendo actum percipit *species* et *habitus* et *potentias;* demum essentiam ipsam [3] mentis, semper *a posteriori*, non quod aspectum dirigat tanquam in obiectum aut in actum aut in habitum.

Ratio autem eorum est duplex: *una*, quae pro parte tacta est, quia proprium obiectum intellectus coniuncti, maxime pro

---

[1] Cap. 6. n. 11; alius locus est ibi c. 15. n. 21.

[2] Text. 2. — Alius locus est ibi text. 33. (c. 4.).

[3] B C *ipsius*.

statu viae, tam agentis quam possibilis, est *phantasma: agentis* obiectum, quia ipse est actus quodam modo phantasmatum; *possibilis* vero, quia fit actu per ipsa, dum intentiones imaginatae, quae erant intellectae in potentia, fiunt intellectae in actu; et ideo nihil apprehendit ut obiectum nisi phantasma; non quod phantasma intelligat, sed quia per phantasma intelligit id cuius est phantasma, et sine phantasmate nihil intelligit, ut dicit Philosophus III. de Anima [1].

*Secunda* ratio est, quia nihil intelligitur, nisi in quantum actu ens et prout actu est; quod patet, quia visus non percipit coloratum in potentia, sed coloratum in actu. Similiter intellectus non cognoscit, nisi quod actu est; et quia intellectus non est actu, antequam intelligat, ideo non potest intelligere se nisi actu intelligentem. Quemadmodum enim materia est ultima in genere sensibilium, ita intellectus sive anima est ultima in genere intelligibilium, quia, sicut materia est potentia pura respectu sensibilium, ita intellectus est potentia pura respectu intelligibilium. Ideo sicut materia non est sensibilis nisi per formas sensibiles supervenientes, ita nec intellectus noster est intelligibilis nisi per speciem superinductam. Unde semetipsum non apprehendit; sed ex hoc, quod alia apprehendit, devenit in cognitionem sui; sicut et natura materiae primae ex hoc ipso cognoscitur, quod est talium formarum receptiva. Ex hoc ergo, quod anima humana immateriales species recipit, cognoscit, se esse quandam naturam immaterialem. Et breviter [2], ut dicunt, sicut materia non cognoscitur nisi per analogiam, id est comparatione ad formam, ita anima non cognoscit semetipsam nisi per quandam analogiam ad species intelligibiles.

Sed ista positio, quamvis magnorum sit et videatur viae philosophicae convenire, tamen videtur non parum deficere et multa inconvenientia implicare.

Quod enim *primo* ponit, intellectum nec se nec aliquid omnino spirituale intueri, omnino est contra sententiam Augustini in Epistola ad Paulinam, ubi dicit, ut praeallegatum est, quod, sicut sensu corporis videmus lucem, montes, arbores, ita sensu mentis videt anima vitam suam, suam inquisitionem,

---

[1] Text. 30. 32. (c. 7.).

[2] C *consequenter,* et mox *per comparationem* pro *comparatione.*

suam voluntatem, quae aspicit, sicut visus corporis solem vel montem; et XIII. de Trinitate [1], quod videt [quisque] et cernit fidem in corde suo non coniiciendo, sicut animam alterius, quam non videt, coniicit ex motibus, sed eam intuetur et tenet certissima scientia.

Quod *secundo* dicit, quod obiectum intellectus coniuncti, dum in via est, non est nisi phantasma, directe est contra sententiam Augustini in Epistola ad Nebridium praeallegata, quod intelligere non tantum fit in nobis ex commonitione sensuum, sed intrinsecus ipsa mente atque ratione nostrum intelligimus intellectum; et IX. de Trinitate [2], « quod sicut corporearum rerum notitiam per sensus corporis colligit, ita incorporearum per semetipsam, quoniam est incorporea ».

*Utrumque* autem videtur esse contra rationem et multum derogare nobilitati animae. Quod enim anima rationalis, quae est natura intellectualis, ita sit phantasmatibus *concreta* [3], ita immersa in sensus corporis, ita alligata sit corpori, ut nihil sine phantasmate intelligat, semetipsam et habitus, qui in ea sunt, nullo modo apprehendat nisi per accidens, non videtur multum consonum rationi. — *Ulterius* constat, quod anima rationalis duplicem habet portionem, duplicem aspectum sive faciem, secundum doctrinam Augustini XII. de Trinitate [4]: *superiorem*, quae deputatur contemplandis aeternis et spiritualibus, etiam per viam naturae, et « contuetur immobilem veritatem » et eam « cernit rationalis mentis intuitu » et « aspicit visu mentis », ut dicit Augustinus VIII. et IX. de Trinitate [5]; aliam *inferiorem*, quae deputatur istis temporalibus et corporalibus administrandis. Illa ergo saltem superior portio quantum ad actum suum a sensibus et phantasmatibus non dependet, illa semetipsam et habitus, qui in ea sunt, intuetur. — *Rursus*, omnino absurdum videtur ponere ita caecum intellectum, ut semetipsum non videat, cum anima per intellectum omnia cognoscat.

---

[1] Cap. 1. n. 3; in quo textu B ut superius iterum falso legit *convinciendo* et *convincit* pro *coniiciendo* et *coniicit*.

[2] Cap. 3. n. 3. — Paulo ante post *ratione* B addit (in margine ab alia manu) *ut*.

[3] Cfr. August., X. de Trin. c. 8. n. 11. in fine. — Paulo infra C *colligata corpori* pro *alligata corpori*.

[4] Cap. 3. n. 3. et c. 7. n. 12.

[5] Scil. VIII. c. 6. n. 9. et c. 9. n. 13; IX. c. 6. n. 11. et c. 7. n. 12.

Et ideo sine praeiudicio dico, quod de cognitione mentis, quantum ad se et quantum ad habitus, qui in ea sunt, duobus modis possumus loqui: uno modo quantum ad istius cognitionis sive notitiae *initium* et inchoationem, alio modo quantum ad istius notitiae *complementum* et consummationem. Si quantum ad notitiae sive cognitionis *initium* et inchoationem, sic dico absque dubio, quod anima nec semetipsam nec habitus in se existentes potest intueri, nec primus actus cognitionis potest esse in semetipsam, aut in ea quae in ipsa sunt. Cuius ratio est, secundum Augustinum XIV. de Trinitate[1], quoniam anima « intenta nimis in eas res, quas per corporis sensus coepit delectatione sentire, etsi *ignorare se* non possit, tamen *se cogitare* non potest »; et ideo quantum ad cognitionis initium et ad primum cognitionis actum indiget commonitione et excitatione a corporis sensibus hoc modo: dirigendo se, intendendo in ea quae per phantasmata apprehendit, percipit *actum* suum; percipiendo actum percipit et *species* in se existentes, demum *potentias* et *habitus;* tandem ipsam mentis *essentiam* quasi arguendo et ratiocinando apprehendit. Sed postquam facta est in actu per species a phantasmatibus abstractas, admonita sive commonita et excitata ab exteriori, quadam spirituali conversione in semetipsam revocata est, quae tota quasi in exterioribus erat distracta, semetipsam, sua interiora et ea quae in eius interioribus sunt, directo aspectu potest cernere et intueri, ita quod semetipsam et habitus[2] existentes non cognoscit tantum per arguitionem, sed per intuitionem et inspectionem, ita quod tanquam in obiectum in semetipsam et in ea quae sunt in ipsa, potest dirigere intellectualem obtutum.

Huius autem ratio ex quatuor colligitur, quae integrant unam perfectam rationem. Ad visionem enim intellectualem, sicut ad sensualem, non nisi quatuor tanquam necessaria concurrunt, scilicet *obiecti visibilis* et ut visibilis *praesentia*, *potentia visiva* disposita et ad obiectum conversa, *proportio mutua* et *lucis irradiatio* sive refulgentia, — quoniam quidquid videtur, videtur in lumine et sub lumine.

---

[1] Cap. 5. n. 7.

[2] C addit *in ea,* melius legeretur *in se.* In fine propositionis B addendo legit *aspectum sive obtutum.*

Hic autem concurrit *obiecti visibilis* et ut visibilis *praesentia*, quoniam *anima* sibi ipsi praesens est, et ideo se ignorare non potest, ut dicit Augustinus X. de Trinitate [1]: « Quid enim, inquit, tam cognitioni adest, quam [id] quod menti adest? Et quid tam menti adest quam ipsa sibi »? *Habitus* etiam, qui in ea sunt, intellectui praesentes sunt per essentias suas, ut dicit Augustinus X. libro Confessionum [2], et certum est, quod tam ipsa quam habitus sui formae sunt intelligibiles et habent rationem veri, ac per hoc natae sunt movere intellectum.

Secundo concurrit *potentia visiva* intellectualis disposita, ipsa scilicet intelligentia, quae hoc ipso, quod est immaterialis, absoluta et libera, a corporali organo non dependens neque alligata, potest se super se et super ea quae in se sunt, reflectere et convertere; et in hoc differunt sensus et intellectus, secundum Augustinum X. de Trinitate [3], nec ad hoc indiget phantasmate, ut dicit Augustinus, ut saepe dictum est, ad Nebridium; et VII. super Genesim ad litteram [4] dicit, quod, cum vult aliquod verum intelligere, ut Deum vel divina, et semetipsam suasque considerare virtutes, ab ipsa se avertit luce oculorum, eamque ad hoc negotium non tantum nullo adiumento, verum etiam nonnullo impedimento esse sentiens, se in obtutum mentis attollit.

Tertio concurrit *proportio mutua*. Utrumque enim intellectuale, utrumque finitum, nec aliquid est ita proportionale menti, atque ideo nihil tam sibi cognoscibile, sicut ipsa sibi et ea quae sunt in ipsa. Unde dicit Augustinus XIV. de Trinitate [5]: « Quid scimus, si quod est in nostra mente nescimus, cum omnia, quae scimus, non nisi mente scire possimus »?

Quarto concurrit *lucis aeternae irradiatio* sive refulgentia, quam de omnibus consulit et in qua videt intellectualia, sicut oculus carnis videt corporalia et sensibilia in luce corporea, secundum doctrinam Augustini XII. de Trinitate [6], et in locis aliis innumeris librorum suorum.

---

[1] Cap. 7. n. 10. Editio *aut quid* pro *et quid*, et *quam mens* pro *quam ipsa*.
[2] Cap. 9. n. 16. seqq.
[3] Cap. 3. n. 5; cfr. IX. c. 3. n. 3.
[4] Cap. 14. n. 20.
[5] Cap. 5. n. 8.
[6] Cap. 15. n. 24.

His quatuor concurrentibus manifestum est, quod anima videt et cognoscit semetipsam et habitus, qui sunt in ipsa, non tantum arguendo aut per actus deprehendendo, sed etiam contuendo.

Utrum autem per *suam essentiam, vel habituum suorum* se et habitus, qui sunt in ipsa, videat; dico, quod per essentias suas *obiective*, ita quod ipsa mens et habitus, qui sunt in ipsa, per essentias suas sunt obiectum aspectus, et in ipsas dirigit suum intellectualem obtutum; sed *formaliter* non per essentiam, ita quod essentia sit *ratio cognoscendi*, sed per suas species sive similitudines expressas in acie cogitantis, secundum doctrinam Augustini et Anselmi.

Huius autem quadruplex est ratio: *una ex parte obiecti intelligibilis*. Obiectum enim intelligibile, ut intelligibile, lux est, sive habet rationem lucis. Si ergo lux non potest percipi aut cognosci, nisi irradiet et illuminet, quod quidem lumen est similitudo lucis; neque obiectum intelligibile potest cognosci sive videri, quantumcumque praesens, nisi illuminet, id est, suum lumen, id est speciem in aciem intelligentis diffundat. Hoc manifestum est in luce corporali. Nam quantumcumque lux esset praesens oculo, nisi suo lumine illuminaret et informaret aciem pupillae, nunquam videretur. Ita lux spiritualis, id est res intelligibilis, quantumcumque praesens intellectui, non videtur, nisi suam speciem [1], quae est quasi suum lumen, faciat in acie intelligentis et aspicientis.

*Secunda ratio est ex parte potentiae intelligentis*. Potentiam enim intelligibilem oportet informari re intellecta, quia intellectum est forma intellectus; et non per essentiam suam, quia res intelligibilis per essentiam suam non est in intellectu, sed aut sunt extra animam, aut in memoria, sicut ea quae actu non cogitamus, ut sunt habitus artium et scientiarum, secundum Augustinum X. libro Confessionum [2], aut sunt in affectu, sicut habitus virtutum, aut, si sunt in intellectu, non sunt in eo ut in ratione obiecti intelligibilis [3] sive moventis, licet forte

---

[1] A *sua specie,* in qua lectione aliquid supplendum esset.

[2] Cap. 9. n. 16.

[3] A videtur habere *cognoscibilis,* quod etiam B exhibet ab alia manu in margine praefigendo *vel* et deleto verbo *intelligibilis*.

in ratione perficientis: ergo oportet, quod informetur specie vel similitudine rei intelligibilis. — *Amplius,* oportet potentiam intellectivam immutari et fieri in actu a re intelligibili, quoniam intellectus, dum est in potentia intelligens, non potest fieri in actu nisi per aliquid, quod est actu. Hoc autem non est essentia rei, quoniam cum illa uniformiter se habeat et semper sit praesens intellectui, semper actu intelligeret: ergo necesse est, ut quando fit ex intelligente in potentia intelligens actu, quod fiat per speciem rei intelligibilis. — *Rursus,* cum intellectus sit potentia passiva, et operatio eius perficiatur non agendo in extrinsecum, sed suscipiendo, non potest fieri de non intelligente intelligens, nisi aliquid suscipiat de novo et patiatur ab obiecto, non per *essentiam,* quia essentia non fit de novo: ergo per eius *similitudinem* sive speciem de novo genitam sive expressam, qua formatur acies intelligentis. — *Praeterea,* nihil agit nisi aliquid efficiendo in passum [1]; id autem non est nisi species rei. Ergo necesse est, quod tam ipsammet essentiam animae quam habitus, qui sunt in ipsa, cognoscat formaliter per suas species sive similitudines.

*Tertia ratio sumitur ex parte intellectualis cognitionis.* Nam intellectualis *cognitio* non est sine actuali *cogitatione,* actualis *cogitatio* non est sine actuali *locutione,* actualis *locutio* non est sine *verbi conceptione,* verbi autem *conceptio* non est sine *speciei gignitione.* Quod quidem verbum, quod est parta [2] notitia, ex cognito et mente cognoscente gignitur et est similitudo rei notae, secundum Augustinum IX. de Trinitate [3]: « Liquido, inquit, tenendum est, quod omnis res quamcumque cognoscimus, congenerat in nobis sui notitiam. Ab utroque enim notitia paritur, et a cognoscente et cognito ». Si quis autem dicat, mentem formare sibi verbum rei, ubi ipsam rem videat, et ex re visa imago exprimitur in acie cogitantis, fallitur, quia non tam est verbi conceptio quam fictio. Nam, ut dicit Augustinus VIII. de Trinitate [4], quando aliquam rem vidi et eius species in memoria remansit, volo autem illam rem co-

[1] Constructio est haec: *nihil agit in passum nisi aliquid efficiendo in ipso.*

[2] Ita A a secunda manu, et B primitus (a secunda manu tamen *aperta*), sicut C *experta,* utrumque est mendum.

[3] Cap. 12. n. 18.

[4] Cap. 6. n. 9.

gitare, ex illa specie formatur imago, quae est verbum eius; quando autem non vidi, sed dicitur mihi, tunc eius imaginem fingo quasi verbum, sed non est verum verbum, quia non sic imaginor, sicuti est. Aliquando verum est quidem, sed casu contingit, quod aliquis rei non visae veram fingat imaginem.

*Quarta ratio est ex ratione imaginis.* Anima enim rationalis est imago Dei, quae maxime repraesentatur in cognitione sui et rerum spiritualium, ut Augustinus dicit XI. et XIV. de Trinitate [1]. Et in his assignat potissime imaginem Trinitatis, ita quod *obiectum visibile,* si est praesens apud animam, tenens locum memoriae, vel memoria ipsa conservans speciem alicuius rei absentis, est velut *parens; notitia genita* ab obiecto vel a specie, quae est in memoria sive intelligentia formata ex similitudine expressa vel ab obiecto praesente, vel a specie, quae est in memoria, est loco *prolis* sive verbi; illa autem forma vel species expressa de memoria vel de obiecto praesente tamdiu manet, quamdiu acies cogitantis ad illam manet conversa. « Cum autem acies cogitantis inde aversa fuerit, atque id quod in memoria cernebatur, destiterit intueri, nihil formae, quae impressa erat, in eadem acie remanebit », ut dicit Augustinus XI. de Trinitate [2]. *Voluntas* autem vel voluntatis intentio, copulans, iungens et tenens aciem cogitantis cum obiecto sive specie, quae est in memoria, quasi prolem cum parente, est velut *nexus et amor.* Si autem anima vel habitus, qui sunt in ipsa, per suas essentias formaliter viderentur, non per species, claudicaret *ratio imaginis.* Etsi enim esset ibi memoria et voluntas, deesset tamen verbum sive notitia genita. Hoc idem suo modo reperitur in visione corporali, ubi est *corpus* obiectum loco memoriae, *similitudo* vel species genita in acie videntis loco notitiae sive verbi, et *intentio* copulans loco voluntatis, ut dicit Augustinus XI. de Trinitate [3]. Si igitur in cognitione sui et habituum maxime repraesentatur Trinitatis increatae imago, trinitas autem perfecta non sit, si per suas essentias formaliter, non per suas species vel similitudi-

---

[1] Scil. XI. c. 5. n. 8; XIV. c. 2. n. 4. et c. 3. n. 6. seq.

[2] Cap. 3. n. 6. — Mox ante *iungens* B addit *et,* ac C legit *copulans imagines et tenens.*

[3] Cap. 5. n. 9. et c. 7. n. 11. ac 12, ubi etiam praecedentia habentur, de quibus et vide IX. c. 12. n. 18.

nes acies cogitantis formaretur; necessarium videtur, quod anima semetipsam et habitus, qui in ipsa sunt, cognoscat [1] per suas essentias *obiective*, sed *formaliter* non nisi per suas similitudines ex ipsis expressas in acie cogitantis. Et hoc dicit plane Augustinus de cognitione animae XIV. de Trinitate [2]. Licet autem anima sibi nota sit habitualiter, sicut ea quae sunt in memoria nostra, de quibus tamen non cogitamus, tamen actualiter non se cogitat, nisi se in conspectu suo ponat, ut de illa suus formetur obtutus. « Ideo trinitatem sic commendabamus, ut illud, unde formatur cogitans obtutus, in memoria poneremus, ipsam vero conformationem tanquam imaginem, quae inde imprimitur, atque illud quo utrumque coniungitur, amorem seu voluntatem. Mens itaque, quando cogitatione se conspicit, intelligit et recognoscit se; gignit ergo hunc intellectum et cogitationem suam ». De cognitione autem habituum dicit in eodem [3]: « Fides, quae nunc inest nobis tanquam corpus in loco, ita in nostra *memoria* constituta est, de qua informatur *cogitatio* recordantis, sicut ex corpore acies intuentis. Quibus [duobus], ut trinitas impleatur, annumeratur tertia *voluntas*, quae fidem in memoria constitutam et quandam eius effigiem in contuitu recordantis impressam connectit et coniungit; sicut in illa corporalis trinitate visionis formam corporis, quod videtur, et conformationem, quae fit in cernentis aspectu, coniungit intentio voluntatis ». Sic ergo dico, quod anima semetipsam et habitus, qui sunt in ipsa, cognoscit non tantum arguendo, sed intuendo et cernendo per essentias suas *obiective*, sed *formaliter* per species ex ipsis expressas, unde formatur acies cogitantis sive intelligentis. His visis plana est responsio ad obiecta.

Ad argumenta, quae probant, quod *tantum per actus*.

Ad 1. Dicendum per interemptionem *minoris;* quoniam actus non sunt id solum, quod facit cognitionem, nec remoto

[1] Ita C. Verbum *cognoscat* in A excidit, unde B in margine post *in acie cogitantis* addit *intelligat et cognoscat.*

[2] Cap. 6. n. 8, ubi A B *utraque* pro *utramque*. — In fine huius loci solummodo A habet *cogitationem*, B C *cognitionem*, et prius B *commendabimus* loco *commendabamus*.

[3] Scil. XIV. de Trin. c. 3. n. 5.

semper removetur. — Ad auctoritatem Augustini dicendum, quod istud argumentum quaerit rationem sive causam ligationis intellectus; hoc autem non est propter hoc, quod anima semetipsam cognoscat per actum, qui est in phantasmata [1], sed quia anima est perfectio corporis, habens ad corpus naturalem inclinationem, et cuius unio cum corpore exigit ex parte corporis dispositionem, et maxime in organo et membro principaliori, sicut est cor et cerebrum. Quando autem illa dispositio corrumpitur, anima a corpore necessario separatur; quando autem impeditur vel aliquo modo turbatur, propter colligantiam naturalem et inclinationem, qua vult obviare [2] passioni corporis, etsi non a corpore separatur, tamen in sua operatione nobiliori impeditur, ut dicit Augustinus XII. super Genesim ad litteram [3], et sic quodam modo operatio intellectus ligatur. Ita fuit de illo, qui bibit venenum in caseo, quo fuit cerebrum perturbatum; ita contingit in ebriosis et phreneticis, ita etiam quodam modo in dormientibus.

Ad 2. dicendum, quod quilibet posset animam suam videre et intueri, nec circa eam erraret, si plene, relictis exterioribus formis, ad semetipsum rediret. Sed quia versantur multi circa imagines corporum, nihil credunt esse nisi corpus; et ideo circa animae naturam errant, ut dicit Augustinus X. de Trinitate [4]. Igitur secernat se et discernat a phantasmatibus, in quibus versatur, et semetipsum ad se revocet, et sine errore se cognoscet, ut dicit idem [5].

Ad 3. respondendum est per interemptionem *minoris;* quoniam anima et semetipsam et habitus, qui in ea sunt, cognitione contuitiva sine discursu cognoscit.

Ad 4. patet responsio, quoniam actus intellectus sive virium superiorum non impediuntur propter impedimentum actuum inferiorum eo [6], quod vires inferiores vel eorum organa parti-

---

[1] B probabiliter exhibet *phantasia.*

[2] B *curare,* et paulo post *est a corpore separata* pro *a corpore separatur.*

[3] Cap. 20. n. 42. et 43. — C post *et sic* inserit *patet,* et legit *quomodo* loco *quodam modo.*

[4] Cap. 7. n. 9.

[5] Scil. X. de Trin. c. 10. n. 13. seqq. secundum sensum.

[6] B omittit *eo;* in A fortasse legi potest *quasi* pro *quod.*

cipent vel cooperentur in omni cognitione intellectiva; sed quia, ut dictum est, anima est perfectio naturalis corporis; quamvis ad suum *esse* a corpore non dependeat, tamen ad suum esse in corpore exigit dispositionem ex parte corporis, qua corrupta, solvitur unio, et necessario a corpore separatur. Ita quamvis *operatio* eius a corpore non dependeat, tanquam in intelligendo cooperetur, tamen exigit dispositionem ex parte corporis: qua impedita, impeditur eius operatio; ergo actus inferiores non sunt necessarii ad actum intelligendi inferiora vel superiora tanquam *causa coagens*, sed sicut *causa sine qua non*.

Ad 5. dicendum, quod anima se ipsa immutatur *obiective*, ut dictum est, sed *formaliter* specie sive similitudine ex ipsa expressa in acie sui se cogitantis; et simili modo immutatur ab habitibus in ea existentibus. — Quod autem dicit Philosophus, quod intelligere est actus coniuncti; dico, quod dicitur *actus coniuncti*, non quod utraque pars coagat, sed quia totum compositum agit. Tamen aliquae actiones et passiones attribuuntur toti ratione *utriusque partis*, sicut homo dicitur sentire et dormire; aliquae ratione *corporis*, sicut dicitur percuti et iacere, et tamen solum ratione corporis; aliquae ratione *intellectus tantum*, sicut intelligere; nisi fortassis, ut praedictum est, coniuncto attribuatur, quia impeditur propter malam corporis dispositionem. Non tamen nego, quin corporalium et inferiorum notitiam per sensus corporis colligat, ut dicit Augustinus.

Ad 6. dicendum, concedendo *maiorem* illius argumenti; sed *minor* est interimenda. Auctoritas autem Philosophi intelligenda est de rebus corporalibus, quarum notitiam acquirit per sensus, quae sine phantasmate non intelliguntur.

Ad 7. dicendum, quod *maior* illius argumenti est falsa. Deus enim cognoscitur a Beatis per suam essentiam *obiective*, per sui similitudinem *formaliter*, qui est omnino simplex et indivisibilis, et tamen cognoscentes et videntes ipsum non cognoscunt neque vident omnia, quae sunt in ipso et quae sunt ipse. — Alias posset dici, quod quamvis anima sit simplex, non habens partes quantitativas, est tamen multiplex in virtute et in proprietatibus et operationibus, quae omnia cognoscuntur suis propriis speciebus.

Ad argumenta, quae probant, quod [*per essentiam et*] *nullo modo per actus* [1].

1. 2. 3. 4. Prima quatuor ex auctoritatibus Augustini concedenda sunt, quia verum concludunt nec excludunt viam cognoscendi per actus, sed tantum probant, quod possit contuitive per semetipsam cognosci eo modo, quo dictum est.

Ad 5. De Avicenna dicendum, quod Avicenna voluit, quod tota ratio intelligendi esset a superiori, ab intelligentia scilicet agente, quae est ultima in ordine intelligentiarum, et ideo sine omni actu aut officio sensuum posset anima intelligere se; in hoc tamen ipse erravit. Ego autem non nego, quin anima virtute superiori sine excitatione aut commonitione a sensibus posset intueri et conspicere semetipsam.

Ad 6. potest multipliciter responderi: *primo*, quod intellectus non cernit illam speciem, quae est in acie sui, sed illam, quae est in memoria, ut dicit Augustinus XI. de Trinitate [2], et illam intuetur; illa autem, quae est in acie intelligentiae, non cernitur, sed est ratio cernendi et intuendi. — *Secundo* potest dici, quod habitus scientiae non est in intelligentia, sed in memoria, secundum Augustinum X. Confessionum [3] et XIV. de Trinitate.

*Quod obiicit:* eius est habitus, cuius est actus; dico, quod memoria et intelligentia aut sunt una [4] potentia, habens duplicem vim, scilicet retinendi et iudicandi; aut si sunt duae, ita sunt connexae, ordinatae et a se invicem dependentes, quod necessario ad omnem actum simul concurrunt; et ideo habitus etiam communis est.

*Tertio* potest dici, quod etsi ita sit, adhuc non concludit contrarium; quoniam, etsi mens novit habitus suos cernendo et contuendo, novit nihilominus arguendo et ratiocinando, unde unus modus alium non excludit.

Ad 7. patet responsio per Augustinum ibidem [5]. Dicit enim, quod anima et se novit et se ignorat. Novit se quidem *habitu*

---

[1] Codd. omittunt verba in parenthesi, quae addi debuit, cum solutiones referantur primo ad quinque argg. pag. 323, 324, deinde ad tria pag. 319.

[2] Cap. 3. n. 6.

[3] Cap. 9. n. 16; alius locus est ibi c. 6. n. 8.

[4] B *unica*.

[5] Scilicet X. de Trin. c. 3. n. 5. seqq. — Infra pro *sparsim* B *similiter*.

et in generali, sed non se cogitat in *actu* et in speciali, nisi cum primum exit in actum; et tunc ita novit, se esse, ut tamen non noverit, quid sit, nec se ab aliis discernit; et ideo quaerit non tanquam sibi ignotam, sed tanquam ab aliis discernendam; et ideo praecipitur ei, ut se noverit, id est, se ab aliis discernat et in se ipsam redeat et semetipsam conspiciat et secundum naturam suam vivat. Haec Augustinus ponit sparsim ibidem.

Ad 8. dicendum secundum Augustinum in XIV. de Trinitate [1], qui dicit, quod quamvis anima sibi praesentissima sit, tamen quodam modo longe est a se sive a conspectu suo, nisi quando se cogitando in conspectu suo se ponit; et ideo per actus commonetur, ut ad se cogitandum redeat. Dico igitur, quod quamvis mens immediatior sit sibi quam actus suus in ratione essendi, tamen actus immediatior est in ratione considerandi: et ideo per actus reducitur ad sui considerationem.

Ad argumenta, quae probant, quod *per essentiam, ita quod non per speciem.*

Ad 1. patet responsio; quoniam novit semetipsam per semetipsam *obiective*, sed per speciem sui novit se *formaliter*. Et hoc modo intelligit Augustinus. Unde per *semetipsam* non excludit *speciem* a se expressam.

Ad 2. dicendum, quod auctoritas solvit semetipsam. Vult enim dicere Augustinus, quod non habent species sive similitudines sicut corpora absentia, ita quod aliud genus visionis faciunt, cum praesentia conspiciuntur, et aliud, cum absentia cogitantur; sed habent species, quae sunt eiusdem generis et ad idem genus visionis pertinentes; tam enim caritas quam sua species intellectualis est.

Ad 3. respondendum est eodem modo. Vult enim dicere ille Commentator, quod res a materia separatae non habent species abstractas a phantasmatibus, sicut [2] res materiales; sed res ipsae et species, per quas formaliter cognoscuntur, sive intentiones, sunt eiusdem generis, quia utraque est intellectuale.

Ad 4. dicendum, quod similitudo rei, quae est ratio cognoscendi, est quodam modo velut forma intellectus, et intellectus,

---

[1] Cap. 6. n. 8.

[2] A addit *et*, et B legit *sed et res* pro *sed res*. — In fine solutionis post *utraque est*, pro quo B *utrumque est*, supplet quid.

quamvis sit principium agendi vel intelligendi, est velut materiale [1]. Non est autem inconveniens, quod actio intelligendi sit quodam modo principalius ab ipso intellectu *ut ab agente*, et [2] a specie illa *ut a forma;* ut *in ratione formae* sit principalius ab *illa specie*, ut *in ratione agentis* principalius ab *intellectu*. — Vel posset dici, quod ibi non est principalius et minus principale, quia unum est propter alterum; et ideo unum tantum est nec unum sine altero [3].

Ad 5. dicendum, quod illa auctoritas magis est ad oppositum quam ad propositum. Illa enim notitia vel verbum, tanquam proles a parente ab anima procedens, vel est eius species seu similitudo expressa in acie cogitantis, vel [4] cogitatio formata per ipsam.

Ad 6. dicendum, quod, ut in quaestionibus praecedentibus visum est, non est simile de *esse* et *intelligi*, quia *esse* est quid *absolutum;* et ideo ad *esse* rei sufficiunt sua principia cum manutenentia Creatoris. Sed *intelligi* dicit *relationem* ad intelligentem in ratione moventis et informantis, et ideo necessaria est species, qua mediante moveat et informet intellectum. — Vel dicendum, quod sicut *est* per formam suam in se [5] existentem et perficientem, ita *intelligitur* per speciem suam aciem intelligentis informantem. Unde intelligi *per se* non excludit intelligi *per speciem*, sicut nec videri lucem *per se* excludit videri *per lumen suum*.

Ad 7. dicendum, quod *alia* [6] ratio est propter actualem informationem intellectus ab intellecto et cognito; alias semper intelligeret omne, quod esset essentialiter in ea, cum semper sint sibi praesentia. Haec autem informatio non est a specie

---

[1] B, qui nunc legit *materia*, primitus habebat cum C *materialis*, contradicente A.

[2] Supple: quodam modo; et *ut* ante *in ratione formae* intellige *ita ut*.

[3] Aristot., III. Topic. c. 2: « Si alicubi alterum alterius gratia; nihil enim eligibiliora utraque quam unum; ut sanum fieri et sanitas, quam sanitas, eo quod sanum fieri propter sanitatem eligimus ». Ex quibus verbis haec formata videtur propositio: ubi unum propter alterum, utrobique tantum unum.

[4] B C addunt *est*.

[5] B *re*, et mox ante *perficientem* C addit *se;* deinde C *intelligit* pro *intelligitur*.

[6] Intellige: praeter rationem in opponendo propositam.

*abstracta* a materia, sed *expressa* ex ipsa rei immaterialis essentia.

Ad 8. dicendum, quod illud verum est de specie *a materia abstracta*, quae quidem abstrahitur lumine et virtute intellectus agentis, sed non est verum de specie *expressa a re immateriali*. — Alias argumentum non valet, quoniam species est causa intelligibilis *formalis*, intellectus autem *efficiens*, sed ipsa animae natura et essentia quasi *originalis*, supposito, quod potentiae fluant ab essentia.

Ad 9. dicendum, quod, ut dictum est supra in alio argumento [1], quamvis anima sit sibi simillima, immo non similis, sed eadem in ratione essendi sive in ratione *entis*; tamen sicut, dum non se cogitat, longe est a se in ratione *cognoscibilis*, ita sibi quodam modo dissimilis est: et ideo oportet sibi assimilari. Assimilatur autem sibi, dum semetipsam cognoscit per similitudinem ex se expressam in acie sui se cogitantis.

Ad 10. dicendum, quod verbum Commentatoris pro tanto potest habere veritatem, quia balneum res artificialis est; ideo, exclusa materia, non habet esse nisi in anima artificis. — Quod autem *obiicit*, quod tunc moveret ut *agens* et ut *finis*; esto, tamen non moveret ut forma in ratione *obiecti cognoscibilis* nisi per speciem ex illa forma expressam; sic dico in proposito.

Ad 11. dicendum, quod intellectus *habet* formam suam et *recipit*, sed aliter et aliter [2]. *Habet* enim eam in ratione entis sive perfectibilis, et hoc modo non recipit; non habet autem eam, immo *recipit* in ratione obiecti actu moventis; et ideo ad hoc, quod semetipsum cognoscat, necesse est, ut ex se in se suam similitudinem exprimat.

Ad argumentum pro opinione [3], quod nihil intelligitur nisi *actu ens*; dico, quod duplex est actus: *primus*, qui est *esse*, et *secundus*, qui est *operari*. Quamvis autem intellectus non sit in actu *secundo*, qui est operari sive intelligere, nisi per speciem intelligibilem, est tamen actu ens quantum ad actum *primum*, qui est esse; et ideo est intelligibilis et potest se in-

---

[1] Supra pag. 338, ad 1.

[2] Ita et B primitus, ab alia manu tamen in margine, deleto secundum *et aliter*, legit *aliter habet, aliter recipit*.

[3] Quod sequitur spectat ad secundam rationem primae opinionis in responsione pag. 326, 327.

telligere per speciem suam. Unde quamvis primo non intelligat se actu intelligentem, intelligit se tamen actu existentem.

## QUAESTIO VI.

Sexto quaeritur, utrum intellectus coniunctus possit intelligere sive cognoscere substantias separatas.

*Quod non ostenditur:*

1. Avicenna VI. Naturalium tractatu V. cap. 5.[1] dicit, «quod intellectus non possit formare ea quae sunt in ultimo intelligibilitatis et abstractionis a materia, hoc non habet ex aliquo, quod sit in essentia illarum rerum, neque ex aliquo, quod sit in intellectu[2], sed ex gravitate corporis, sicut quod visus non possit videre solem, non est ex aliquo, quod sit in sole neque in visu, sed ex infirmitate oculi». Sed intellectus coniunctus pro statu viae semper est unitus corpori gravi et corruptibili: ergo intellectus coniunctus, quamdiu in via est, non potest intelligere substantias separatas.

2. Item Dionysius 1. cap. Angelicae Hierarchiae[3]: «Neque enim possibile est aliter nobis resplendere thearchicum radium nisi varietate sacrorum velaminum anagogice circumvelatum»; et post: «Quapropter perfectionis principis (?) sancta positio... immateriales hierarchias materialibus signis et formativis compositionibus tradidit[4]». Ergo impossibile est, quod intellectus

---

[1] Circa finem, paucis mutatis.

[2] Textus originalis habet *in natura intellectus.*

[3] Parag. 2, ubi secundum abbat. Vercellensem legitur: «Non est possibile, aliter nobis in hac vita supersplendere divinum principalem radium nisi circumvelatum variis velaminibus sensibilibus formarum».

[4] Paragr. 3. Cod. C legit: *Quapropter et sanctissimam hierarchiam nostram perfectionis principis sancta positio immateriales hierarchias principiis materialibus signis* etc. Paraphrasis abbat. Vercellensis ita hunc locum exhibet: «Quapropter sancta ordinatio Dei, quae est principium perfectionis, dignata facere nostram sanctissimam hierarchiam, supermundane imitatricem angelicarum hierarchiarum, ipsas angelicas hierarchias in se immateriales in sacris Scripturis designavit variis materialibus figuris et formis compositis, ut nos iuxta singulorum capacitatem per sanctas significationes formarum sensibilium reducamur ad contemplationem simplicium et non formabilium et semper similiter se habentium supernarum virtutum».

coniunctus intelligat pure substantias separatas, sed sub corporalibus figuris.

3. Item, super illud 2. capituli [1]: « Simplicium in se ipsis et ignotorum et incontemplabilium nobis existentium », Commentator dicit: « Quoniam eorum quippe natura non est composita ex carne et anima sicut nostra, sed simplex et subtilis [2] existit et ignota nobis est et invisibilis per se ipsam ». Et post: « Unde constat, eos in propria non posse videri substantia ».

4. Item Anselmus in Proslogio cap. 2: « Omne, quod intelligitur, est in intelligente » aut per se sive per essentiam aut per suam speciem; sed Angelus non potest esse in intellectu humano neque per essentiam suam neque per suam speciem: ergo non potest ab humano intellectu intelligi. *Probatio minoris* apparet. Quod enim per suam essentiam non possit esse in intellectu, manifestum est, quoniam nulla creatura animae illabi potest [3]. Quod non per speciem, manifestum est per Augustinum dicentem X. Confessionum: « Omnia, quorum non per corporis sensus haurimus imagines, sunt per se ipsa [4] in intellectu »; sed constat, quod species substantiarum separatarum non haurimus per sensus: ergo, si cognoscantur aut sunt in intellectu, sunt ibi per se ipsas. Sed hoc falsum est: ergo etc.

5. Item, quia dicebatur, quod intellectus potest etiam Angelum directo aspectu intellectuali videre per quandam applicationem substantiae angelicae ad ipsum; *contra:* ad visionem necessario requiritur praesentia, necessario etiam requiritur distantia [5]; sed si Angelus penetrat omnia organa corporalia, essentia Angeli immediate coniungitur essentiae animae vel intellectus: ergo impossibile est, quod ipsum videat.

6. Item, si Angelus posset praesentialiter ab intellectu videri, cum multo maius solatium et certiora documenta impenderet apparens in sua specie quam in corporibus assumtis, ergo non oporteret apparuisse Sanctis in assumtis corporibus, cum

---

[1] Scil. Angel. Hierarch. Dionysii, § 2. — Pro sequentibus cfr. Hugo a S. Vict. in hunc locum.

[2] Ita C; alii legunt *substantialis* et infra habent *mereri* pro *videri*.

[3] Vide S. Bonav., tom. II. d. 8. p. 2. q. 2. — Sequitur August., X. Confess. c. 11. n. 18.

[4] B C hic legunt *se ipsam* et infra *ita* pro *ibi*.

[5] Cfr. Aristot., II. de Anima text. 74. (c. 7.). — Infra pro *organa* C legit *arcana*.

tamen et beatae Mariae Virgini [1] et aliis Sanctis legantur apparuisse superni in assumtis corporibus et nunquam in sua specie.

7. Item, si Angeli videntur immediate ab intellectu, videntur per suam speciem; sed hoc est impossibile: ergo etc. *Probatio minoris* est, quoniam omnis species aliquam rem repraesentans oportet, quod adaequetur rei cognitae; sed species recepta in humano intellectu est multo inferior et grossior et materialior Angelo, quia « receptum est in recipiente per mòdum recipientis [2] »; ergo illa species nullo modo Angelum repraesentat, ergo nec per illam videri potest.

8. Item, per speciem alterius rationis nunquam devenitur in cognitionem alicuius rei; quod patet, quia per speciem soni nunquam devenitur in cognitionem coloris, nec e converso; sed species in intellectu humano omnino est alterius rationis quam Angelus: ergo per illam speciem nullo modo potest cognoscere.

9. Item, potentia passiva non excedit potentiam activam propriam; sed intellectus possibilis, secundum Philosophum [3], est potentia passiva, cuius potentia activa est intellectus agens: ergo passibilis nunquam excedit agentem; excederet autem, si intelligeret substantias separatas: ergo etc. *Probatio consequentiae* est: quoniam actus intellectus agentis est abstrahere species a phantasmatibus; ergo in cognitione substantiarum separatarum nullum habet actum. Ergo magis elevatur intellectus possibilis quam agens: ergo etc.

10. Item, quia dicebatur, quod videbat substantias separatas secundum faciem sive portionem superiorem; *contra:* portio superior et inferior non sunt diversae substantiae, sed una omnino, differens solum secundum aspectum [4]: ergo ita nuda est pars superior sicut inferior, quia tota potentia intellectiva est nuda sicut tabula [5]: ergo si non cognoscit secundum partem inferiorem, nec secundum superiorem.

11. Item, proprium passivum non potest pati nisi a proprio activo; proprium autem activum respectu intellectus possibilis est intellectus agens vel phantasia mediante virtute agen-

---

[1] Luc. 1, 26. seqq.

[2] Cfr. lib. de Causis proposit. 10. 12. 20. 24.

[3] III. de Anima text. 17. seqq. (c. 5.).

[4] Cfr. Bonav., II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 2.

[5] Aristot., III. de Anima text. 14. (c. 4.).

tis: ergo intellectus, quamdiu coniunctus est, nihil potest intelligere nisi mediante phantasmate et virtute intellectus agentis; sed substantiae separatae non possunt intelligi mediante phantasmate nec virtute intellectus agentis, qui non est nisi circa phantasmata: ergo etc.

12. Item, si intellectus coniunctus intelligit substantias separatas, aut hoc est virtute intellectus agentis, aut possibilis, aut utriusque; non possibilis, quia non agit; nec agentis, quia non agit nisi per lumen suum. Sed lumen angelicum maius est et efficacius est quam intellectus agentis; lumen autem minus nullo modo illuminat maius, immo obfuscatur a maiori: ergo non potest intelligere virtute intellectus agentis, nec utriusque per consequens: ergo nullo modo intelligit substantias separatas.

13. Item, Avicenna X. Metaphysicae cap. 1 [1]: « Excellentissimus status hominis est videre Angelos transfiguratos coram se in forma, qua possunt videri et audire ab eis divinas revelationes ». Si ergo status excellentissimus est videre Angelos et non in propria forma, ergo in forma propria nunquam videntur ab intellectu coniuncto.

14. Item, Augustinus 83 Quaestionum quaest. 23 [2]. dicit, quod mens humana, eo quod « est ad imaginem Dei, immediate et nulla creatura vero [3] interposita ab ipsa virtute formatur ». Si autem intellectus videret substantias separatas, cum non virtute intellectus, sed ipsius intelligentiae sive separatae substantiae videret, et visum sive intellectum est forma videntis, saltem per suam speciem, ergo intellectus in visione substantiae separatae informaretur eius specie, quod est contra Augustinum.

15. Item, quia dicebatur, quod Angelus exhibet se praesentem intellectui coniuncto et manifestat semetipsum ei; *obiicitur contra hoc*; nam, ut dicitur 9 [4]. propositione de Causis, « omnis intelligentia plena est formis »; sed q̃ua ratione potest suam substantiam manifestare intellectui, potest et ea quae in ipso sunt: ergo et potest imprimere vel influere intellectui speciem coloris. Sed hoc est inconveniens, quia sic posset caecus cogno-

[1] In initio; pro *divinas revelationes* textus originalis habet *verbum Dei.*

[2] Potius quaest. 51. n. 2.

[3] Deest in textu originali.

[4] Habetur potius propos. 10.

scere colores, quod falsum est. Nam, ut dicit Augustinus VI. Musicae [1], impossibile est, quod caecus natus fingat imaginem coloris. — Ulterius videtur inde sequi error Avicennae [2], qui posuit, quod intellectus noster intelligit per influxum specierum ab intellectu [3] agente, quae est substantia separata.

16. Item, si Angelus sua virtute potest se facere videri ab intellectu per suam speciem, aut praesens aut absens; si absens, ita posset anima rationalis, maxime cum corpus non obsistat influentiis spiritualibus; si praesens, ergo sibi illabetur, quod est impossibile. *Probatio:* si applicatur, vel contingit secundum essentiam suam intellectum aut secundum partem aut secundum totum; si secundum partem, tunc habet partem et partem, quod est falsum; si secundum totum, cum sint substantiae omnino indivisibiles, ergo simul sunt; nam secundum Philosophum VI. Physicorum [4] indivisibilia se contingentia necesse est simul esse: ergo una alii illabitur. Si igitur hoc est falsum, ergo etc.

17. Item, II. Metaphysicorum [5] dicit Philosophus, quod « intellectus noster se habet ad manifestissima naturae sicut oculus vespertilionis ad lucem solis ». Manifestissima autem naturae vocat substantias separatas; sed oculus vespertilionis nunquam potest videre lucem solis: ergo nec intellectus noster substantias separatas.

18. Item, impossibile est, aliquid cognosci per suum actum, nisi cognoscatur, suum actum esse. Et impossibile est, cognosci, actum esse alicuius, nisi cognoscatur illud cuius est actus. Nam dicit Augustinus [6], quod impossibile est, cognosci signum, nisi cognoscatur illud cuius signum est; non enim possum cognoscere signa animi iusti, nisi cognoscam, quid est animus iustus: ergo non possunt cognosci substantiae separatae per effectus suos, cum cognitio causae praecedat cognitionem effectus.

---

[1] Cfr. c. 11. n. 32; sed verbotenus habetur Epist. 7. (alias 72.) c. 3. n. 6.

[2] VI. Natural. sive de Anima, p. V. c. 5. seqq.; Metaph. tr. 9. c. 3. seq.; de Intelligentiis c. 4.

[3] Ita C; A B habent *intelligentia*.

[4] Text. 1. seqq.

[5] Cap. 1. text. 1. (alias lib. I. brevior c. 1.).

[6] Lib. de Magistro, c. 10. n. 33. seq.

CONTRA:

1. Illud sufficienter intelligitur, quod per demonstrationem scitur; sed substantiae separatae possunt sciri per demonstrationem; ergo possunt sufficienter intelligi. *Probatio minoris:* philosophi demonstrative pervenerunt ad notitiam noni coeli, quod tamen nullo modo apprehenditur per sensum: ergo similiter possunt demonstrative sciri substantiae separatae, quamvis sensu non apprehendantur.

2. Item, Avicenna III. Metaphysicae cap. 8 [1]: « Idem est iudicium de separatis sicut de aliis substantiis corporalibus intellectis, excepto uno, scilicet quod illae egent abstractione, quousque abstrahatur ab eis intentio, per quam possint intelligi; istae vero non indigent aliquo, nisi ut intelligantur esse, ut sunt, et sigilletur anima per eas »: ergo etc.

3. Item, Augustinus XII. super Genesim ad litteram cap. 9 [2]. dicit, « quod Angeli possunt videre nostras cogitationes, etiamsi nolimus, nos vero eorum cogitationes, nisi nobis ostendantur, videre non possumus, quia sic habent eas in potestate occultandi spiritualibus modis, quemadmodum nos, quibusdam interiectis obstaculis, corpora nostra, ne aliorum oculis videantur, abscondimus, et aliquando pleniore demonstratione in spiritu ipsas et mente videt ». Sed certum est, quod cogitationes pure intellectuales sunt: ergo nullo modo cadunt in phantasiam, sed in ipsum intellectum: ergo intellectus potest videre cogitationes angelicas intellectuales. Sed qua ratione potest videre cogitationes, potest et substantiam angelicam: ergo etc.

4. Item, intellectus noster intelligit rerum quidditates, quae sunt ipsius obiectum secundum Philosophum [3]. Tunc quaero:

---

[1] Circa finem; pro *per quam possint* textus originalis habet *quae possit.*

[2] Potius c. 22. n. 48. — In fine huius loci post verbum *abscondimus* textus originalis sic continuat: « et quid fiat in spiritu nostro, ut aliquando cernantur tantummodo significantes imagines, et utrum aliquid significent, ignoretur; aliquando autem aliquid significare sentiantur, sed quid significent, nesciatur; aliquando vero tanquam pleniore demonstratione anima humana et spiritu ipsas et mente quid significent, videat; et scire difficillimum est, et si iam sciamus, disserere atque explicare operosissimum ».

[3] Cfr. III. de Anima, text. 9. seq. (c. 4.) et 26. (c. 6.); vide supra pag. 41, nota 1.

aut quidditas intellecta est pura quidditas aut composita. Si composita, et ab omni composito nata est abstrahere quidditatem, tunc ex illa quidditate extrahet aliam quidditatem, et sic quaeram de illa; ergo vel oportet in infinitum abire, aut devenire ad aliquam purissimam quidditatem nullo modo compositam. Sed qua ratione intelligit aliquam quidditatem omnino puram et simplicem, potest intelligere substantias separatas: ergo etc.

5. Item, intellectus agens abstrahit quidditates a rebus, quibus informatur et perficitur intellectus possibilis. Cum autem intellectus possibilis erit perfectus et omnino in actu per species intelligibiles, tunc nulla erit necessaria a phantasmatibus abstractio: ergo poterit intelligere sine phantasmate, ergo poterit intelligere substantias separatas.

6. Item, secundum Philosophum III. de Anima [1], « scientiae secantur, quemadmodum et res ». Rerum autem absolutarum tres sunt gradus vel genera, scilicet qualitas, quantitas et quidditas sive substantia; alia autem genera non dicunt nisi dispositionem vel habitudinem istorum. Et tres sunt potentiae gradatim ordinatae, deputatae ad istarum rerum cognitionem, scilicet sensus deputatus percipiendis qualitatibus, imaginatio deputata percipiendis quantitatibus et intellectus deputatus percipiendis substantiis sive quidditatibus. Si ergo est aliqua quidditas sine quantitate, oportet, quod intellectus cognoscat eam; sed ista est quidditas substantiarum separatarum: ergo etc.

7. Item, quod nullo modo est de esse vel de ratione alicuius, nihil facit ad cognitionem illius; sed quantitas nullo modo est de esse substantiae, nam substantia potest esse sine omni quantitate; nec est de ratione illius, quia nec eius intrat definitionem: ergo nihil facit ad intellectum eius vel cognitionem. Ergo substantia potest intelligi sine omni quantitate et phantasmate. Sed non propter aliud ponimus, intellectum non posse intelligere substantias separatas, nisi quia intellectus noster intelligit cum phantasmate: ergo etc.

8. Item, istae potentiae sunt ordinatae ad invicem: sensus, imaginatio, intellectus sive intelligentia; sed sensus potest cognoscere omnia sensibilia sine aliquo lumine divino, et imagi-

---

[1] Text. 38. (c. 8.).

natio imaginabilia; ergo multo fortius, cum sit altior potentia, intellectus potest intelligere omnia intelligibilia sine aliquo supernaturali lumine: igitur per se potest intelligere substantias separatas.

9. Item, intellectus agens est, quo est omnia facere in anima, intellectus possibilis, quo est omnia fieri. Ergo intellectu agente faciente et intellectu possibili patiente vel recipiente potest omnia intelligere: ergo et substantias separatas, quae sunt de numero omnium.

10. Item, Dionysius cap. 6[1]. de Divinis Nominibus dicit, quod incontemplabilia et incognoscibilia sunt sensibus intelligibilia et compositis simplicia et corporalibus incorporalia; sed substantiae separatae omnino sunt intelligibiles, simplices et incorporales: ergo non possunt cognosci sensibilibus, compositis et corporalibus; ergo cognoscuntur se ipsis. Ergo intellectus potest videre ipsos Angelos in sui natura.

11. Item, difficilius est facere separata ea quae non sunt separata, quam intelligere ea quae secundum se separata sunt; sed intellectus corpori unitus facit separata ea quae non sunt separata, dum abstrahit species intelligibiles a rebus materialibus, per quas intelligit ipsas: ergo multo fortius potest intelligere substantias per se separatas.

12. Item, si organum corporale non laederetur ab excellenti sensibili, quanto excellentius esset sensibile, tanto sensus magis sentiret ipsum; sed intellectus nullo modo corrumpitur ab excellenti intelligibili, sed magis perficitur: ergo quanto aliquid magis est intelligibile, magis intelligit; sed substantiae separatae magis sunt intelligibiles: ergo et magis intelligit substantias separatas quam res materiales.

## RESPONDEO:

Istam quaestionem movit Philosophus in libro III. de Anima[2] dicens: « Utrum contingat separabilium aliquod intelligere intellectum existentem non separatum a magnitudine, an non, considerandum est posterius ». Sed quia quaestionem hanc

---

[1] Potius c. 1. § 1, secundum versionem Scoti Erigenae.

[2] Text. 36. (c. 7.), ubi pro *separabilium aliquod* legitur *aliquid separatorum*.

non determinavit, quod sciatur, a posterioribus philosophis in huius quaestionis solutione multipliciter elaboratum est, qui tamen non nisi vana et absurda dixerunt.

Alexander enim, suus Commentator [1], posuit intellectum possibilem omnino generabilem et corruptibilem generatum ex maxima adaequatione elementorum, qui tamen non est nisi quaedam aptitudo ad recipiendum intelligibilia, sicut est complanatio tabulae ad recipiendum picturam. In hac autem aptitudine intellectus agens, qui est ingenerabilis et incorruptibilis intelligentia, separata existens, facit formas intelligibiles educendo eum de potentia ad actum et facit paulatim in eo intellectum speculativum; quando autem possibilis [2] fuerit perfectus per intellectum speculativum, tunc coniungitur nobis intellectus agens sicut forma. Et quia intellectus agens est substantia separata, et per hoc intelligit alias substantias separatas et nos per ipsum intelligimus substantias separatas.

Sed Themistius posuit intellectum possibilem ingenerabilem et incorruptibilem et separatum, intellectum autem nostrum esse compositum ex agente et possibili, et utrumque horum coniungi nobiscum per intelligibilia relata ad phantasmata. Et sic dixit, intellectum nobis coniunctum, compositum ex agente et possibili, esse per se sufficientem ad intelligendum substantias separatas; et magis enim videtur, quod intellectus compositus ex duobus intelligat intelligibilia separata quam intelligibilia materialia.

Avicenna vero posuit intellectum possibilem ingenerabilem et incorruptibilem, unitum tamen; sed intellectum agentem posuit intelligentiam separatam, quae quidem imprimit formas intelligibiles in intellectum nostrum possibilem. Et noster intellectus possibilis, secundum quod magis et magis discit et effluunt in ipsum formae intelligibiles ab intelligentia agente, magis et magis ad ipsum convertitur, per conversiones multiplicatas disponitur, ut uniatur sibi intelligentia agens ut forma. Quando autem completa et perfecta fuerit conversio, tunc unitur ei intelligentia agens ut forma et intelligit per ipsam alias substantias separatas.

---

[1] Cfr. Averroes, Comment. in III. de Anima, ubi et de sequentibus loquitur.

[2] Pro *possibilis* A C legunt *plene*.

Avempace autem et Alpharabius posuerunt duplicem vim intellectivam: unam humanam, in quantum colligatur phantasmatibus; aliam divinam, quam habet, prout est vestigium intelligentiae separatae. Et per illam vim humanam intelligit materialia, per divinam autem intelligit separata, ita tamen, quod per illam separatam abstrahit quidditates rerum materialium et facit species intelligibiles in potentia intellectas in actu. Et quia quidditates rerum materialium compositae sunt, necesse est, abstrahi quidditatem a quidditate, donec veniatur ad aliquam quidditatem omnino puram et simplicem, et per illius considerationem intelligit substantias separatas, quae non sunt nisi quaedam purae et simplices quidditates.

Omnes istae positiones erroneae sunt et adeo manifestas continent absurditates, quod non debent iudicari dignae reprobatione et eas pertractare nimis esset longum. Averroes autem super III. de Anima eas recitat et reprobat.

Sed et sunt circa istam quaestionem aliae positiones *catholicorum*[1] et *theologorum*.

Quidam enim sequentes pro magna parte Averroem distinguunt *quadruplicem* intellectum, scilicet *possibilem*, *speculativum*, *agentem* et *adeptum*. Et agens quidem intellectus et possibilis sunt potentiae connaturales animae humanae; uterque tamen est separatus, tamen agens magis quam possibilis, et possibilis unitur et coniungitur agenti ut formae, non in primo, sed in postremo. Causa autem coniunctionis est intellectus speculativus. Coniunctus autem perfecte agenti ut formae vocatur intellectus adeptus. Coniungitur autem intellectus agens possibili triplici coniunctione: primo naturaliter, pro eo quod uterque est potentia naturalis animae rationalis et coniungitur sibi ut efficiens seu agens et efficiens intellectum speculativum, id est abstrahens species a phantasmatibus et faciens eas intellectas in actu per lumen suum, ita quod abstrahendo et efficiendo intellectum speculativum et reducendo intellectum possibilem in actum communicat sibi lumen suum; intellectus autem possibilis recipiens lumen intellectus agentis, quanto magis illuminatur, tanto magis disponitur, ut uniatur ei intellectus agens ut forma. Quando autem fuerit illuminatus et per-

[1] Forte legendum est *philosophorum*.

fectus [1] intellectu speculativo, hoc est formis intelligibilibus, tunc intellectus agens unitur ei ut forma. Intellectus ergo possibilis perfectus et informatus per intellectum agentem vocatur intellectus adeptus. Intellectus tamen agens habet duplicem operationem: unam, quae est abstrahere species intelligibiles a phantasmatibus; alteram, intelligere et discernere. Quando igitur intellectus noster adeptus est, tunc potest homo operari per formam suam operationes proprias, in quantum est homo, et hoc est per intellectum agentem contemplari substantias separatas et semetipsum. Et tunc est in optimo statu et similis Deo, agens divinas operationes et largiri sibi et aliis multos divinos intellectus et accipere omnia intellecta quodam [2] modo. — Haec est positio quorundam modernorum, qui videntur sibi optime solvisse istam quaestionem et evasisse omnia inconvenientia.

Ista positio, licet magnorum sit et in philosophia et in theologia, tamen non modica et pauca implicat inconvenientia et quae non videntur multum secura. *Primo* quidem, quoniam non est bene intelligibilis ista continuatio [3] sive coniunctio istorum intellectuum et quomodo agens uniatur possibili ut forma mediantibus intellectis speculativis, cum utraque [4] sit potentia naturalis radicata in una essentia animae. — *Secundo*, quia minus videtur intelligibile, quod intellectus agens modo intelligat substantias separatas et homo non intelligat, cum sit potentia hominis. — *Tertio*, quoniam eiusdem potentiae est intelligere omnia intelligibilia, sicut unius potentiae visivae est videre omnia visibilia — eadem enim est potentia visiva, qua videt lucem et colorem — ita eadem est potentia intellectiva, qua intelligit omnia separata et materialia sive corporalia, nec videtur probabile, quod per unam potentiam intelligat primo et per aliam postea. — *Quarto*, quia videtur, quod per naturam possit quis pervenire ad felicitatem et cognitionem divinorum. — *Quinto*, quoniam, quamdiu intellectus coniunctus est, nunquam pervenit ad omnium intelligibilium notitiam, nisi solus intellectus Christi. Multa etiam alia sequuntur inconvenientia istam positionem, quae apparent diligenter considerantibus.

---

[1] C habet *illuminatus perfecte*.

[2] C legit *quoquo*.

[3] C legit *conterminatio*.

[4] Scil. *potentia*.

Ideo *alii* dicunt, quod intellectus coniunctus, quamdiu coniunctus est, non potest intelligere substantias separatas, quid sunt. Quorum ratio est, quoniam intellectus coniunctus omnino ad phantasmata inclinatus est, ideo non potest aliquid intelligere nisi speciebus et formis a phantasmatibus acceptis informatus, et propterea de substantiis separatis non potest aliam habere cognitionem, quam acquirit manuductione specierum a phantasmatibus abstractarum. Hoc autem est de eis cognoscere, *quid non sunt*, non quid sint, potest autem de eis cognoscere, quia sunt, sicut per effectus deficientes devenitur in cognitionem excellentissimarum causarum. Dum autem cognoscimus, quia sunt causae excellentes, scimus de eis, quia non sunt tales, quales sunt eorum effectus, et hoc est de eis cognoscere magis quid non sunt quam quid sunt.

Sed quidquid sit de veritate positionis, fundamentum tamen non est bonum nec consonum sententiis Augustini, dum ponit, quod intellectus coniunctus nihil potest intelligere nisi informatus speciebus a phantasmatibus abstractis. Et auctoritates Augustini sunt in quaestionibus praecedentibus [1] adductae. Nam dicit ad Nebridium [2], quod « aliqua intelligit admonitione a corporalibus sensibus, aliqua per semetipsam ipsa ratione et mente intrinsecus »; et ad Paulinam [3], quod contuitive videt voluntatem, fidem, inquisitionem suam. Ultra hoc etiam dicit in epistola ad Dioscorum, epistola in numero epistolarum 52 [4], reprobans opinionem Democriti, quod [5] nihil putavit sine corporum imaginibus intelligi; ait enim: « Nullam aliam causam cuiuslibet cognitionis nostrae opinantur, nisi cum ab his corporibus, quae cogitamus, veniunt atque intrant imagines in animas nostras, quasi non multa et prope innumerabilia cogitantur incorporaliter atque intelligibiliter ab eis qui talia cogitare noverunt, sicut ipsa sapientia et veritas; quam si non cogitant, miror, quomodo de ea disputant ». Idem etiam super Genesim IV. libro cap. 7 [6]: « Istam senarii numeri perfectionem

[1] Scil. quaest. 3. et 5.
[2] Epist. 13. (alias 218.) n. 4.
[3] Epist. 147. (alias 112.) c. 1. n. 3.
[4] Nunc 118. (alias 56.) c. 4. n. 27.
[5] A C habent *qui*.
[6] Num. 13.

nec extra nos ipsos cernimus sicut oculis corpora, nec ita intra nosmetipsos, quemadmodum corporum phantasias et visibilium imagines rerum, sed alio quodam differenti modo. Quamvis enim se obiectent aspectui simulacra quaedam corpusculorum, cum senarii numeri compositio, ordo vel partitio cogitatur, tamen validior et praepotentior ratio non eis annuit interiusque numeri vim contuetur, per quem contuitum fidenter dicit, id quod dicitur unum in numeris, in nullas partes dividi posse ». Et ideo, sicut dicit in VII [1], cum pure aliquid vult intelligere, avertit se a sensibus et phantasmatibus, quia magis sunt impedimento quam adiumento cognitioni veritatis. *Ulterius*, quod dicit, non posse intelligi, quid Angelus est, ab intellectu coniuncto, falsum videtur, quia potest intelligi, quid est Deus, quod multo est excellentius et sublimius, quam quid est Angelus, licet non plene et perfecte.

Et propterea dicendum sine praeiudicio, quod intellectus coniunctus potest scire et intelligere, *quia* Angelus est, per arguitionem et ratiocinationem arguendo ab effectu ad causam. Unde ex effectibus in istis inferioribus, ex motibus caelorum philosophi devenerunt in cognitionem motorum, similiter ex connexione et combinatione naturarum. Si enim est natura corporea tantum et est natura composita ex natura corporea et incorporea, ergo est natura aliqua spiritualis nullo modo corpori unita. Si enim est in natura reperire extremum et medium, necesse est reperire aliud extremum [2]. — Potest etiam scire et intelligere intellectus coniunctus, *quid* Angelus est, non tantum privative, immo positive, sed non plene, perfecte et determinate, sed semiplene, indeterminate, imperfecte et in quadam generalitate; et hoc quidem per subtilem investigationem, quia per effectus venitur in cognitionem quidditatis causae, licet non perfecte; si enim est motus uniformis et perpetuus, oportet esse motorem simplicem, incorporeum et indivisibilem; sed magis et sublimius per impressam notionem; habet enim intellectus humanus impressam quandam generalem naturae angelicae notionem, per quam statim, cum audit, esse quandam naturam

[1] Cap. 14. n. 20.

[2] Cfr. Aristot., II. de Caelo et mundo, text. 18. (c. 3.) et III. Eudem., c. 6. (c. 4.).

simplicem, immaterialem, absolutam a corpore, assentit, nec credit dicenti, sed potius ex semetipso et in semetipso videt, ut dicit Augustinus X. libro Confessionum [1] in simili. Ulterius, nisi haberet talem notionem impressam et intelligit, cum audit, esse naturam quandam spiritualem absolutam, et intelligendo verbum concipit, non tam esset conceptio quam fictio, ut quaestione praecedenti [2] visum est, et dicit Augustinus VIII. de Trinitate, sed *consummative* per lucis aeternae irradiationem, in qua secundum doctrinam Augustini omnia immutabilia vera conspiciuntur. — Utrum autem intellectus coniunctus *contuitive* recto aspectu possit Angelum intellectualiter videre, quidam dicunt, quod sic, non tamen virtute intellectus sive potestate, sed potius voluntate et virtute Angeli, et istius assignant quasi duplicem rationem. Una ratio est ex parte Angeli, quoniam Angelus existens omnino spiritualis et simplex et incorporeus nullum corporale organum sibi obsistit; ideo penetrans organa corporalia praesentat se obtutibus intellectus diffundens suam similitudinem in intellectum ipsum, qua mediante ipsum contemplatur et intuetur. Alia est ex parte intellectus nostri. Intellectus enim noster, secundum Augustinum XII. de Trinitate [3], habet duplicem faciem sive duplicem aspectum: inferiorem, quo negotiatur circa ista inferiora corporalia et temporalia, et quantum ad istum aspectum pertinet ad eum *scientia;* alium superiorem, quo versatur circa superiora intellectualia et aeterna, et quantum ad hunc aspectum pertinet ad eum *sapientia*, et quoniam quantum ad istum aspectum non dependet a phantasmatibus neque speciebus a phantasmatibus acceptis informatur, sed potius ad superiora aspicit, ideo Angelum sibi praesentem potest videre et contueri et in eum defigere suum intellectualem aspectum, quo modo et semetipsum et ea quae in eo sunt intuetur. Tamen hoc non potest, quia distracta et quasi tota circa sensibilia occupata, nisi in semetipsam redeat, relictis phantasmatibus.

*Alii* autem dicunt, quod quamvis intellectus et semetipsum et ea quae in eo sunt secundum sententiam Augustini possit

[1] Cap. 9. n. 16. seqq.

[2] Supra pag. 332. — Locus August. est VIII. de Trin., c. 6. n. 9; sequitur lib. XII, c. 15. n. 24.

[3] Cap. 3. n. 3; c. 14. n. 22. et c. 15. n. 25.

intueri, non tamen potest Angelum in sua puritate conspicere: *primo*, propter intelligentis et intelligibilis improportionem. Substantia enim separata in sui puritate excedit vires et statum intellectus coniuncti, qui, quamdiu coniunctus est corpori, non potest perfecte expiari a labe et nube phantasmatum et idcirco angelicam substantiam in sua specie non potest contemplari. — *Secundo*, propter intellectus distractionem. Quamdiu enim intellectus coniunctus est corpori animali, cura eius distrahitur, ita quod virtus eius multum remittitur et gravatur ex corporis infirmitate et gravitate, iuxta quod dicitur Sapientiae 9 [1]: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Sic autem aggravatus intellectus et virtus eius remissa non potest elevari ad angelicam substantiam contuendam. — *Tertio*, propter necessariam intelligentis sive videntis et visi coniunctionem. Non est enim possibile, ut anima videat seu contempletur Angelum extra corpus existentem; ergo necesse est, ut penetret omnia corporalia organa et sic spiritualiter applicetur et fiat praesens intellectui nostro. Quod autem Angelus intra corpus existens immediate moveat intellectum nostrum, non est possibile sine raptu. Nam et quando movet mediante phantasmate, necesse est, mentem « abripi aut alienari a corporis sensibus », sicut apparet fere in omnibus revelationibus imaginariis. Et hoc dicit Augustinus XII. super Genesim ad Litteram [2]; et ultra hoc non invenitur hoc scriptum nec in novo nec in veteri testamento, quod tamen Scriptura non tacuisset; immo beatae Mariae Virgini apparuit Gabriel in corpore assumto.

Quae istarum opinionum sit verior, temere affirmare non audeo; indubitanter tamen assero, sive possit hoc intellectus coniunctus per naturam sive non possit, quod hoc potest per donum gratiae elevantis et *virtute divina*. Et hoc dicit plane Gregorius XXVIII. libro Moralium [3] distinguens angelicam locutionem vel potius divinam per Angelum. Ait enim: « Aliquando loquitur Deus homini per Angelum imaginibus impressis in sensum corporeum, aliquando imaginibus impressis in

---

[1] Vers. 15.

[2] Cap. 12. n. 25. Dein alluditur ad Luc. 1, 26. seqq.

[3] Cap. 1. n. 3. et deinde n. 9.

spiritum; nonnunquam per Angelum humanis cordibus ita loquitur, ut ipse quoque Angelus mentis obtutibus praesentetur ». Et infra bene post: « Humanum cor ipso carnis corporalis pondere gravatum hanc ipsam corpulentiam suam quasi obicem sustinens interna non penetrat et grave exterius iacet, quia manum sublevantem [interius] non habet. Unde fit, ut Prophetarum sensibus ipsa, ut est, subtilitas angelicae virtutis appareat, eorumque mens quo subtili spiritu tangitur, levetur; et iam non [pigra torpensque] in imis iaceat, sed repleta divinis [1] afflatibus ad superiora conscendat, atque [inde quasi] de quodam rerum vertice quae infra se sunt futura praevideat ». Sed quis aut qualis sit iste contactus sive applicatio, difficile est intelligere, et ideo non audeo explicare.

Sic igitur dico ad quaestionem, quod intellectus coniunctus potest intelligere substantias separatas 1/ cognitione *quia* per effectuum manuductionem et 2/ cognitione *quid est* imperfecte et semiplene tum per subtilem inquisitionem, tum per impressam notionem, tum per divinae lucis irradiationem. 3/ Utrum autem contuitive possit eam in sua specie cernere, utrum possit vel non possit per naturam, nescio; hoc tamen scio, quod potest per donum gratiae et virtutem divinam.

His visis, possumus respondere ad obiecta.

Ad 1. pro prima parte, quod scilicet intellectus coniunctus non possit intelligere substantias separatas; dicendum, quod verbum Avicennae intelligendum est *secundum legem communem* et quantum est de communi usu hominum. Tamen non est inconveniens, aliquos ita esse elevatos per aliquod gratiae donum et ita abstractos a sensibus, ut Angelos videre possint.

Ad 2. et 3. de Dionysio et Commentatore eodem modo respondendum est, nisi velimus dicere, quod per ista signa et figuras manuducitur, sed manuductus et admonitus et adiutus atque excitatus in semetipso contemplatur.

Ad 4. dicendum, quod Angelus cognitus est in mente cognoscente non per suam essentiam, sed per suam *speciem*, non ab Angelo acceptam, sed a Deo impressam, quantum est de lege communi. Augustinus tamen ibi loquitur de artibus, quae per semetipsas, non per suas species sive similitudines sunt in

[1] Textus originalis habet *intimis*.

anima. Logica enim et Grammatica non est in intellectu per suam speciem vel suam intentionem, sed per suam essentiam; nam nusquam est nisi in intellectu [1].

Ad 5. dicendum, quod ad visionem corporalem requiritur necessario *distantia localis*, quia visibile super visum positum non videtur, ut dicit Philosophus II. de Anima [2]. Sed ad visionem intellectualem non exigitur, et ideo, quamvis praesens Angelus sit menti, bene potest videri, tamen semper accipitur ut distans in ratione obiecti.

Ad 6. patet responsio, quoniam *de lege communi* non potest; et si Angelus posset, quantum est ex parte sua, se obtutibus mentis praesentare, intellectus tamen sine aliqua virtute elevante non posset illum videre.

Ad 7. dicendum, quod non oportet, ut species repraesentans rem *ipsi rei adaequetur*. Nam supponimus, quod Deus videtur ab intellectu beato per speciem in aciem intellectus impressam, ipsum informantem, et tamen multo est inferior. Similiter Angeli inferiores cognoscunt superiores per species, et tamen constat, quod species in Angelis inferioribus multo sunt inferiores et minus simplices quam Angeli superiores. Propterea dicendum est, quod species repraesentans rem adaequatur rei non simpliciter, sed secundum exigentiam virtutis cognitivae, hoc est, tantum repraesentat et exprimit rem, cuius est species, quantum se extendit in cognitione virtus cognoscitiva secundum plus et minus, perfectius et minus perfecte; et ita est hic.

Ad 8. respondendum *per interemptionem minoris*. Illa enim species ab Angelo in mentem humanam diffusa est eiusdem rationis eo modo, quo species est eiusdem rationis cum eo cuius est species, quia ab ipsa re originata eam exprimit et in eius cognitionem ducit, tamen secundum exigentiam virtutis cognoscitivae, ut dictum est, quia receptum est in recipiente per modum recipientis, non per modum recepti [3].

Ad 9. dicendum, quod in cognitione substantiarum separatarum, prout eas cognoscit, concurrit virtus intellectus agentis

---

[1] A C legunt: *Nam* (A *non*) *nunquam est nisi in intellectu;* et B: *non nusquam est nisi intellectu.*

[2] Text. 73. (c. 7.): « Si quis ponat id quod habet colorem, super ipsum visum, non videbit ».

[3] Libr. de Causis, propos. 10. et 20.

et possibilis; possibilis ut *intelligentis*, agentis vero non ut abstrahentis earum species a phantasmatibus, sed intellectum possibilem *confortantis*, vigorantis et illustrantis. — Quod vero dicit, quod actio agentis non est nisi abstrahere phantasmata, falsum est; immo, vigorare, confortare et illustrare possibilem intellectum.

Ad 10. dicendum, quod re vera portio superior et inferior non sunt diversae substantiae seu potentiae, sed eiusdem potentiae *diversa officia*, diversi aspectus et facies: una respectu superiorum, alia respectu inferiorum. Nec est inconveniens, quod una et eadem potentia, ut respicit superiora, habeat sibi impressas intelligendorum rationes, non autem, ut respicit inferiora.

Ad 11. iam patet responsio, quia in cognitione substantiarum separatarum intellectus possibilis patitur suo modo et movetur ab agente, non autem ut ab abstrahente species eorum a phantasmatibus, sed ut vigorante, confortante et illustrante ipsum, nec actio agentis solum est in phantasmata, sed in ipsum possibilem, ut dictum est.

Ad. 12. patet etiam responsio, quoniam ad illam cognitionem concurrit virtus [1] utriusque eo modo, quo dictum est. Nec est intelligendum, quod intellectus agens illuminet Angelum, sed illuminat possibilem intellectum, vigorat et confortat ipsum.

Ad 13. dicendum, quod Avicenna nescivit, quid dixit, quoniam Angeli leguntur in Scriptura apparuisse non tantum Sanctis, immo iniquis, et viderunt eos transfiguratos, ut Adam post peccatum, ut Cain, ut Balaam. Et tamen argumentum non valet, quia nec hoc nec illud est de lege communiter, sed de imperio Dei.

Ad 14. dicendum, quod mens humana absque dubio tantae nobilitatis est, ut solus Deus possit in ipsam influere et imprimere et eam possit informare *effective*. Cum autem Angelus dicitur mentem illuminare, non est intelligendum effective, sed *manuductive*. Ipse autem Deus est, qui interius docet et illuminat mentes, tamen Angelus ministrat species intelligibiles, quas tamen non imprimit aut efficit in animam, sed offert, et anima facit et transformat in se, ut alias visum est.

---

[1] A B legunt *virtutis*.

Ad 15. dico, quod hoc non potest de lege communi; et si Angelus possit, quantum in se est, tamen intellectus non potest capere, nisi elevetur. Et tunc dico, quod non esset inconveniens, quod miraculose et divina virtute caecus colorem cognosceret. Vel dicendum, quod quamvis posset Angelus species rerum intellectualium diffundere in nostrum intellectum, tamen non posset anima recipere species rerum sensibilium, utpote colorum, quoniam intellectus humanus habet determinatum modum agendi per naturam. Unde secundum Augustinum [1] rerum corporearum notitiam nata est capere ministerio et adminiculo sensuum; rerum autem incorporearum per semetipsam, ut saepe dictum est.

Ad 16. dicendum, quod, ut dictum est, illum contactum, quem ponit Gregorius, valde difficile est intelligere, tamen imaginatio decipit hic, quia nec secundum partem nec secundum totum, non enim est ibi totum et pars sicut in corporalibus. Tamen sicut corporalia habent suas superficies et suum profundum et dum contingunt se, contingunt se in suis superficiebus, non in profundo, ita illae substantiae habent suo modo simplici quasi suum exterius suum interius, ita quod exterius, non interius se contingunt et quasi in superficie, non in profundo. Sunt enim substantiae fixae et per se subsistentes, et ideo quaelibet in se subsistens potest aliam modo suo sine illapsu contingere. — Quod obiicit de indivisibilibus, dico, quod Philosophus loquitur de indivisibilibus corporalibus, quae non habent in se substantiam, sed dependent ab aliis. — Si ulterius urgeatur: Si Angelus ingreditur corpus, et anima est in corpore, tunc sunt in eodem loco, ergo sunt simul; dico, quod anima non est in corpore proprie ut in loco, sed ut perfectio in perfectibili, Angelus autem ut motor et ut in loco. Nihil autem refert, duas substantias spirituales esse in eodem corpore secundum diversum modum essendi. Istud autem argumentum tangit quaestionem de inhabitatione et obsessione corporum a daemonibus.

Ad 17. dico, quod illud Philosophi non est intelligendum, quod intellectus noster nullo modo intelligat substantias separatas, sed quia exiguum est valde quod intelligit et exigue,

---

[1] VIII. de Trin. c. 6. n. 9. et lib. X. c. 7. n. 10.

tenuiter et debiliter et quasi caecutiens illud modicum cognoscit, nisi cum elevatur ad eorum contuitum per donum gratiae specialis.

Ad 18. dicendum: absque dubio ad hoc, quod cognoscatur causa per effectum vel signatum per signum, oportet, aliquam cognitionem praecedere de causa vel de signato [1], sed generalem, indeterminatam et in habitu. Postmodum autem per effectus et per signa manuducitur in ampliorem et magis determinatam cognitionem. Verbi gratia: video motum; scio, quod ab aliquo movente est; habeo ergo notitiam de movente. Sed tunc investigando manuducor, quousque venio ad aliquam determinatam cognitionem. Praecedit etiam cognitio in habitu. Statim autem commemoratus intellectus vel per verba vel per effectus ducitur in cognitionem actualem.

Ad argumenta pro altera parte dicendum:

Ad 1, quod quamvis auctoritati Avicennae non sit standum in ista materia, quia ipse erravit; possumus tamen dicere, quod ad hoc, quod illae substantiae intelligantur, non est defectus ex parte ipsarum, quae sunt per se intelligibiles, sed est defectus ex parte intellectus nostri, qui, quamdiu coniunctus est, gravatus corpore corruptibili ad illarum contemplationem elevari non potest per se.

Ad 2. patet responsio. Concedo enim, quod demonstrative potest probari, tales substantias esse, sicut et nonum caelum, quod non deprehenditur visu, et aliqualiter venire potest intellectus ad notitiam quidditatis earum, ut dictum est.

Ad 3. dicendum, quod Angeli possunt videre cogitationes phantasticas, cogitationes autem intellectuales, ut dicit Gennadius [2], videre non possunt, nos autem cogitationes eorum intellectuales in se de lege communi non possumus videre, et Angeli non imprimunt aut in phantasiam nostram aut in intellectum species intelligibiles; sed secundum cogitationes suas formant et quasi transformant phantasmata nostra commiscendo, componendo, dividendo, ordinando, disponendo secundum omnem modum et omnem figuram, quam volunt, iuxta exigentiam rerum revelandarum.

---

[1] Ita videtur habere A; B habet *signo* et C legit *de signo vel de signato*.

[2] De Ecclesiast. Dogmat., c. 81.

Ad 4. dicendum, quod intellectus noster potest abstrahere quidditates a rebus materialibus et quidditatem a quidditate, tamen quidditates rerum materialium nunquam ducunt perfecte in cognitionem illarum quidditatum, quia quidditates substantiarum separatarum excedunt incomparabiliter omnem quidditatem rerum materialium. — Ulterius istae quidditates sunt alterius generis et rationis. Species autem alterius generis et rationis nunquam ducit in cognitionem rei alterius generis et rationis, sicut species soni [1] in cognitionem coloris. Et ideo species rerum materialium nunquam ducunt in cognitionem substantiarum separatarum.

Ad 5. dicendum, quod, ut in principali solutione dictum est, nunquam intellectus in vita ista perficitur omnibus intelligibilibus speculativis, et si perficeretur, propter hoc illas substantias non intelligeret perfecte, quia ista non ducunt perfecte in earum [2] cognitionem. — Ulterius dato, quod non esset necessaria abstractio a phantasmatibus, tamen intellectus coniunctus, gravatus corruptibili corpore et distractus cura eius, nunquam est proportionatus ad illas substantias perfecte contemplandas et in sua substantia.

Ad 6. dicendum, quod intellectus potest sine phantasmate intelligere quidditates, quae sunt sine quantitate, quidditates, inquam, quarum cognitio non excedit vires et statum suum. Cognoscere autem perfecte quidditatem substantiarum separatarum vires et statum intellectus coniuncti excedit.

Ad 7. dicendum, quod quamvis quantitas non sit de ratione substantiae nec de esse eius, tamen nunquam substantiae corporales sunt sine quantitate et aliis accidentibus corporalibus, ita quod simul defertur species substantiae cum speciebus accidentium usque ad phantasiam, et tunc intellectus abstrahit speciem substantiae a phantasmatibus; abstracta autem specie per illam potest intelligere quidditatem substantiae sine omni accidente, ac per hoc sine phantasmate. Tamen non est illa sola causa, quare intellectus coniunctus non potest intelligere substantias separatas, quia non intelligit sine phantasmate; sed

---

[1] Supple: non ducit.

[2] Ita C; alii habent *eorum*.

potius, quia excedunt vires eius et sunt sibi improportionabiles pro isto statu.

Ad 8. dicendum, quod non est simile de sensu et intellectu, quia nullum sensibile excedit vires sensus nec est supra facultatem suae virtutis, immo obiectum suum sibi quasi collimitatum est. Sed aliqua sunt intelligibilia, quae excedunt intellectum non solum humanum, sed angelicum. Hoc autem non est propter eius imperfectionem aut indignitatem, sed potius propter eius nobilitatem, quia ordinatur ad ampliorem et sublimiorem perfectionem.

Ad 9. dicendum, quod, cum dicitur intellectus agens, quo est omnia facere, et possibilis, quo est omnia fieri, illud signum distributivum *omne* non distribuit simpliciter, sed pro his quae subsunt virtuti suae et nec eius facultatem excedunt. Substantiae autem separatae excedunt vires intellectus coniuncti pro statu isto.

Ad 10. dicendum, quod Dionysius non vult dicere, quod corporalia et composita nullo modo manuducant ad cognoscenda aliquo modo spiritualia et simplicia, quia alibi dicit contrarium; sed vult dicere, quod per ea non perfecte cognoscuntur. Unde si possint esse medium aliqualiter manuductivum, non tamen perfecte expressivum vel repraesentativum.

Ad 11. dicendum, quod si fiat comparatio respectu eiusdem, verum est, quia difficilius est separare non separata et intelligere ea, quam intelligere, postquam sunt separata. Sed non est verum respectu alterius; potest enim esse tale intelligibile separatum et tantum excedens nostrum intellectum, quod propter sui excessum difficilius est ipsum intelligere quam alia separare et intelligere.

Ad 12. dicendum, quod ex duplici causa potest sensus impediri a cognitione sive apprehensione alicuius sensibilis, scilicet propter improportionem et propter organi corruptionem, ratione cuius post magna sensibilia non potest sentire sive percipere minora. Quamvis autem intellectus non laedatur ab intelligibili excellenti et post maxima non minus intelligat, immo, magis, minora; non tamen illa magna intelligit propter improportionem sui ad illa, quia excedunt facultatem intellectus coniuncti, saltem pro illo statu. Sed si intellectus intelligeret substantias separatas, non minus, sed multo magis intelligeret alia.

# QUAESTIO VII.

**Septimo quaeritur, utrum intellectus in statu viae possit tantum elevari per donum gratiae, quod videat Deum per essentiam.**

*Et quod non, ostenditur:*

1. Magis excedunt divina intelligibilia simplicia et incorporalia, quam intelligibilia simplicia et incorporalia sensibilia composita et corporalia; sed secundum Dionysium 1. cap.[1] de Divinis Nominibus intelligibilia simplicia incorporalia incontemplabilia sunt sensibilibus compositis et corporalibus: ergo multo magis divina intelligibilibus, ergo nunquam intellectus tantum potest per gratiam elevari, quod Deum per essentiam videat.

2. Item, divina Scriptura inter alios facit mentionem de Moyse[2] in veteri testamento et de Paulo[3] in novo, quod Deum viderint; sed isti non viderunt: ergo nec aliquis in vita ista, quantumcumque per gratiam elevatus, potest Deum videre. *Probatio minoris:* quod Moyses non viderit, dicit Dionysius de Mystica Theologia 1. cap.[4]: « Divinus Moyses audit multarum vocum buccinas et vidit multa lumina, postea a multis segregatur et cum electis sacerdotibus divinarum ascensionum summitatem pertingit, quamvis per hoc quidem non sit cum Deo et contemplatur non ipsum, sed locum, ubi est ». Quod autem nec Paulus viderit, dicit idem Dionysius in epistola ad Dorotheum[5]: « Divinus Paulus cognovisse Deum dicitur, cognoscens illum super omnem existentem intellectum et cognitionem »; sed cognoscere, Deum existentem esse super omnem intellectum et cognitionem, non est ipsum aperte videre: ergo etc.

3. Item, Gregorius XVIII. Moralium[6] super illud Iob 28: *Sapientia abscondita est ab oculis omnium viventium*, enumerans Patres veteris testamenti dicit, quod « Iacob, qui Deum

---

[1] Cfr. supra pag. 348, nota 1.

[2] Cfr. Exod. 3, 2. et c. 33, 11. 18.

[3] Cfr. II. Cor. 12, 2. seqq. et Cornel. a Lapide in v. 4, ubi citat auctores, qui docent, Paulum « hic divinam essentiam vidisse ».

[4] Paragr. 3.

[5] Epist. 5.

[6] Cap. 54. n. 88, ubi explicat illud Iob 28, 21.

se vidisse testatur, Deum non nisi per Angelum vidit. Moyses nihilominus Deum non in se vidit; si enim Deum vidisset, non dixisset: *Ostende mihi temetipsum* »; et post: « Et viderunt ergo Patres testamenti veteris Dominum et tamen iuxta beati Iob sententiam: *Sapientia abscondita est* etc., quia in hac mortali carne consistentibus, et videri potuit per quasdam circumscriptas imagines et videri non potuit per incircumscriptum lumen aeternitatis ». Ex quo habetur, quod Moyses non vidit et quod videri non potest.

4. Item, in quantacumque gratia et quantumcumque perfecta anima separetur, per illam Deum non potest videre; alias gratia viae et patriae essent omnino aequales, cum tamen secundum Sanctos et doctores oporteat, aut gratiam novam infundi, aut eandem gratiam augmentari. Sed anima separata expeditior est in operationibus intellectualibus et efficacior quam anima coniuncta: ergo per nullam gratiam quantumcumque perfectam potest Deum videre in vita ista.

5. Item, status patriae et status viae sunt omnino distincti, ita quod sunt incompossibiles nec simul possunt esse nisi fortassis in Christo propter unionem naturae divinae cum humana. Ergo quod est proprium unius status non potest alii statui convenire; sed videre Deum per essentiam est proprium solius status patriae: ergo impossibile est, per quantumcumque donum gratiae Deum per essentiam videri in via.

6. Item, quia dicebatur, quod illa visio non ponit in statu, quia conceditur quasi raptim et perfunctorie, et donum illud non per modum habitus manentis, obiiciebatur: quoniam qua ratione Deus potest illud donum ad tempus concedere, potest et continuare et per donum continuatum continuare visionem; sed visio illa beatum facit, iste autem est status mortalitatis et miseriae: ergo simul et semel esset quis beatus et miser, simul status gloriae et miseriae, quod est incõnveniens; ergo [et] illud, ex quo sequitur. Ergo per nullum donum gratiae potest elevari intellectus, ut Deum per essentiam videat.

7. Item, Damascenus lib. II. cap. 24.[1]: « Impossibile est, substantiam expertem esse propriae et naturalis operationis »; sed

---

[1] De Fide orthod. c. 23, ubi dicit: « Fieri non potest, ut substantia ulla actu seu operatione naturali careat ».

operationes virium inferiorum ut sensus et imaginationis sunt incompossibiles cum illa sublimi contemplatione divinae visionis: ergo, quamdiu anima utitur actibus virtutum inferiorum, nullo modo potest elevari ad illam visionem. Sed quamdiu intellectus coniunctus est, necesse est, animam uti talibus operationibus, secundum Damascenum: ergo etc.

8. Item, si Paulus vel aliquis Sanctus in vita ista Deum per essentiam vidisset, nunquam ab huiusmodi visione fuisset separatus: ergo nullus Sanctus in vita ista Deum per essentiam vidit. *Probatio consequentiae.* Quaero enim causam separationis. Sed non est causa ex parte videntis, quod velit inde separari, quoniam in illa visione satiatur appetitus iuxta illud Psalmi[1]: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua;* nec ex parte Dei, quoniam divina bonitas, quae liberalissima est, nunquam donum collatum alicui subtrahit sine culpa: ergo etc.

9. Item, quod omnino ponit extra statum viae in statu viae conferri non potest; sed visio Dei per essentiam omnino ponit extra statum viae: ergo nullo modo potest in via concedi. *Probatio minoris* est per illud quod dicitur Exodi 33[2]: *Non videbit me homo et vivet.*

10. Confirmabatur argumentum sic: impossibile est simul esse in via et in termino; sed videns Deum est in termino, quia, ut dicit Augustinus I. de Trinitate[3], « illa contemplatio promittitur nobis actionum omnium finis et aeterna perfectio gaudiorum »: ergo impossibile est, quod existens in via Deum per essentiam videat.

11. Item, qui videt Deum per essentiam cognoscit de Deo, quid est; sed in vita ista non potest de Deo cognosci, quid est: ergo in vita ista non potest per essentiam videri. *Maior* videtur satis manifesta; *minor* probatur per hoc quod dicit Ioannes Damascenus in I. libro[4] cap. 4, quod, « quid Deus est, secundum substantiam omnino incomprehensibile est »: ergo etc.

12. Item, sicut se habet visus corporalis ad videnda corporalia visibilia, ita se habet visus intellectualis ad videnda vi-

---

[1] Ps. 16, 15.

[2] Vers. 20.

[3] Cap. 8. n. 17; cfr. supra pag. 34, nota 2. et pag. 170, nota 1.

[4] Scil. de Fide orthod.

sibilia intellectualia; sed visus corporalis non potest elevari ad videndum aliquid nisi per lumen suum naturale: ergo nec visus intellectualis potest elevari, ut videat aliquid nisi per lumen suum naturale. Sed per lumen naturale nostri intellectus Deus videri non potest: ergo etc.

13. Item, dilectio et cognitio se consequuntur; tantum enim quis diligit, quantum novit. Ubi igitur est cognitio sive visio patriae, necesse est, quod simul sit ibi amor et caritas patriae; sed in via ista impossibile est haberi caritatem patriae: ergo impossibile est, quod videatur Deus per essentiam, quae est visio patriae. *Probatio minoris:* quoniam caritas est principium merendi; quamdiu autem quis est in via, est in statu merendi; in patria autem non est status merendi, nec caritas ibi erit principium merendi: ergo impossibile est, in via haberi caritatem patriae.

14. Item, Augustinus XII. de Trinitate per totum [1] distinguit duplicem portionem rationis: *superiorem*, quae deputatur contemplandis aeternis; *inferiorem*, quae deputatur temporalibus tractandis atque administrandis. Sed quanto anima magis est per gratiam ordinata, tanto melius administrat temporalia; quanto autem magis administrat temporalia, tanto minus contemplatur aeterna: ergo quanto quis magis habet de gratia in vita ista, tanto minus potest Deum contemplari.

CONTRA:

1. Numerorum 12 [2]: *Quis talis sicut Moyses servus meus? Ore enim ad os loquor ei,* [*et palam*] *et non per figuras neque per aenigmata Deum videt;* sed hoc est videre per essentiam: ergo Moyses vidit Deum per essentiam, ergo etc.

2. Item, Gregorius XVIII. libro Moralium [3]: « A quibusdam in hac vita adhuc corporali carne consistentibus, sed tamen inaestimabili virtute crescentibus quodam contemplationis acumine aeterna Dei claritas videri potest ». Ergo per donum gratiae elevantis potest Deus per essentiam videri in vita ista.

[1] Ex. gr. c. 1. n. 1; c. 2. n. 2; c. 3. n. 3. etc.

[2] Vers. 7, seq., ubi Vulgata: At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore.... Dominum videt.

[3] Cap. 54. n. 89. Pro *corporali* textus originalis legit *corruptibili.*

3. Item, quod est alicui par vel aequale in natura, est par et aequale in intelligentia; sed secundum Augustinum, III. libro de Libero Arbitrio [1], « Angelus et anima sunt natura pares, officio dispares »: ergo homo est aequalis Angelo in intelligentia. Sed sancti Angeli vident Deum per essentiam: ergo homo potest videre Deum per essentiam, etiam ex naturalibus.

4. Item, Deus est causa universalis omnium, ita quod sua essentia est causa entium, sua vita causa viventium, sua bonitas causa bonorum; et hoc dicit Dionysius 4. cap. [2] de Divinis Nominibus. Hoc dicit etiam Augustinus I. libro de Doctrina christiana et II. libro Confessionum, « quia est, sumus, et quia bonus est, boni sumus ». Sed nullus cognoscit effectum, nisi cognoscat causam: ergo necessario quicumque videt aliquod entium videt divinam essentiam; ergo non tantum per gratiam, immo per naturam potest Deus videri per essentiam.

5. Item, philosophi cognoverunt Deum per naturam in effectibus suis, ex quibus devenerunt in cognitionem causae; sed certum est, quod gratia simpliciter clarificat et illuminat intellectum ultra lumen naturale: ergo per gratiam simplicem potest videri, ultra quam viderunt philosophi per naturam. Sed hoc est videre Deum per essentiam: ergo etc.

## RESPONDEO:

Cum quaeritur, utrum per donum gratiae possit elevari intellectus in vita ista ad videndum Deum per essentiam; dico, quod hoc potest intelligi duobus modis, scilicet de *lege communi* et quantum ad gratiae habitum, vel de *privilegio speciali* sive singulari et quantum ad specialem influxum. Si secundum legem communem intelligatur, per quodcumque donum gratiae intellectus in vita ista ad illam visionem non elevatur, licet ad illam forsitan disponatur. Ad cuius declarationem intelligendum est, quod Anselmus in libro de Libertate arbitrii cap. 3. [3] distinguit quadruplicem potestatem, quae necessario ad

---

[1] Cap. 11. n. 32.

[2] Passim, praesertim § 1. 2. 4. et 10. — Sequentes loci sunt August., l. de Doctr. christ, c. 32. n. 35. et VII. Confess., c. 12. n. 18. et lib. XI. c. 4. n. 6.

[3] Circa finem.

visionem corporalem concurrit, ita et conformiter possumus in visione intellectuali intelligere. Ait enim: « Alia est potestas [1] in re vidente, alia in re visibili, alia in medio, alia in impediente vel non impediente »; verbi gratia: potestas in re vidente est, quando habet potentiam visivam et organum sanum, quia neque lapis neque caecus videre potest. Potestas in re visibili est, quando obiectum est praesens et non excedit potentiam visivam; si enim sit potentia in vidente et si non sit praesens obiectum, non potest videre, utpote si quis haberet potentiam videndi montem, si mons non esset praesens, non posset montem videre; eodem modo si obiectum esset improportionale visui. Nam oculus vespertilionis lucem solis non potest videre [2]. Potestas in medio est, quando adest medium et est sufficiens. Si enim sit potentia ex parte videntis et praesentia obiecti proportionalis ex parte visibilis, si desit medium, non potest videre, utpote si non sit lux; quidquid enim videtur, videtur in lumine, et ideo de nocte et in tenebris non possumus videre. Potestas in non impediente est, quando ex parte videntis est potentia, ex parte obiecti praesentia, ex parte medii vel lucis sufficientia, nec est aliquid prohibens aut impediens. Nam si aliquid interponatur inter rem visibilem et videntem, omnibus aliis concurrentibus, non potest videre.

Has quatuor potestates necesse est ad intellectualem visionem concurrere. Nam necessaria est ex parte *videntis* potentia disposita, ex parte *obiecti* praesentia proportionata, ex parte *medii* luminis sufficientia, et ex parte *non impedientis* nulla sit resistentia vel prohibentia. Omnes istae tamen potestates oportet intelligi ex parte videntis secundum alium et alium respectum. Sed ad visionem Dei per essentiam sive *facie ad faciem* [3] ista quadruplex potestas deest, ex qua possunt sumi quatuor rationes.

Et primo sumitur ratio ex defectu potestatis ex parte *videntis;* nam etsi adsit potentia, quia intelligentia nata ad Deum contemplandum et videndum, hoc ipso quod est Dei imago — eo enim imago Dei, quo potest cognoscere eum, a quo facta est,

---

[1] Scil. « videndi aliquod corpus ».

[2] Aristot., II. Metaph. text. 1. (alias lib. I. brevior c. 1.).

[3] Respicitur I. Cor. 13, 12.

secundum Augustinum XIV. de Trinitate [1], tamen est infirma, et ideo ad illam aeternam lucem contemplandam in sua claritate non est idonea, quia super defectibilitatem naturae superinducta est obscuritas poenae ex peccato originali contractae. Unde dicit Hugo X. parte I. libri [2], quod « oculus contemplationis est excaecatus », qui ordinatur ad contuenda et videnda intellectualia et divina. Ista est ratio Augustini XV. de Trinitate cap. 26 [3]; « quae causa est, inquit, ut lucem illam fixa acie videre non possis, loquitur sibi ipsi, nisi utique infirmitas, et quis [4] eam tibi fecit nisi iniquitas »?

Secundo sumitur ratio ex defectu potestatis ex parte *rei visibilis*, quoniam, etsi illa lux maxime, quantum est de ratione sui, sit visibilis, tanquam ratio videndi omnia, tamen aut non est praesens in ratione obiecti visibilis, aut si est praesens, omnino est improportionalis intellectui viatoris, ipsum in infinitum excedens. *Habitat enim lucem inaccessibilem, quam nemo hominum vidit, sed nec videre potest*, I. Timothei 6 [5]; ideo lucem illam in sua claritate non potest intueri. Ista est ratio Anselmi in Proslogio cap. 3 [6]; quaerens, cur illam lucem videre non possit, ait: « Cur hoc, Domine? Cur hoc? Tenebratur oculus eius in infirmitate sua, aut reverberatur fulgore tuo? Sed certe et tenebratus in se reverberatur a te utique et obscuratur sua brevitate et obruitur tua immensitate, vere et contrahitur angustia sua et vincitur amplitudine tua ».

Tertio sumitur ratio ex defectu potestatis ex parte *medii*, scilicet ex parte gratiae, quae est quasi lumen quoddam, quo Deus videtur, infusum a sole iustitiae, quo videtur Deus. Gratia autem viae ad videndum Deum per essentiam non ordinatur. Unde cum quantumcumque gratia anima separaretur, per illam non videret Deum, immo necesse est, gratiam per essentiam

---

[1] Cap. 8. n. 11: « Eo quippe ipso imago eius est, quo eius capax est, eiusque particeps esse potest ». Ibid. c. 12. n. 15. dicit: « Haec igitur trinitas mentis non propterea Dei est imago, quia sui meminit mens et intelligit et diligit se, sed quia potest etiam meminisse et intelligere et amare a quo facta est ».

[2] De Sacrament., c. 2. — Pro *excaecatus* textus originalis legit *extinctus*.

[3] Potius c. 27. n. 50.

[4] Textus originalis habet *quid*.

[5] Vers. 16. Pro *quam nemo* Vulgata legit *quem nemo*.

[6] Potius cap. 14.

augmentari, aut aliam novam gratiam ampliorem infundi, ut in opponendo tactum est, alias gratia viae esset aequalis gratiae patriae. Nec gratia vel lumen gratiae ordinatur ad quietandum in terminum, sed magis ad dirigendum in motu. — Rursus, gratia in statu viae non sufficit reddere oculum intellectualem perfecte luci conformem ad hoc, quod Deum in sua videat claritate, et ideo per quantumcumque donum gratiae Deus in via videri non potest. Haec est ratio Augustini ad Italicam, in numero Epistolarum 6[1]: « In tantum Deum videmus, in quantum similes sumus; in tantum non videmus, in quantum dissimiles sumus. Inde ergo videbimus, unde similes erimus; tanto autem efficimur similiores illi, quanto magis in eius cognitione et caritate proficimus, ita sane, ut in hac vita quantuscumque provectus longe absit ab illa perfectione similitudinis, quae idonea erit ad videndum Deum, sicut dicit Apostolus I. ad Corinthios 13[2], *facie ad faciem* ».

Quarta sumitur ratio ex defectu potestatis ex parte *impedimenti*. Nam, ut dicitur Sapientiae 9[3], *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*. Quamdiu ergo anima aggravatur corruptibili corpore et sarcina corporis deprimitur, in quacumque gratia non potest mens elevari ad tam sublimem contemplationem. Unde Exodi 33.[4] dixit Dominus Moysi: *Non videbis faciem meam. Non enim videbit me homo et vivet; vivet*, scilicet carne mortali. *Quando autem corruptibile hoc induerit incorruptionem et mortale hoc induerit immortalitatem*, I. ad Corinthios 15[5], ubi « quod fuit sarcinae erit gloriae », expeditius fertur in Deum, ut dicit Augustinus XII. super Genesim ad litteram in fine[6]. Haec est ratio Gregorii IV. libro Moraliium[7] super illud: *Obtenebrentur stellae caligine eius*, ubi

[1] Nunc Epist. 92. n. 3.

[2] Vers. 12.

[3] Vers. 15.

[4] Vers. 20, ubi Vulgata: Non poteris videre faciem etc.

[5] Vers. 53. seq., ubi Vulgata: Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem etc.

[6] Cap. 35. n. 68.

[7] Cap. 24. n. 45, ubi explicat Iob 3, 9.

dicit: « Multi in tenebris vitae praesentis, dum superiora de se exempla exhibent, astrorum more nobis desuper fulgent. Sed quantalibet coruscatione operis fulgeant, quantolibet igne compunctionis se accendant; nimirum constat, quia dum corruptibili adhuc carne gravati sunt, aeternum, sicut est, videre lumen nequaquam possunt ».

Quia igitur ex parte obiecti visibilis est improportionis excessus, ex parte videntis est infirmitatis defectus, ex parte medii gratiae est insufficientia, ex parte corporis corruptibilis est resistentia et prohibentia; ideo dico, quod, quantum est de communi lege, per quantamcumque gratiam in vita ista intellectus Deum videre, sicut est in sua claritate, non potest. Quamvis autem hoc non possit de lege communi et per gratiae habitum, potest de privilegio speciali et per specialem influxum sive donum. Hoc ideo dico, quoniam, ut puto sine praeiudicio, aliqui ampliorem et maiorem habitum gratiae habentes ad hanc contemplationem non sunt elevati et aliqui minorem gratiae habitum habentes per aliquod speciale donum vel influxum ad hanc contemplationem provecti sunt. Supponimus enim, sicut iam videbitur, ad hoc assumtos Moysen et Paulum, quibus fortassis Petrus et Ioannes in gratia impares non fuerunt, quos ad istum contemplationis gradum assumtos non legimus, et ideo hoc non attribuimus gratiae habitui, sed speciali influxui, per quem quidem influxum et specialis gratiae donum et auxilium, dico indubitanter, Deum in vita ista per essentiam posse videri. Cuius rationem sumo ex tribus.

Primo, ex parte *divinae potentiae*, quae in creatura potest quidquid vult, quod non implicat contradictionem nec derogat suae potentiae et sapientiae. Unde sicut « ex corporibus potest quas voluerit qualitates subtrahere, aliis remanentibus », ut ex igne calorem, remanente luce, et ex corporibus terrenis, remanente corporeitate, auferre gravitatem vel simpliciter vel ad tempus, ut dicit Augustinus ad Consentium, in numero Epistolarum 87 [1], ita ex spiritibus potest quas voluerit auferre et detrahere proprietates contrarias et alias superinducere, ut detrahere obscuritatem et superinducere claritatem, remanentibus aliis, et hoc ad tempus, ac per hoc assumere animas, quas

[1] Nunc Epist. 205. (alias 146.) c. 1. n. 4, paucis mutatis.

dignas et idoneas iudicaverit ex causis, quas ipse novit, ad istam excellentissimam visionem.

Secunda ratio est ex parte *humanae intelligentiae*, quae, ut praedictum est, hoc ipso, quod est ad imaginem Dei, ordinata est ad Deum videndum tanquam obiectum beatificum, in quo recipit suae naturae complementum; quia igitur ad hoc habet naturalem aptitudinem, Deus ad hoc potest eam elevare, sopitis ad tempus et suspensis actibus virium inferiorum.

Tertia ratio est ex parte *gratiae*. Nullus enim est defectus naturae, quem gratia supplere non possit vel simpliciter auferendo vel ad tempus remittendo, ut nullum afferat impedimentum operationibus intellectualibus. Et ideo intellectui coniuncto adhuc in via existenti per speciale donum et influxum gratiae elevantis et sopientis et quodam modo ad tempus quietantis vires inferiores potest concedere, ut elevetur ad Deum per essentiam atque in sua claritate, sicut est, contemplandum. Et supponimus, hoc fuisse concessum Moysi et Paulo, legislatori et praecipuo ministro et praedicatori Evangelii. Et de Paulo dicit Augustinus ad Orosium penultima quaestione [1]: « Ob id raptus fuerat Paulus in tertium caelum, id est intellectualem visionem, ut Deum non per corpus, non per similitudinem corporis, sed sicut est ipsa veritas, cerneret. Profecto pervenerat Paulus, ut Deum sic in ista vita videret, sicut Sancti post hanc vitam ». In XII. quoque super Genesim cap. 12 [2]: « Cur non credamus, quod tanto Apostolo, doctori gentium, rapto usque ad illam visionem excellentissimam voluerit Deus demonstrare vitam, in qua post hanc vitam vivendum est in aeternum? Et cur non dicatur hoc paradisus paradisorum »? Et in 14. capitulo: « Tertium caelum intelligitur illud genus visionis, quo anima abrepta a sensibus corporis atque mundata, ut ipsam Dei substantiam Verbumque Dei, *per quod facta sunt omnia* [3], in caritate Spiritus sancti ineffabiliter valeat videre atque audire. Non inconvenienter arbitramur, illuc raptum esse Apostolum Paulum ». Idem in Epistola ad Paulinam de Videndo Deo,

[1] Scil. Dialog. Quaest. 65 ad Oros. (inter opera August.), quaest. 63.

[2] Scil. super Gen. ad litt., sed c. 28. n. 56. Expressio « paradisus paradisorum » habetur ibid. c. 34. n. 67, ubi habetur etiam seq. locus.

[3] Cfr. Ioan. 1, 3.

in numero Epistolarum 62 [1], dicit hoc idem. De Moyse autem dicit in Epistola eadem, cum quaereret a Domino, Exodi 33 [2]: *Ostende temetipsum mihi manifeste:* « Accepit in praesenti [3] congruum responsum, quod faciem Dei videre non posset, quem nemo potest videre et vivere, hoc modo Deo significante, vitae alterius posterioris hanc esse visionem ». Et post: « Desiderio eius illud quod petierat, concessum est in libro Numerorum cap. 12 [4], ubi dicit, aliis Prophetis in visione se apparere et in somnis, Moysi autem per speciem, non per aenigma, ubi addit dicens: *et gloriam Domini vidit* »; et post: « Quemadmodum concupivit, sic vidit Deum, sicuti est, quae contemplatio cunctis filiis in fine promittitur ».

Asserendum est ergo indubitanter, per speciale donum et gratiae influxum intellectum posse elevari ad Deum in sua claritate videndum; quod istis duobus, scilicet Moysi legislatori et Paulo Evangelii praedicatori, duplici ratione fortassis concessum est: *una* propter utriusque testamenti auctoritatem et confirmationem. Congruum enim videtur et consonum rationi, ut ille qui legem tulit vel potius promulgavit, et ille qui principaliter inter gentes recepturas Evangelium praedicavit, ad Legis et Evangelii confirmationem de ipso veritatis fonte immediate uterque hauserit et ibi uterque viderit salutis praecepta. — *Alia* ratio est propter nostram consolationem, quia Evangelium et Lex non tantum continet praecepta, immo et promissionem illius beatissimae visionis, sed Lex implicite et occulte et involute, Evangelium aperte et manifeste; et ideo ad consolationem credentium et in solatium peregrinorum dignum fuit et congruum, ut illa gloria repromissa praecipuis praedicatoribus revelaretur Legis et Evangelii.

Sed notandum ad intelligentiam obiectorum, quod illud gratiae lumen vel ille specialis influxus potest duobus modis

---

[1] Nunc est Epist. 147. (alias 112.) c. 13. n. 31; ibid. n. 32. habetur alter locus de Moyse.

[2] Vers. 18, ubi Vulgata: Ostende mihi gloriam tuam; deinde respicitur vers. 20.

[3] Textus originalis hic habet in *praesentia* et infra legit *quam nemo* pro *quem nemo*.

[4] Vers. 6. seqq. — Textus originalis sic habet: « Desiderio eius etiam illud, quod petierat, fuisse concessum, in libro Numerorum postea demonstratum est, ubi » etc.

intelligi: vel ut habitus manens; et hoc modo nulli fuit concessum in vita ista, sic enim beatum facit et omnino ponit extra statum viae; vel ut passio raptim afficiens et transiens, et hoc modo, quamvis elevet ad participationem alicuius actus conformis et similis gloriae, non tamen facit beatum, nec extra statum viae ponit, licet statum viae pro illo momento excedat. His visis, pro magna parte patet responsio ad obiecta.

Ad 1. dicendum, quod illud argumentum procedit ex falso intellectu auctoritatis. Non enim vult dicere Dionysius, quod creatura intellectualis non possit per gratiam immaterialia, simplicia et intellectualia contemplari, et quod ista non sint contemplabilia et cognoscibilia creaturae rationali, sed vult dicere, quod materialia et composita et sensibilia *non perfecte* ducunt in cognitionem immaterialium, simplicium et intellectualium, quamvis aliquo modo ad illa cognoscenda manuducant. Unde illi ablativi potius dicunt habitudinem et rationem medii quam agentis.

Ad 2. dico, quod secundum Augustinum Moyses vidit Deum per essentiam. Sed ut ipse dicit in supra dicta Epistola et XII. super Genesim et II. de Trinitate cap. 16[1], ubi movet istam quaestionem, dicit, quod primo in monte Sinai, quando Legem accepit, Deum per essentiam non vidit, sed « *in subiecta creatura* »; et in hoc concordat Dionysius. Et sic vidit per figuram. Quod ostendi sibi petiit faciem Domini vel divinam substantiam: *Si*, inquit Exodi 33[2], *inveni gratiam coram te, ostende mihi temetipsum*. Dicitur et ibi *loqui ore ad os, sicut homo solet loqui ad amicum suum*, quia in creatura subiecta per Angelum ita voces modificabantur, quasi essent amici loquentis ad amicum. Sed postea vidit Deum *facie ad faciem*, sicut concupivit et petiit a Domino, ut narratur Numerorum 12. et Augustinus dicit expresse in Epistola supra dicta et pluries explicatum est. De ista autem visione Dionysius mentionem non facit. — Quod dicit de Paulo, dico, quod indubitanter tenendum est, Paulum in raptu Deum per essentiam vidisse, ut Augustinus

---

[1] Num. 27. seq.; adhuc clarius habetur ibid. c. 15. n. 25.

[2] Vers. 13; ubi Vulgata: Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam; deinde v. 11, ubi Vulgata *facie ad faciem* pro *ore ad os*, quae verba sunt Num. 12, 8, ut deinde sequitur.

asseverat. Nec hoc Dionysius negat, sed dicit tantum, quod dicitur cognovisse, cognoscens illum existentem super omnem intellectum et cognitionem, non tantum cognoscens, quia talis, sed talem cognovit, qui est super omnem cognitionem, ipse tamen cognovit. Et hoc dicit in commendationem Pauli.

Ad 3. iam patet responsio, quoniam, quantum est de lege communi, nec Patres testamenti veteris nec novi Deum per essentiam viderunt. Tamen Gregorius non negat, immo concedit, quod *per donum gratiae specialis* videri possit, sicut apparet per verba sequentia superius [1] allegata. — Quod autem dicit de Moyse intelligendum est de visione in monte Sinai, quando fuit Lex data, ut supra [2] expositum est; qui licet tunc non viderit, tamen postmodum vidit, sicut petiit, ut dicit Augustinus.

Ad 4. dicendum, quod, ut dictum est [3], quod mens elevetur ad Deum videndum in vita ista, non est ex habitu gratiae, sed *ex speciali influxu*, qui non manet, sed statim transit et quasi raptim animam tangit et ideo, in quantacumque gratia anima separetur, Deum videre non potest, nisi amplior gratia infundatur. Si tamen ponatur, quod in illo statu [4], quo mens illo influxu gratiae vel illo lumine tangitur et afficitur, separaretur, non esset fortassis inconveniens, quod per illam gratiam Deum immediate contemplaretur.

Ad 5. dicendum, quod status re vera sunt incompossibiles. Tamen non est inconveniens, quod aliquis in statu viae existens illum statum *ad aliquod momentum excedat* et aliquem actum alterius status participet. Ergo visio Dei, prout est propria statui patriae, non competit statui viae, quia nec viatori ut viatori conceditur, sed in quantum statum illum excedit, nec ut est propria illi statui, quia propria est illi statui ut manens et continua, et hoc modo facit beatum. Illa autem quasi *raptim* et *perfunctorie* conceditur.

Ad 6. dicendum, quod fortassis Deus *non posset illud donum continuare*, statu manente, quia tunc sequeretur statuum confusio, et quod simul esset quis beatus et miser, mortalis et

---

[1] Pag. 363, nota 6. et pag. 366, nota 3.

[2] Pag. 374, nota 1.

[3] Pag. 371.

[4] Codd. A C legunt *in illo instanti*.

immortalis; bene posset tamen tantam plenitudinem gratiae infundere, quod omnino mortalitatem et miseriam absorberet et in alium statum transferret. Sed hoc melius videbitur quaestione sequenti.

Ad 7. dicendum, quod operationes possunt duobus modis intelligi, scilicet in *habitu* vel in virtute et in actuali usu et *exercitio*. Si in habitu et in virtute nulla substantia est expers propriae operationis nec ea unquam privatur, quia potest exire in actum suum loco et tempore; tamen non oportet, quod semper sit in actuali usu et exercitio. Non enim oportet, quod semper intellectus intelligat actu, et ideo non est inconveniens, ad tempus suspendi actus virium inferiorum, quando anima elevatur ad illam excellentissimam contemplationem.

Ad 8. dicendum, quod Paulus et aliquis alius, quicumque ad illum gradum contemplationis fuit assumtus, ab illa fuit subtractus vel illa sibi subtracta, etsi sine culpa, non tamen sine causa: sine culpa quidem, quia, sicut non meruit ad illam assumi, sed gratis ad illam fuit elevatus, ita nec eam sibi subtrahi demeruit; non tamen sine causa, quoniam non fuit concessa nisi ad tempus, nec ut habitus manens. Et ideo eadem ratione et causa, qua concessa fuit pro illo instanti, eadem fuit subtracta.

Ad 9. dicendum, quod illa visio, etsi statum viae excedat, non tamen ponit omnino extra statum viae, quia, ut saepe dictum est, actus transiens statum non facit nec in statu ponit, sed habitus manens. Illa autem visio et illud donum fuit concessum magis, ut passio raptim afficiens quam habitus continue manens. Ad id autem, quod dicit de illa auctoritate Exodi [1]: *Non videbit me homo et vivet*, respondet Augustinus II. de Trinitate cap. 17. [2] dicens, « faciem illam nemo potest videre et vivere, sive quia post hanc vitam, in qua *peregrinamur a Domino* [3], *et* [*ubi*] *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*, tantum videmus, sive etiam quod nunc in quantum Dei sapientiam, secundum quam facta sunt omnia, spiri-

---

[1] Cap. 33, 20.

[2] Num. 28.

[3] II. Cor. 5, 6, ubi Vulgata: Dum sumus in corpore, peregrinamur etc.; loc. seq. est Sap. 9, 15.

tualiter videmus[1], in tantum carnalibus morimur, ut mortuum nobis hunc mundum deputantes nos quoque ipsi huic mundo moriamur ». Hanc eandem sententiam ponit Gregorius XVIII. libro Moralium[2] super illud: *Sapientia abscondita est ab oculis omnium viventium.*

Ad 10. dicendum, quod videns Deum per essentiam, sic non est in termino, quamvis aliquo modo, ut dictum est, statum viae excedat. Nec ad illam contemplationem fuit assumtus tanquam ad finem completum et ultimatum, quia non habet rationem finis, nisi ubi manet et continuatur, non ubi momentanee et raptim animum afficit et transit.

Ad 11. potest responderi per *interemptionem maioris* et *minoris.* Per interemptionem *maioris,* quoniam non omnis, qui videt aliquam rem, novit quidditatem sive quid est, sicut docet experientia; per interemptionem *minoris,* quoniam in vita ista de Deo potest sciri, quid est, non tantum privative, sed positive, non tam plene et perfecte, sed semiplene et imperfecte notitia utcumque apprehensiva, non comprehensiva, ut: quod Deus est summum ens, summum bonum, aeternum et his similia. Et hoc dicit Damascenus ibi, quod *quid est* de Deo secundum substantiam est incomprehensibile.

Ad 12. dicendum, quod non est simile de visu corporali et intellectuali; quoniam visus corporalis habet obiectum suum conproportionatum et collimitatum, quod non excedit facultatem suae naturae; sed visus intellectus propter sui excellentiam ordinatur ad aliquod obiectum, quod omnino excedit facultatem suae virtutis et luminis naturalis, et ideo ad hoc, quod ad illud videndum elevetur, indiget auxilio et adiutorio luminis supernaturalis.

Ad 13. dicendum, quod sicut mens elevatur ad participandum aliquem actum visionis beatificae, non habitum manentem, ita simul elevatur ad participandum aliquem *actum* illius caritatis et dilectionis, non tamen habitum manentem, qui facit beatum. Nam, ut dicit Augustinus[3] de Trinitate in fine, illud

---

[1] Textus originalis sic legit: « spiritualiter intelligimus, in tantum carnalibus affectibus morimur » etc.

[2] Cap. 54. n. 88.

[3] Forse alludit ad c. 25. n. 45: « Ibi veritatem sine ulla difficultate videbimus eaque clarissima et certissima perfruemur ». Cod. C legit l. de Trinit.; vide

est tale bonum, quod non potest videri et non amari. — Quod dicit, quod caritas est principium merendi; dico, quod, quamvis sit principium merendi, non oportet, quod semper actu mereatur et maxime pro illo actu, in quo statum viae excedit, et ideo pro illo tunc non meruit.

Ad 14. dicendum, quod duplex est status gratiae, status scilicet activorum et contemplativorum; et contemplationi secundum Augustinum deservit portio rationis superior, actioni inferior. Quanto igitur quis plus habet de gratia in statu activorum, tanto melius administrat temporalia, quae quidem tamen administratio quanto ordinatior est, non, ut supponebat, retrahit a contemplatione aeternorum, licet administrando non possit contemplari quis actu, sed magis administratio ordinata ad contemplationem disponit secundum Gregorium [1], quia actio ordinatur ad contemplationem. Quanto autem aliquis plus habet de gratia in statu contemplationis, tanto serenius et sublimius contemplatur aeterna.

Prima duo argumenta pro altera parte concedenda sunt, quia verum concludunt.

Ad 3. dicendum, quod paritas non dicit ibi naturae aequalitatem, sed magis conformitatem, eo quod ordinantur ad eundem finem. Ulterius Angeli sancti per naturam non vident Deum per essentiam, quia sic viderent daemones, sed per habitum gloriae, quo modo et anima potest videre Deum, scilicet per lumen gloriae in patria vel per aliquid illius generis in via.

Ad 4. dicendum, quod in illo argumento sunt multi defectus. Primus, quia non oportet, quod qui cognoscit vel videt effectum, cognoscat vel videat causam aperta contuitione, sed tantum *quia est* vel *quid est*, imperfecte tamen, sicut docet experientia. Secundus est quia dato, quod qui videt effectum, videret causam, non oportet, quod videret causam primam et universalem, sed causam propriam et proximam, causam in

---

ibi c. 13. n. 31: « Vita autem aeterna est in illa contemplatione, qua non ad poenam videtur Deus, sed ad gaudium ». Sed potius pro de Trinitate legendum esse videtur de Civitate Dei, ubi lib. XXII. c. 30. n. 5. legitur: « Ibi vacabimus et videbimus; videbimus et amabimus; amabimus et laudabimus ».

[1] Haec sententia ex diversis locis colligi potest, e. g. V. Moral. c. 11. n. 19; VI. Moral. c. 37. n. 59. seqq.; XVIII. Moral. c. 43. n. 70; XXVIII. Moral. c. 17. n. 37. seqq.; II. Homil. in Ezech. homil. 2. n. 11.

genere, non causam extra genus. Tertius est, quoniam duplex potest intelligi cognitio effectus, scilicet plena et perfecta, et de hac concedo, quod qui cognoscit perfecte effectum, quod perfecte cognoscit causam, quia nunquam cognoscitur effectus perfecte nisi in causa perfecte cognita, secundum Augustinum [1]. Sed quamdiu sumus in vita ista, nunquam perfecte cognoscimus naturam alicuius effectus etiam minimae formicae, minimae muscae aut vermis. Et ideo non oportet, quod eius causa perfecte et immediate videatur.

Ad 5. dico, quod illud argumentum nihil valet: Magis cognoscitur per gratiam quam per naturam; ergo tantum magis. Philosophi enim per naturalem investigationem potuerunt pervenire ad aliqualem notitiam communium, sed fideles per gratiam perveniunt ad notitiam propriorum, illi ad aliquam notitiam speculativam, sed illi ad notitiam experimentalem et sapientialem, quod est multo magis.

## QUAESTIO VIII.

**Octavo quaeritur, utrum intellectus possit elevari ad videndum divinam essentiam sine raptu, sive alienatione ab actibus sensitivis.**

*Quod sic, ostenditur:*

1. Quandocumque aliqua se habent per ordinem, ita quod secunda praesupponunt prima, mutatione facta in secundis, non oportet, mutationem fieri in primis, verbi gratia secundum auctorem libri de Causis et suum Commentatorem super 1. propositione [2]: « Vivum, sensibile et intellectuale se habent per ordinem, ita tamen, quod amoto intellectivo, remanet sensitivum, et amoto sensitivo, remanet vivum ». Sed actus sensus et intellectus ita se habent per ordinem, quod actus sensus prior

---

[1] Potius legendum esse videtur *Aristotelem,* secundum quem unaquaeque res perfecte cognoscitur, cum cognoscitur secundum quadruplex genus causae, I. Metaph. c. 4. (c. 3.). Cfr. S. Bonav., tom. IV. pag. 661, nota 1. et tom I. pag. 72, nota 1. Ceterum, omnem rem certissime et nobilissime per causam proximam et immediatam cognosci, docet August., II. de Gen. ad litt. c. 8. n. 17. seqq., ibid. V. c. 14. n. 32. seqq., et XI. de Civ. Dei, c. 29. Vide S. Bonav., tom. I. pag. 806, nota 5.

[2] Cfr. supra pag. 155, nota 4.

est quam actus intellectus: ergo facta mutatione in intellectu, remanere potest sensus in suo actu. Ergo quantumcumque intellectus elevetur, remanet sensus in actu; sed rapi est abstrahi animam ab actibus sensuum: ergo etc.

2. Item, maior est adhaerentia et dependentia accidentis ad subiectum quam sensus ad intellectum et e converso; sed accidens potest esse sine subiecto et habere actum suum, sicut apparet in Sacramento altaris: ergo multo fortius intellectus praeter hoc, quod a sensibus abstrahatur, potest habere actum suum proprium et perfectum, hoc est videre Deum: ergo etc.

3. Item, Augustinus II. de Trinitate cap. 17. [1] tractans illud Exodi 33: *Non videbit me homo et vivet;* dicit: « Illam faciem, id est *Dei formam*, in qua Filius *non rapinam arbitratus est esse aequalis Deo* Patri, nemo potest videre et vivere, sive quia post hanc vitam, in *qua peregrinamur a Domino, videbimus facie ad faciem*, sive etiam quia nunc, in quantum Dei sapientiam, per quam facta sunt omnia, spiritualiter intelligimus, in tantum huic mundo morimur, ut deputantes nobis hunc mundum mortuum, nos quoque huic mundo moriamur, dicentes cum Apostolo ad Galatas ultimo [2]: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* ». Hanc eandem sententiam et fere eadem verba ponit Gregorius XVIII. libro Moralium [3] super illud Iob 28: *Sapientia abscondita est ab oculis omnium viventium.* Igitur ad videndam divinam essentiam sufficit mori mundo. Sed mori mundo potest aliquis sine raptu sicut viri perfecti, qui omnia propter Deum relinquunt: ergo illi possunt Deum videre sine raptu.

4. Item, multo difficilius est simul ad diversa ferri secundum eandem potentiam quam secundum diversas potentias; sed natura spiritualis secundum eandem potentiam simul ad diversa fertur: ergo multo fortius anima secundum diversas potentias ad diversa poterit ferri; ergo simul Deum contemplari et exercere operationes virium inferiorum. *Maior* manifesta est; *minor* probatur per Augustinum, qui dicit IV. super Genesim ad litteram cap. 13 [4], quod Angeli simul contemplantur rationes

[1] Num. 28; sequuntur Exod. 33, 20; Phil. 2, 6; II. Cor. 5, 6. et I. Cor. 13, 12.
[2] Scil. c. 6, 14.
[3] Cap. 54. n. 88. seq., ubi explicat Iob 28, 21; cfr. supra pag. 363, nota 6.
[4] Potius c. 24. n. 41. seqq.

creaturarum in Deo, simul vident in propriis generibus, simul in se ipsis et ad laudem referunt Creatoris. Et haec omnia simul potest natura angelica mirabili facilitate. Et post: simul hoc totum possunt, hoc totum faciunt. Simul igitur habent diem et vesperam et mane. Certum est nihilominus, quia simul contemplantur et ministrant. Ergo etc.

5. Item, maior est colligantia sensus et imaginationis [1] quam sensus et imaginationis ad intellectum; sed ad elevationem imaginationis ad aliquam visionem imaginariam supra se non oportet abstrahi ab actibus sensuum, immo simul potest videre unum hominem per imaginationem et simul alium per sensum: ergo simul potest Deum videre per intellectum et actu exercere operationes sensus et imaginationis. *Probatio minoris* apparet per Augustinum XII. super Genesim ad litteram, qui dicit cap. 12 [2]: « Cum admixtione alicuius spiritus ita corporalium rerum exprimuntur imagines, tanquam ipsis corporis sensibus corpora praesententur, manente tamen etiam in corporis sensibus intentione, sic videntur quae in spiritu faciunt [3] imagines corporum, quemadmodum corpora ipsa per corpus, ita ut simul cernatur et aliquis homo praesens oculis et absens alius spiritu tanquam oculis ». Ergo etc.

6. Item, ut dicit Anselmus de Casu diaboli cap. 12 [4], in his quae immediate dependent a divina potentia, idem est ea posse fieri, quod Deum ea posse facere, et non posse fieri, quod Deum ea non posse facere. Unde idem est mundum posse creari quod Deum mundum posse creare. Sed elevari ad videndum divinam essentiam in statu viae est opus solius divinae potentiae: ergo non posse Deum videre sine raptu idem est quod Deum non posse ad hoc elevare intellectum. Sed Deus hoc potest: ergo sine raptu potest mens elevari ad Deum videndum. *Probatio minoris* est, quoniam Deus potest omne illud, quod non implicat contradictionem vel defectum potentiae. Sed hoc non implicat contradictionem, quia fecit hoc in Christo; secundum eandem naturam enim contemplabatur continue divinam essentiam et exercebat divinas operationes sensuales et corporales: ergo etc.

---

[1] Supple: ad se invicem.

[2] Num. 25.

[3] Edit. legit *fiunt*.

[4] Textus Anselmi sententialiter tantum hic occurrit.

7. Item, Deus potest videri ab intellectu creato per naturam suam; ergo potest videri sine raptu. *Consequentia* videtur esse manifesta. *Probatio antecedentis* est, quoniam quod aliquid non possit videri, hoc contingit ex duplici causa, scilicet propter defectum praesentiae vel propter defectum evidentiae. Sed Deus est praesentissimus animae. Nam, ut dicit Augustinus VIII. de Trinitate cap. 7.[1] et III. Confessionum cap. 3, Deus est interior intimo nostro et superior summo nostro. Est etiam evidentissimus, cum sit lux clara et pura. Ergo etc.

8. Item, Augustinus XIV. de Trinitate cap. 8.[2] dicit, quod « anima eo imago Dei est, quo capax eius est et particeps esse potest », capax et particeps per cognitionem et amorem; sed imago Dei est per naturam: ergo cognoscere et amare potest per naturam sine gratia. Ergo ad hoc non est necessarium rapi.

9. Item, Gregorius in II. libro Dialogorum cap. 14.[3] narrat, quod, cum beatus Benedictus staret in oratione, « vidit lucem quandam fusam de caelo, ex qua nox sicut dies claruit »; et post dicit, quod illa visione « totus mundus sub uno solis radio collectus ante oculos eius adductus est ». In illa nihilominus visione vidit animam Germani, Capuani episcopi, ferri in caelum. « Ad istud autem tantum miraculum volens sibi testem adhibere, vocavit quendam diaconum, nomine Servandum, qui vidit adhuc unam illius lucis particulam ». Ergo beatus Benedictus simul fuit elevatus a visione Dei et simul habuit visum sensuum, quia fratrem vocavit. Ne autem dicatur, quod Deum tunc non vidit, obviat Gregorius capitulo sequenti[4] respondens Petro quaerenti, quomodo potuit hoc fieri; et dicit, quod « animae videnti Creatorem angusta est omnis creatura. Quantumlibet enim parum de illa luce aspiciat, breve fit ei omne, quod creatum est, et dilatato sinu mentis, supra totum mundum fit ».

10. Item, si oportet, animam rapi a corporibus sensibilibus, hoc non est, nisi quia actus sensuum sunt impedimento actui intellectus; sed actus sensuum non impediunt actum intellectus: ergo etc. *Probatio minoris* est, quia inferior vis non impedit superiorem; sensus est vis inferior intellectu; ergo etc.

---

[1] Num. 11, ubi dicit « Exterius conantur ire et interiora sua deserunt, quibus interior est Deus ». Sed Verbotenus habentur III. Conf. c. 6. n. 11.

[2] Num. 11.

[3] Potius c. 35.

[4] Potius in eodem c. 35.

11. Item, unitur natura corporea animae, unitur anima Deo; sed natura corporea unitur animae, manentibus dispositionibus corporalibus; ergo unitur anima Deo in visione, manentibus dispositionibus suis. Sed disponitur per sensibilia, in quibus Deum contemplatur: ergo sic potest Deum videre, quod sensibilia contemplari.

12. Item, omnis perfectio secundaria quo nobilior est, minus impedit subiectum suum quoad suum esse primum; sed ista visio est secundaria perfectio intellectus; ergo non impedit subiectum suum quantum ad suum esse primum. Sed suum esse primum est esse in corpore et corpus perficere: ergo simul potest et Deum videre et corpus non minus perficere: ergo et exercere operationes corporeas.

13. Item, omnis res quanto minus recedit a sua natura, tanto magis potest in operationes suas; sed de natura animae est, quod perficiat corpus: ergo quanto magis corpus perficit, magis potest videre Deum, quae est eius operatio praecipua. Ergo non oportet propter hoc alienari a corpore vel rapi.

14. Item, super illud II. ad Corinthios 12.[1]: *raptum usque ad tertium caelum*, dicit Glossa: « contra naturam ». Tunc quaero: a quo fuit iste raptus? Non ab anima, quoniam anima faciendo contra naturam peccat; non a Deo, quoniam, ut dicit Augustinus VI. super Genesim ad litteram [2] et de Vera Innocentia, « auctor naturae tam non facit contra naturam quam contra semetipsum non facit ». Ergo impossibile est, quod anima rapiatur, et supponimus, quod per gratiam potest videre Deum: ergo sine raptu.

15. Item, nihil impeditur nisi a suo contrario; sed sensus non est intellectui contrarius in actu suo, immo sibi subservit et adminiculatur: ergo in videndo Deum a sensibus non impeditur: ergo nec oportet a sensibus alienari.

16. Item, si actus divinae visionis impedit actum sensus vel e converso, quanto actus intensior, tanto magis praestatur impedimentum; sed certum est, quod in patria actus divinae visionis erit intensior et similiter actus sensus, quam possit esse

---

[1] Vers. 2. — Glossa est *ordinaria* apud Lyranum: « Contra naturam elevatum ».

[2] Cap. 13. n. 24. et Prosper, Lib. Sentent. c. 284. (alias 283.), qui liber habetur etiam inter opera August. et incipit: « Innocentia vera »; sed verbotenus habetur apud August. lib. XXVI. contra Faustum c. 3.

in via. Sed in patria non se impedient invicem: ergo multo minus in via.

CONTRA:

1. Richardus in suo Beniamin cap. 50.[1] distinguens triplicem gradum divinae cognitionis, quasi triplex caelum, dicit: « Aliter siquidem videtur Deus per fidem, aliter cognoscitur per rationem, atque aliter cernitur per contemplationem. Prima visio ad primum caelum, secunda ad secundum, tertia ad tertium pertinet. Prima est infra rationem, secunda cum ratione, tertia supra rationem. Ad primum itaque et secundum contemplationis caelum homines sane ascendere possunt. Sed ad illud quod est supra rationem nisi per mentis excessum supra se ipsos rapti nunquam pertingunt ». Igitur etc.

2. Item, Augustinus XII. super Genesim ad litteram[2]: « Nisi ab hac vita quisque quodam modo moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive ita aversus et alienatus a carnalibus [sensibus], ut merito nesciat, utrum in corpore vel extra corpus, sic[3] in illam non rapitur et subvenitur visionem ». Ergo idem quod prius. Idem ad Paulinam[4].

3. Item, maior expeditio requiritur ad cognitionem apertam sive per essentiam quam ad cognitionem aenigmaticam; sed ad cognitionem aenigmaticam, quae est per fidem, necessario requiritur abstractio a naturalibus rationibus: ergo multo fortius ad visionem per essentiam requiritur abstractio a corporis sensibus.

RESPONDEO:

Cum raptus secundum sui statum completum sit, prout loquimur hic, quidam mentis excessus, quo mens abstracta a corpore et a corporea similitudine alienata ad videndam divinam essentiam elevatur vi naturae superioris, prout colligitur ex verbis Augustini XII. super Genesim ad litteram, possumus

---

[1] Scil. lib. de Praeparat. animi ad contemplation. sive Beniamin minor, sed c. 74. — Vide etiam eiusdem libr. de Gratia contemplation. sive Beniam. mai., lib. 1. c. 3. et Adnotat. in Ps. 2.

[2] Cap. 27. n. 55. in fine.

[3] Textus originalis legit: « vel extra corpus sit, cum in illam » etc.

[4] Epist. 147. (alias 112.) c. 13. n. 31.

loqui de ista elevatione duobus modis: vel quantum ad *istius elevationis exigentiam*, vel quantum ad *supernaturalem potentiam*, cuius virtute fit ista elevatio.

Si quantum ad *potentiam supernaturalem*, cuius virtute fit ista elevatio; dico sine praeiudicio, quod divina potentia, quae est immensae virtutis et cui *non est impossibile omne verbum* [1], posset mentem adhuc in carne mortali existentem elevare ad illam excellentissimam visionem absque omni alienatione a corporis sensibus vel imaginatione, ita quod simul videret Deum et exerceret sensuales et imaginarias operationes. Et quamvis hoc non sit multum bene intelligibile, tamen fatendum est. Nam, ut dicit Augustinus ad Volusianum 2 [2]. Epistola in numero Epistolarum: « Fateamur, Deum aliquid posse, quod nos fateamur cogitare non posse. In rebus enim mirabilibus tota ratio facti est potentia facientis ». Et ratio est, quoniam Deus potest omne illud, quod contradictionem non implicat aut potentiae defectum, ut in opponendo [3] dictum est. Hoc autem nec defectum potentiae implicat nec contradictionem, sicut apparet in Christo. Et sicut potuit in Christo, puto, quod posset in puro homine, quoniam anima Christi, quae erat creatura, exercebat illas operationes: nec est tutum limitare divinam potentiam et dicere: hoc non potest, praesertim ubi non apparet manifesta contradictio.

Si autem loquamur de ista elevatione quantum ad *sui exigentiam*, dico, quod, quantum est de sui natura et ratione, impossibile est, mentem ad illam visionem excellentissimam elevari nisi abreptam et alienatam, secundum Augustinum [4], ab omni corpore et corporea similitudine, ab omni actu sensus et imaginationis. Istius autem ratio ex quatuor colligi potest. Prima sumitur ex parte *obiecti*. Obiectum enim, ad quod videndum mens elevatur, est ipsa divina essentia in unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti, quod est tam altum, tam sublime, ut mentem oporteat supra semetipsam elevari et supra omnem sensibilem aut imaginariam similitudinem. Impossibile enim est,

---

[1] Cfr. Luc. 1, 37.

[2] Nunc Epist. 137. (alias 3.) c. 2. n. 8.

[3] Supra pag. 381 n. 6.

[4] Vide supra pag. 355, notam 2. et pag. 384, notam 2.

mentem simul ferri ad oppositos terminos, sursum scilicet et deorsum, et ideo impossibile est simul ferri in Deum videndum, ad quod, quia supra naturam est, supra semetipsam mentem elevari oportet et ferri in ista inferiora aut sentienda aut imaginanda. Et ideo dicit Augustinus libro IV. de Trinitate cap. 15 [1]: « Cum aliquid aeternum mente capimus, non in hoc mundo sumus »; et Gregorius II. Dialogorum cap. 5. dicit, quod, « quando mens illuc elevatur, dilatato mentis sinu supra totum mundum fit ».

Secunda ratio sumitur ex parte *actus*. Actus enim ille difficillimus est et arduissimus; ideo oportet, mentem toto impetu, toto conatu, tota virtute in semetipsam uniri ad actum illum exercendum; et quia ad actus sentiendi et imaginandi necessaria est intentio voluntatis, quoniam, ut dicit Augustinus XI. de Trinitate fere per totum et maxime cap. 8 [2], in actu apprehensionis necessaria est intentio voluntatis copulantis speciem rei apprehensibilis cum acie apprehendentis, ita quod, quando cessat copulatio, cessat et apprehensio sive cognitio, quamdiu manet copulatio, manet cognitio; propterea in actu illo dificillimo et arduissimo, in quem necesse est tota virtute intendi, necesse est, animam abstrahi et alienari ab omnibus his actibus, ubi necessaria est intentio voluntatis. Et idcirco beatus Dionysius de Mystica Theologia docet Timotheum dicens 1. cap. [3]: « Tu autem, o amice Timothee, circa mysticas visiones forti contradictione [4] et sensus derelinque et intellectuales operationes et omnia sensibilia et intelligibilia et omnia existentia et non existentia, et sicut est possibile, ignote consurge ad eius unitionem, qui est super omnem substantiam et cognitionem, et excessu tui ipsius et omnium irretentibili et absoluta mente ad supersubstantialem divinarum tenebrarum radium cuncta auferens [5] et a cunctis absolutus sursum agaris ». Ulterius ille actus est actus purissimus et serenissimus; ideo necesse est, mentem serenari et purgari ab omni eo quod oculum mentis

---

[1] Potius c. 20. n. 28. — Sequitur Gregor., II. Dialog. c. 35.

[2] Num. 15; cfr. etiam c. 2. n. 5; c. 4. n. 7. et c. 9. n. 16.

[3] Paragr. 1; cfr. Bonav., tom. V. pag. 313, nota 1. et IX. pag. 564, nota 11.

[4] C habet *contritione*.

[5] B *afferens*.

obnubilat et labefacit. Et quoniam imagines phantasmatum et rerum sensibilium serenitatem mentis obnubilant et sordidant, idcirco in illo actu tam puro tamque sereno necesse est animam abstrahi et alienari ab omni similitudine rerum corporearum, ac per hoc ab actu virium sensitivarum. Et ita est doctrina Augustini X. [1] de Trinitate cap. 8. et Dionysii, ubi supra.

Tertia ratio sumitur ex parte *status*. Status enim ille — liceat statum vocare, quia parum licet ibi immorari — est status summae et omnimodae quietis [2], tranquillitatis et suavitatis. Ideo necesse est, mentem abstrahi et alienari ab omni eo, quod potest eam perturbare et inquietare, ut in summo otio et in silentio contempletur faciem divinam et audiat cum Paulo, II. ad Corinthios 12 [3], *arcana verba, quae non licet homini loqui*. Et quoniam actus sensus et imaginationis et curae mundanae et forinsecae animam inquietant et perturbant sabbatum mentis, idcirco necesse est, ab omnibus his mentem abstrahi et alienari. Et haec est doctrina Gregorii V. Moralium [4] super illud Iob 4. cap.: *Porro ad me dictum est verbum absconditum, et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri eius;* dicit: « Cum divina aspiratio sine strepitu mentem sublevat, verbum *absconditum auditur*, quia sermo sancti Spiritus in aure cordis silenter sonat; venas autem superni susurri auris cordis furtive suscipit, quia subtilitatem locutionis intimae afflata mens raptim et occulte cognoscit. Nisi enim se ab exterioribus abscondat, interna non penetrat. Occultatur autem, ut audiat, et audit, ut occultetur, quia et subtracta a visibilibus invisibilia conspicit et repleta invisibilibus visibilia perfecte contemnit ».

Quarta ratio sumitur ex *connexione et ordine potentiarum ad invicem*. Vires enim sensitivae et intellectivae aut radicantur in eadem essentia, ut plerique dicunt, aut saltem ad invicem ordinantur, ita quod vis intellectiva omnibus imperat, omnes movet, et secundum sententiam Philosophi III. de Anima cap. de *Movente* [5] et secundum doctrinam Anselmi de Con-

---

[1] Vide supra pag. 386, notam 2. et 3.

[2] Codices legunt *quietatis*.

[3] Vers. 4.

[4] Cap. 18. n. 50. seq., ubi explicat Iob 4, 12.

[5] Summa 2. c. 2. text. 48. seqq. (c. 10.).

cordia gratiae cum libero arbitrio [1]. Et ideo necesse est secundum Avicennam [2], ut quantum intenditur actus unius potentiae, nisi in quantum alteri subministrat et adminiculatur, actum alterius potentiae remitti. Quia igitur in actu illo divinae visionis intenditur actus potentiae intellectivae summa intensione, prout possibile est, necesse est, omnino suspendi actum cuiuslibet potentiae sensitivae. Nam quantum anima intenderet in actum illum, tantum oporteret, remitti actum alterum, scilicet divinae visionis. Hoc dicit plane Augustinus XII. super Genesim ad litteram cap. 12. [3], parum supra locum praeallegatum, sic: « Tertium genus visionis, quod superius est non solum omni corporali, quo per corporis sensus corporalia sentiuntur, verum etiam omni illo spirituali, quo similitudines corporum spiritu et non mente cernuntur, tertium caelum appellavit Apostolus. In hoc videtur claritas Dei, cui videndae corda mundantur non per aliquam corporaliter et spiritualiter figuratam significationem, sed *facie ad faciem*, qua Deus est quidquid est, quantumcumque [eum] mens ab omni terrena labe et ab omni corpore et similitudine corporis alienata et abrepta capere potest ». Idem dicit in Epistola ad Paulinam de Videndo Deo, in numero Epistolarum 62 [4]: « Potest, inquit, movere, quomodo ipsa Dei substantia videri potuerit a quibusdam in hac vita positis, propter illud quod dictum est ad Moysen: *Nemo potest faciem meam videre et vivere*, Exodi 33 [5]: nisi quia potest humana mens divinitus rapi ex hac vita ad angelicam vitam, antequam per istam mortem communem carne solvatur. Sic enim raptus est qui audivit *arcana verba, quae non licet homini loqui* [6], ubi usque adeo facta est ab huius vitae sensibus

---

[1] Expresse in hoc libro non habetur; fortasse alluditur ad illa verba quaest. 1. c. 6: « Ratio, qua intelligitur rectitudo, docet, rectitudinem illam eiusdem rectitudinis amore semper esse servandam, et quidquid obtenditur, ut deseratur, esse contemnendum; atque voluntatis est, ut ipsa quoque reprobet ac eligat, quemadmodum rationis intellectus monstrat; ad hoc enim maxime datae sunt rationali creaturae voluntas et ratio ». Cfr. etiam quaest. 3. c. 13. (alias 23.): «... ut voluntas, quae est instrumentum, uteretur ea, quae est iustitia, ad imperium et regimen, docente spiritu, qui et mens et ratio dicitur ».

[2] VI. Natural. sive de Anima, parte V. c. 2: « Cum occupata fuerit circa unum, retrahetur ab alia ». [3] Potius c. 28. n. 56, ubi respicitur I. Cor. 13, 12.

[4] Epist. 147. (alias 112.) c. 13. n. 31.

[5] Vers. 20; vide v. 23. [6] II. Cor. 12, 4.

quaedam intentionis aversio, ut, sive in corpore sive extra corpus fuerit, nescire se diceret. Unde necesse est, ab hac vita abstrahi mentem, quando in illius ineffabilitatem visionis assumitur ».

Sic ergo dico, quod, si loquamur de ista elevatione quantum ad potentiam divinam, quod Deus posset mentem ad illam visionem elevare et cum hac anima inferiores operationes exercere. Si autem secundum illius elevationis actus exigentiam, dico, quod necesse est, animam abripi et alienari et ab actibus sensitivarum potentiarum, utpote imaginativae et sensitivae, quia in his necessaria est intentio voluntatis; in actibus vero vegetativae, quia pure naturaliter movetur, nec intentio voluntatis necessaria est, nec illi actus ita sunt propinqui et cognati actibus intellectualibus, ideo ab huiusmodi actibus non oportet fieri abstractionem, nisi quatenus aliquo modo redundant in organa sensitiva, utpote cum vel per nimiam exinanitionem per actum caloris naturalis agentis in proprium subiectum et consumentis humidum radicale debilitantur organa, ita quod interdum efficiuntur aliqui furiosi per nimiam abstinentiam, vel propter superfluitatem ascendunt fumi et vapores ad cerebrum et perturbant caput et imaginationem, ut apparet in crapula et ebrietate.

His visis ad argumenta in contrarium respondendum est.

Ad 1. dicendum, quod mutatio illa potest duobus modis intelligi, scilicet secundum *defectum* et secundum *excessum*. Si secundum defectum, dico, quod, facta mutatione in intellectu, non oportet, fieri mutationem in sensu; unde impedito actu intelligendi, adhuc manet actus sentiendi. Si autem secundum excessum, quoniam virtutes sunt connexae et radicatae in eadem essentia animae rationalis aut saltem ad invicem ordinatae, ita quod inferiores subsunt superioribus et ad actus eorum necessario requiritur intentio voluntatis, cum mens ad superiora elevatur, necesse est, suspendi actus virium inferiorum. Exemplum autem illius Commentatoris non bene applicatur, quoniam non intelligit illam amotionem secundum rem, ut amoto intellectivo, in eodem maneat sensitivum vel vivum, quia videmus contrarium, sed secundum intellectum, quoniam per intellectum possumus abstrahere intellectivum a sensitivo et intelligere sensitivum, intellectivo amoto. Et tamen male exemplificat, quoniam auctor loquitur de causis primis et secundis, quia, subtracta influentia causae secundae, remanet influentia

causae primae, et ipse exemplificat de formis, quarum una ab alia dependet et una ad aliam essentialiter ordinatur. Utrum autem in homine intellectivum, sensitivum et vegetativum sint diversae substantiae aut potentiae, non est praesentis inquisitionis.

Ad 2. dicendum, quod nec est similis adhaerentia, nec est similis dependentia sensus ad intellectum, et e converso et accidentis ad subiectum; et cum hoc potius videtur argumentum concludere oppositum quam propositum. Volumus enim, quod actus intellectus possit esse, immo sit, sine actu sensus. — Ulterius, si per divinam potentiam ab invicem separarentur, ita quod per se subsisterent, haberent actus suos per se, sicut accidentia habent in Sacramento altaris.

Ad 3. dicendum, quod Augustinus et Gregorius non assignant causam *totam* et *praecisam*, sed causam *remotam*. Ex hoc enim, quod mens per contemptum mundanorum et carnalium quasi spiritualiter mundo moritur, disponitur, ut ad illam visionem elevetur. Sed hoc non sufficit, nisi cum hoc mens ab imaginatione et sensibus alienetur, ut dicit Augustinus.

Ad 4. dicendum, quod non est simile de natura *angelica* per lumen gloriae elevata et dilatata quodam modo, ut possit plura simul capere et actu considerare et non tam vi sua quam vi Verbi illustrantis ad omnem cognitionem, et de natura *humana* adhuc misera, licet ad momentum ex dono spirituali elevata et evecta ad illum gradum sublimem contemplationis; et adhuc non est simile, quoniam, licet ibi sit una potentia, illa libera est nec sibi ipsi repugnat, et ideo per gratiam consummatam sublimata potest in diversa. Sed in homine sensus adversantur intellectui, ut dicit Apostolus ad Galatas 5[1]: *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem, et haec sibi invicem adversantur*, et ideo necesse est ad hoc, quod intellectus vacet operationibus intellectualibus, abstrahi ab operationibus sensualibus.

Ad 5. dicendum, quod non est simile. Quamvis enim magis sint istae duae potentiae ad invicem colligatae, tamen actus ille intellectus, de quo loquimur, multo est sublimior et difficilior quam actus imaginationis, et propterea magis requirit animae intentionem; quam cum ad superiora convertit, oportet,

[1] Vers. 17.

quod eam abstrahat ab inferioribus. — Alias potest dici, quod non plene convertebatur nec ad speciem imaginatam nec ad speciem visam, sed semiplene. Posset autem ita vehementer converti et intendere in aliquod imaginarium visum, quod nihil posset corporaliter videre.

Ad 6. dicendum, quod, ut dictum est in principali solutione, Deus de plenitudine potestatis suae utique posset facere in quolibet homine puro, sicut fecit in Christo. Sed *non* est ita *congruum* fieri in quolibet. — Alias posset dici, quod non est simile, quoniam operationes suppositorum sunt, non naturae [1]. In Christo autem fuit unum solum suppositum, in quo sustentabatur utraque natura, et quod agebat omnes operationes secundum utramque naturam. Non est autem mirum, si Deus vel suppositum divinum secundum diversas potentias animae sibi unitae simul et semel agebat diversa.

Ad 7. dicendum, quod licet Deus sit praesentissimus animae et evidentissimus, quantum est de se, tamen non est neque praesens neque evidens in ratione *obiecti visibilis*, sicut nec lux praesentissima oculo caeci et evidentissima est praesens vel evidens in ratione obiecti, nec requiritur tantum ad visionem praesentia et evidentia obiecti, sed dispositio ex parte potentiae visivae.

Ad 8. dicendum, quod anima, eo quod est imago Dei, habet potentiam cognoscendi et amandi Deum, potentiam, inquam, *passivam* sive receptivam, et hoc videtur dicere nomen capacitatis. — Habet et potentiam *activam*, sed insufficientem, nisi adiuvetur a potentia superiori, qua adiuta potest. Et ideo non inconvenienter dicitur posse; dicitur enim non inconvenienter posse quod auxilio alterius possumus.

Ad 9. dicendum, quod beatus Benedictus fuit elevatus usque ad contuitum divinae essentiae, ut videtur Gregorius insinuare in illa ecstasi sive raptu; dico tamen, quod visio divinae essentiae momentanea exstitit et modicum fuit in ea immoratus; in illo autem momento totum mundum sub se conspicere potuit, dum autem fuit in illa visione, pro illo momento fuit abstracta mens eius ab omni actu virium sensitivarum,

---

[1] Cfr. Aristot., l. de Anima, text. 64. (c. 4.) et IX. Metaph. text. 13. (VIII c. 8.), nec non S. Bonav., tom. III. pag. 126, nota 1. et pag. 127, nota 3.

nec tunc aut vidit aut vocavit diaconum, sed visione elapsa quia adhuc remanserat lux corporea, in qua vidit, animam illius sancti episcopi ferri in caelum, ad testimonium miraculi vocavit illum suum diaconum Servandum.

Ad 10. posset dici, quod *minor* illius argumenti est *falsa*. Frequenter enim superius ab inferiori impeditur, sicut rex ab uno comite. Posset tamen dici, quod superius et inferius interdum non habent connexionem nec colligantiam, sicut rex et miles alterius regni, et in his inferior superiorem non impedit. Aliquando autem habent connexionem et colligantiam, et tunc, si non unum inferius, tamen unum colligatum et connexum, cum inferior impedit superiorem; ita est in sensu et intellectu.

Ad 11. dicendum, quod quaedam sunt dispositiones in *fieri*, quaedam in *esse*. Dispositiones in fieri non manent, re completa sive perfecta, sicut non manet embryo, adveniente anima et corpore perfecte formato. Dispositiones in esse manent, sicut manet organizatio et complexio. Ita dico ex parte ista, quod dispositio in esse contemplationis manet, sicut gloria et influentia divina; dispositiones autem, quibus manuducitur anima ad illam, non manent, ut consideratio creaturarum.

Ad 12. dicendum, quod perficere corpus non est primum esse animae, alias anima non haberet esse, a corpore separata. — Amplius, anima videns Deum non minus perficit corpus in esse primo, quia perficere, cum sit essentiae animae naturale, non exigit animae intentionem; sed exercere operationes sensitivas, quia intentionem animae necessario requirunt, cum anima elevatur ad Deum videndum, necesse est, intentionem ab his averti et abstrahi, ac per hoc huiusmodi operationes suspendi.

Ad 13. dicendum, quod de corpore humano possumus loqui secundum duplicem statum, scilicet pro statu perfectae sanitatis et *incorruptionis*, cuiusmodi erit status gloriae; et pro illo statu habet veritatem, quod quanto anima magis corpus perficiet, clarius Deum contemplabitur, quia nulla erit dispositio ex parte corporis, quae operationi animae repugnet, immo « quod fuit sarcinae erit gloriae », ut dicit Augustinus XII. super Genesim [1]; si autem pro statu istius *corruptionis* et mortalitatis, in quo *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*,

[1] Cap. 35. n. 68.

ut dicitur Sapientiae 9 [1], non habet veritatem. Quanto enim anima magis intendit circa curam corporis, tanto minus potest ferri ad superiora, ut visum est.

Ad 14. dicendum, quod raptus ille non fuit contra naturam, sed *supra naturam*, nisi fortassis contra inclinationem naturae infirmae et corruptae. Alias argumentum non valet, quoniam id quod dicit Augustinus, quod Deus non facit contra naturam, intelligendum est, quoniam quidquid facit in natura, totum est naturale. Naturale enim est creaturae, ut in ea fiat quidquid auctor naturae voluerit, « cuius utique voluntas cuiusque rei creatae natura est », ut dicit Augustinus XXI. de Civitate Dei cap. 8 [2], quamvis interdum faciat supra usitatum cursum naturae.

Ad 15. dicendum, quod intellectus non impeditur a sensu in actu, in quo sibi adminiculatur et subministrat; impeditur tamen in actu illo, in quo intellectus supra semetipsum elevatur nec a sensu adiuvatur, immo quia necesse est, intentionem mentis toto impetu illuc ferri, propterea necesse est, ab actu sentiendi mentem abstrahi.

Ad 16. dicendum, quod actus sensus non impedit actum intellectus vel actus intellectus excludit actum sensus, quia actus, sed quia actus animae in corpore gravi et corruptibili; ideo, dum intentio animae illuc fertur, a superiori deflectitur, et dum ad superiora elevatur, ab inferiori avertitur. Ubi autem erit corpus omnino obediens operationibus animae, perfecte sanum et incorruptum, tunc actus sentiendi in nullo impediet actum intelligendi, nec e converso, ut dictum est.

## QUAESTIO IX.

**Nono quaeritur, ad quam potentiam magis pertineat raptus: ad intellectum vel affectum, et quae magis in raptu elevetur.**

*Quod intellectus* [3], *ostenditur:*

1. Ad illam pertinet actus, ad quam expediendam accommodatur habitus; sed habitus vel quidquid illud sit, quod se

---

[1] Vers. 15.

[2] Num. 2.

[3] Melius legendum esset: *Quod ad intellectum.*

habet per modum habitus, in raptu accommodatur ad expediendum intellectum: ergo raptus pertinet ad intellectum. *Probatio minoris* est, quoniam, ut dicit Hugo de Sacramentis [1] parte X. cap. 1, « oculus contemplationis est excaecatus », ideo necesse est elevari in raptu: ergo etc.

2. Item, raptus dicit quendam motum violentum et quasi contra naturam; sed voluntatis motus est liber et spontaneus: ergo motus raptus nullo modo convenit voluntati, sed aut pertinet ad voluntatem, aut ad intellectum: ergo etc.

3. Item, moveri sursum est per naturam levis; igitur illa potentia, quae levior est et agilior, magis sursum elevatur, et ea quae est magis pigra, magis infirma, minus; sed intellectus est magis levis et agilis quam voluntas vel affectus, et voluntas vel affectus est magis pigra et infirma: ergo etc. *Probatio minoris* apparet per Augustinum super illud Psalmi [2]: *Concupivit anima mea desiderare iustificationes tuas;* « videmus, inquit, nonnunquam, quam utiles sint iustificationes Dei, sed infirmitate aliqua non desideramus. Praevolat enim intellectus, sequitur aut tardus aut nullus affectus ». Si igitur voluntas est infirma et tarda, et intellectus praevolat: ergo etc.

4. Item, Augustinus X. de Trinitate [3]: « Nihil diligitur nisi cognitum ». Certum est autem, quod potest cognosci aliquid non amatum. Sed quandocumque aliqua duo ita se habent, quod unum potest per se et cum alio, aliud non nisi cum alio, illud quod potest per se et cum alio efficacius et eminentius est quam illud quod non potest nisi cum alio. Ergo intellectus multo eminentior, multo efficacior est quam affectus: ergo magis elevatur: ergo etc.

5. Item, in omnibus motibus animae intellectus est dux affectus: sed ex duobus habentibus se per modum ducentis et ducti ducens tantum elevatur et amplius quam ductum, quia

---

[1] Lib. 1. p. X. c. 2: « Oculus contemplationis exstinctus est, ut nihil videret ».

[2] Psalm. 118, 20, serm. 8. n. 4 in fine: « Nam quid sunt iustificationes nisi opera iusta, non verba? Ac per hoc possunt infirmitate animae non desiderari; et ratione mentis, ubi videtur, quam sint utiles atque salubres, potest earum desiderium concupisci. Saepe enim quid agendum sit videmus, nec agimus, quia non delectat, ut agamus, et cupimus, ut delectet. Praevolat intellectus; et tarde sequitur et aliquando non sequitur humanus atque infirmus affectus ».

[3] Cap. 1. n. 1; cfr. supra pag. 122, nota 1.

ubique praeit eum: ergo intellectus altius et magis elevatur quam affectus: ergo etc.

6. Item, sicut se habent visus et tactus inter sensus corporis, ita intellectus et affectus inter potentias mentis; sed visus est nobilior inter sensus quam tactus: ergo intellectus inter potentias est nobilior et eminentior quam affectus: ergo altius et sublimius sublevatur.

7. Item, II. ad Corinthios 12[1]: *Veniam ad visiones et revelationes Domini. Scio hominem in Christo raptum usque ad tertium caelum; et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui;* sed tam visio quam revelatio, quam auditus arcanorum verborum ad intellectum spectat: ergo etc.

8. Item, super illud Psalmi[2]: *Ego dixi in excessu meo* vel in ecstasi mea etc.; dicit Glossa: « Ecstasis dicitur hic, quando mens non pavore alienatur, sed aliqua inspiratione revelationis sursum assumitur »; sed assumi ad revelationes, hoc est intellectus, non affectus: ergo etc.

9. Item, illius potentiae est moveri ad aliquem terminum, cuius est illum terminum consequi. Terminus autem, in quem est raptus, de quo modo loquimur, est summum bonum, qui est finis ultimus; sed consequi finem est intellectus, non affectus: ergo et moveri in illum non est affectus, sed intellectus. *Maior* manifesta est; *minor* probatur: quoniam si voluntas finem vel terminum consequitur, non consequitur nisi per actum suum. Actus autem voluntatis est duplex: unus est appetere vel desiderare; sed quantum ad istum actum finem non consequitur, quia iste est rei futurae, non habitae et absentis. Alius actus voluntatis est complacere vel delectari; sed nec quantum ad istum actum consequitur, quia iste praesupponit finem habitum et obtentum et non nisi per actum intellectus: ergo etc.

10. Item, quandocumque aliquis actus convenit aliquibus duabus potentiis, ita quod uni per se, alii per aliam, magis et principalius convenit ei cui convenit per se quam cui convenit per aliud; sed moveri vel elevari convenit affectui per intellectum: ergo etc. *Probatio minoris* est, quoniam bonum non

---

[1] Vers. 1. seqq.

[2] Ps. 115, 2. Glossa est *ordinaria* apud Lyranum in hunc locum sec. August., Enarrat. in Ps. 115, 2. n. 3.

movet nisi apprehensum ab intellectu, secundum Philosophum [1]: ergo etc.

11. Item, elevari in Deum est per assimilationem; nam, ut dicit Augustinus VII. de Trinitate in fine [2], « similitudine acceditur ad Deum »; sed mens magis assimilatur Deo per intellectum vel per actum intellectus quam per affectum vel per actus eius: ergo magis elevatur in Deum. *Probatio minoris* est per Philosophum in XI [3]. Metaphysicorum, ubi dicit, quod primo non est nobilitas, nisi quia intelligit. Si autem nobilitas Dei est, quia intelligit: ergo nobilitas creaturae Deo conformis est assimilari sibi per intellectum: ergo etc.

12. Item, in raptu est quaedam praelibatio futurae beatitudinis; sed beatitudo magis consistit in notitia quam in laetitia: ergo et raptus magis consistit in notitia, quae est actus intellectus, quam in laetitia, quae est actus affectus. *Probatio minoris* est, quoniam beatitudo est illud quod principaliter et maxime est appetibile; sed notitia est magis appetibilis quam laetitia: ergo etc. *Probatio* istius est, quoniam magis est appetibilis notitia cum tristitia quam notitia cum errore. Quilibet enim magis appeteret scire patrem suum mortuum certitudinaliter, de quo tamen tristaretur, quam fratrem suum falso vivere, de quo tamen gauderet, et esset deceptus. Tunc arguo secundum Philosophum in fine II. Priorum [4]: Vera notitia et error sunt opposita; laetitia et tristitia sunt opposita, et vera notitia cum tristitia est magis appetenda quam laetitia cum errore: ergo vera notitia simpliciter magis est appetenda quam laetitia: ergo etc.

13. Item, illa potentia magis rapitur, quae ab obiecto suo alienatur; sed intellectus alienatur, non affectus: ergo etc. *Probatio minoris* est, quoniam affectus sive voluntas copulat, unit et separat sive disiungit intellectum a specie intelligibili: ergo ad intellectum magis pertinet alienari: ergo etc.

---

[1] Cfr. II. de Anima text. 20. et 27. seqq. (c. 2. seq.) et III. text. 56. seq. (c. 10. seq.). Vide etiam August., IX. de Trin. c. 10. n. 18. et X. c. 1. n. 1. seqq.

[2] Cap. 6. n. 12.

[3] Alias lib. XII. c. 8. text. 51. (c. 9.): « Eo quod intelligit, ei honorabilitas inest ».

[4] Alludi potius videtur ad I. Poster. c. 26. (c. 33.), ubi in toto probat, « eiusdem simul non posse esse scientiam et opinionem ».

14. Item, ut pluries dictum est, in raptu est quaedam praelibatio et praegustatio futurae beatitudinis; sed actus beatitudinis et quantum ad inchoationem et quantum ad consummationem pertinet ad intellectum: ergo etc. *Probatio minoris:* Quod enim quantum ad inchoationem ad intellectum pertineat, patet per Avicennam IX. Metaphysicae cap. 2 [1], ubi ponit quadruplicem virtutem inquisitivam boni et dicit, quod « purae bonitatis inquisitor est intellectus ». Quod vero quantum ad consummationem, patet per eundem VIII. libro [2] in fine, ubi dicit, quod « ultima perfectio animae rationalis est, ut describatur vel fiat in ea saeculum intelligibile ».

15. Item, ad illam vim raptus magis pertinet quae proprie et magis abstrahitur; sed intellectus magis abstrahitur quam affectus; sicut patet, quod abstrahitur a sensibilibus et phantasmatibus; non sic affectus. Et quanto maior abstractio, tanto maior cognitio, et perfecta abstractio, perfecta cognitio; ergo raptus magis pertinet ad intellectum quam ad affectum, et magis in raptu elevatur: ergo etc.

16. Item, super illud Psalmi: *Ostendam illi salutare*, dicit Glossa [3] Augustini, quod « visio est tota merces ». Sed, ut idem dicit ad Paulinam de Videndo Deo [4], « ad illud fuit raptus Moyses, quod filiis repromittitur »; illud autem est merces: ergo raptus est ad visionem potissime; sed constat, quod visio pertinet ad intellectum: ergo et raptus.

CONTRA:

1. Quandocumque aliquis actus vel perfectio convenit duabus potentiis, quarum una est perfectior, alia imperfectior, ille actus sive perfectio magis respicit et pertinet ad perfectiorem; sed elevatio, quae est in raptu convenit intellectui et voluntati; voluntas autem est potentia sublimior et perfectior quam intellectus: ergo etc. Quod autem voluntas sit potentia multo sublimior et perfectior quam intellectus, patet per Anselmum de

---

[1] Circa medium.

[2] Potius parte 9. c. 7. post principium.

[3] Petr. Lombardi in Ps. 90, 16, qui sequitur August., Enarrat. in hunc locum.

[4] Epist. 147. (olim 112.), c. 13. n. 32. in fine.

Similitudinibus cap. 2 [1]; qui dicit, quod « omnes animae et corporis sensus aperiuntur ad imperium voluntatis, ut memoria ad memorandum, cogitatio ad cogitandum, intellectus ad discernendum ». Ergo voluntas sublimior est et perfectior inter ceteras potentias tanquam imperatrix: ergo etc.

2. Item, Dionysius 4. cap. de Divinis Nominibus [2]: « Ecstasim facit divinus amor non dimittens sui ipsius esse amatores, sed amandorum »; sed ecstasis idem est quod raptus: ergo amor, qui pertinet ad voluntatem, facit ecstasim et raptum: ergo magis ad illam pertinet.

3. Item, quanto potentia est liberior, tanto efficacior et elevatior; sed voluntas liberior est quam intellectus, quia intellectus potest cogi per rationem, voluntas autem cogi non potest: ergo voluntas est elevatior et efficacior potentia quam intellectus: ergo magis elevatur in raptu.

4. Item, quanto mens est ardentior et purior, magis elevatur. Ergo per illam potentiam magis elevatur, ad quam magis pertinet ardor et munditia; sed ista est voluntas: ergo etc. *Minor* videtur esse manifesta; *maior* probatur per Augustinum II. de Trinitate [3]: « Illa est species, quae rapit omnem animam [rationalem] desiderio sui tanto ardentiorem quanto nitidiorem, tanto nitidiorem quanto ad superiora resurgentem, tanto ad superiora resurgentem quanto a carnalibus morientem »: ergo etc.

5. Item, experientia docet, quod illi qui interdum rapti sunt et rapiuntur, magis rapiuntur per verba, quae pertinent ad affectum quam ad intellectum, utpote quando audiunt loqui de passione dominica vel de dulcedine patriae caelestis, quam quando audiunt disputari altas quaestiones de Deo: ergo videtur, quod raptus magis pertinet ad affectum quam ad intellectum.

6. Item, quando anima movetur in Deum, aut propter Deum movetur, aut propter se; non propter se, quia ille motus vilis est et mercenarius: ergo propter Deum. Ergo in eo actu, qui magis placet Deo, et quem Deus magis approbat, magis in ipsum movetur; sed iste est actus amandi, non vi-

---

[1] Sed secunda pars habetur c. 3.

[2] Paragr. 13.

[3] Cap. 17. n. 28. in fine, ubi in edit. *quanto mundiorem et tanto mundiorem quanto ad spiritualia resurgentem* pro *tanto nitidiorem... resurgentem.*

dendi vel cognoscendi, quia Deus magis vult amari, quam cognosci, et magis placet sibi et magis approbat: ergo in illo actu magis elevatur et magis appropinquat ad Deum.

7. Item, beatitudo est summum bonum creaturae rationalis; ergo quod facit magis bonum facit magis beatum; sed amare facit magis bonum quam videre vel intelligere: ergo et magis beatum: ergo in actu amoris magis consistit beatitudo quam in actu cognitionis. Quod autem amare faciat magis bonum, apparet, quoniam Augustinus XI. de Civitate Dei dicit [1]: « Non dicitur vir bonus qui novit, quod bonum est, sed qui diligit ». Et ad Macedonium Epistola 48. [2] in numero Epistolarum: « Non faciunt bonos vel malos mores nisi boni vel mali amores »: ergo etc.

RESPONDEO:

Circa istam quaestionem sunt plures modi dicendi:

*Quidam* enim magistri dixerunt, quod de raptu possumus loqui tripliciter, scilicet quantum ad *causam*, quantum ad *essentiam* et quantum ad *concomitantiam* sive redundantiam. Si quantum ad *causam*, sic potest pertinere ad vim appetitivam, quia ibi potest habere causam. Ex hoc enim, quod appetens vehementer afficitur ad aliquid, potest contingere, ut ex violentia affectus ab omnibus alienetur. Si autem loquamur de raptu quantum ad *concomitantiam*, sic etiam ad appetitum pertinere potest, in quantum in ipsum redundat aliquis effectus ex raptu, quando delectatur in his ad quae rapitur. Si vero loquamur de raptu quantum ad *essentiam suam*, utpote quantum ad id, in quod aliquis rapitur, sic proprie loquendo, raptus pertinet ad intellectivam; ad affectivam autem pertinere non potest. Cuius ratio est, quoniam raptus est praeter propriam inclinationem eius quod rapitur; ipse autem motus appetitivae virtutis est quaedam inclinatio in bonum appetibile: unde, proprie loquendo, ex hoc quod homo appetit aliquid, non rapitur, sed per se movetur, et ideo raptus ad vim appetitivam sive affectivam non potest pertinere.

---

[1] Cap. 28. in principio.

[2] Nunc Epist. 155. (alias 52.) c. 4. n. 13. in fine.

Sed ista positio non habet magnam probabilitatem: primo, quoniam raptus, ut magistri definiunt [1], est quaedam mentis elevatio ad aliquid supra naturam, vi naturae superioris. Constat autem, quod vis amativa sive affectiva ad aliquid amandum et desiderandum elevatur supra naturam suam, vi superioris naturae; ergo raptus vere et proprie convenit affectui, sicut et intellectui. — *Praeterea*, quod dicit, raptum esse motum praeter propriam inclinationem eius quod rapitur, iste autem motus non est praeter inclinationem voluntatis, quia sua inclinatione movetur in bonum amatum, intellectus autem est ille qui praeter propriam inclinationem movetur in terminum raptus, dupliciter deficit: primo, quia sicut appetitus naturaliter inclinatur ad bonum amandum, sic intellectus naturaliter inclinatur ad verum cognoscendum, quia omnis potentia naturaliter inclinatur in proprium obiectum tanquam in finem, et sic qua ratione affectus non rapitur nec intellectus. Deficit etiam, quoniam raptus, si sit praeter naturalem inclinationem potentiae, magis est praeter inclinationem voluntatis quam intellectus. Quod patet, quoniam voluntas magis est infirmata ex peccati originalis corruptione quam intellectus -- quod insinuat Augustinus super Psalmos in auctoritate allegata [2] in contrarium — et cum hoc voluntas in natura corrupta non solum est corrupta corruptione culpabili, sed poenali ex peccato originali. Ex indita autem corruptione inclinatur ad bonum ut nunc, ad bonum commutabile; intellectus autem non sic, et ideo philosophi magis potuerunt elevari per naturam quantum ad intellectum quam quantum ad voluntatem, sicut manifeste apparet. Ergo maiori virtute opus est ad elevationem affectus ad amandum summum bonum quam intellectus ad cognoscendum summum verum; et propterea secundum rationem suam raptus magis pertinet ad vim amativam quam cognoscitivam. — *Amplius* non videtur bene intelligere nomen raptus. Nomen enim raptus in spiritualibus, quamvis sit translatum a raptu in corporalibus, non tamen secundum omnem modum, quia in corporalibus est mo-

---

[1] Ita August. passim, e. gr. II. de Div. Quaest. ad Simplic., q. 1. n. 1; Enarrat. 1. in Ps. 36. n. 1; Enarrat. in Ps. 115. n. 3. Vide etiam S. Thom. Aq., II. II. q. 175. a. 1. ad 1.

[2] Supra pag. 394 n. 3.

tus violentus, in spiritualibus autem non est motus violentus, quia nullum violentum est delectabile; in raptu autem mens delectatur praecipue. — *Rursus*, anima rationalis secundum omnem sui potentiam intellectualem nata est ferri in Deum, et ideo nullo modo potest esse motus violentus. Sed est motus, ad quem etsi natura rationalis, ut rationalis est, habet inclinationem, tamen illa inclinatio non sufficit, nisi adiuvetur vi superioris virtutis. Et ideo non inconvenienter dicitur rapi secundum utramque potentiam.

Et propterea dico, quod raptus ad utramque pertinet potentiam, et utraque potentia in raptu elevatur, tamen principalius et perfectius pertinet ad potentiam affectivam sive amativam quam ad intellectivam. Sed ne procedamus in aequivoco, de raptu distinguendum est. Prout autem colligi potest ex verbis Augustini XII. super Genesim [1], raptus ex triplici causa potest provenire, scilicet ex vehementia *passionis*, ex vehementia *imaginationis*, ex vehementia *devotionis*. Ex vehementia *passionis corporalis* vel *spiritualis;* ex vehementia passionis corporalis, sicut ex somno vel perturbatione cerebri alienatur quis et abstrahitur a corporis sensibus. In phrenesi enim et in somno intercluduntur viae spirituum deferentium intentionem sentiendi, et sic anima tanta conversione convertit se super species et similitudines rerum, quod accipit eas pro rebus. Ex vehementia vero passionis *spiritualis*, ut irae, tristitiae, timoris, gaudii, concupiscentiae. Hae enim passiones tam sunt fortes et vehementes in aliquibus, ut a sensibus corporis alienent. — Secundo contingit ex vehementia *imaginationis*, quando enim anima tam fortiter, tam vehementer intendit circa alicuius difficilis et ardui imaginem, ut frequenter a corporis sensibus alienetur et tanta vehementia convertitur super corporis similitudines, ut pro ipsis corporibus eas accipiat. Sed ad hoc, quod huiusmodi visio sit significativa, assumitur alicuius spiritus superioris virtute. Cum autem ad hoc bonus arripit spiritus, facit fideles mysteria loquentes, vel accedente intelligentia, veros prophetas, quando vero malus arripit spiritus, arreptitios vel falsos prophetas. De his duobus modis nihil ad praesens, et

[1] Cap. 6. n. 15. seqq. et c. 12. n. 25. seqq.

de primo quidem, quia ex passione [1] magis est casus quam raptus, magis ruina vel depressio quam elevatio mentalis; de secundo vero, quia est communis bonis et malis.

Tertio contingit vel provenit ex vehementia *devotionis:* ut enim, quando anima prae desiderio aeternorum liquescens et languens velut ebria, omnium et sui ipsius oblita et a semetipsa deficiens, secundum doctrinam Dionysii de Mystica Theologia [2], elevatur in Deum alienata non tantum ab omni sensibili, sed omni phantastica similitudine, a sensibus et phantasia; sed hoc non virtute propria aut alicuius creati spiritus, sed virtute divina. Iste modus proprius est, et de hoc maxime loquuntur Sancti. Hoc modo fuit raptus Paulus usque ad tertium caelum. Iste tantum bonorum est, non quorumcumque, sed perfectorum et perfecte amatorum, qui hoc amore ecstatico a semetipsis deficientes et transeuntes in Deum possunt dicere: *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus* [3], ut dicit Dionysius 4. cap. [4] de Divinis Nominibus. Hoc modo, dico, raptum maxime et principaliter ad affectivam sive amativam pertinere, cuius ratio ex quinque sumi potest.

Et prima ratio sumitur ex parte *obiecti moventis* et *elevantis.* Obiectum istud est Deus ipse. In Deo autem est veritas et bonitas, et licet in ipso idem sint, tamen bonum sub ratione boni magis movet, quam verum sub ratione veri, quoniam verum habet rationem luminis illustrantis, bonum habet rationem dulcedinis afficientis et reficientis; lumen movet spiritualem visum, sed dulcedo movet spiritualem gustum. Et quia amplior et intimior est mutatio, qua movetur gustus dulcedine, quam qua movetur visus lumine, ideo in raptu magis elevatur et intensius movetur affectus quam intellectus.

Secunda ratio sumitur ex parte *virtutis motae* et *elevatae.* Vis enim nobilior, altior et principalior altius et elevatius movetur. Affectus autem est principalior et nobilior vis quam intellectus, quod patet, tum quia ulterior; inter potentias enim tantum aliqua nobilior, quanto ulterior; affectus autem est po-

---

[1] B addit *est.*

[2] Cap. 1. § 1.

[3] Gal. 2, 20, ubi Vulgata: Vivo autem, iam non ego; vivit vero in etc.

[4] Paragr. 13.

tentia ulterior, et ad illam ceterae ordinantur, et habet se ad alias in ratione moventis et imperantis et in ratione finis, ut dicit Augustinus [1]; et Anselmus 4. cap. [2] de Conceptu virginali dicit, quod voluntas ceteris potentiis imperat ut domina, et ideo peccatum omnium aliorum sibi imputatur. — Tum ratione habituum perficientium utramque potentiam, quoniam habitus perfectivi affectus sunt nobiliores quam habitus perfectivi intellectus, ut patet de caritate et fide. — Tum ratione obiecti, quia ratio boni, quod est obiectum voluntatis, altior est quam ratio veri.

Tertia ratio sumitur ex parte *ipsius motus* vel *accessus*. Hic enim motus, quo mens in Deum elevatur in raptu, non est per situs aut loci mutationem, sed per assimilationem, ut dicit Augustinus VII. de Trinitate cap. ultimo [3]: « Similitudine acceditur ad Deum et dissimilitudine receditur »; ubi igitur est maior assimilatio, maior est elevatio, sublimatio et accessus appropinquatio. Constat autem, quod motus affectus magis est assimilativus quam motus intellectus, immo non tantum assimilativus, sed transformativus, ut dicit Hugo de Arrha sponsae [4], quod « ipsa vi amoris transformatur amans in amatum », et Augustinus VIII. de Trinitate cap. 10 [5]: « Amor est vita quaedam copulans amantem cum amato ». Dionysius etiam dicit 4. cap. [6] de Divinis Nominibus, quod omnis amor sive naturalis, sive animalis, sive intellectualis unitiva quaedam virtus est. Ergo per motum affectus magis elevatur mens in Deum quam per motum intellectus.

Quarta ratio sumitur ex parte *modi movendi*. Modus enim movendi intellectus est per quandam receptionem et apprehensionem vel speciei intelligibilis vel veritatis intellectae. Modus

---

[1] Ita e. gr. tract. 46. in Ioan. Evang. n. 8. dicit: « Affectiones nostrae motus animorum sunt »; XIII. Confess. c. 9. n. 10: « Pondus meum amor meus, eo feror quocumque feror ». Et libro de Spiritu et anima (inter opera Augustini) c. 4. dicitur: « Quatuor affectus animae omnium sunt vitiorum et virtutum quasi quaedam principia et communis materia. Affectus siquidem operi nomen imponit ». Vide etiam August., XI. de Civ. Dei, c. 28. et infra pag. 408 ad 10.

[2] Post medium, paucis mutatis.

[3] Cap. 6. n. 12.

[4] Circa initium libri.

[5] Num. 14.

[6] Paragr. 15.

autem movendi affectus est se in suum obiectum protendere et per quandam protensionem se extra se dilatare; affectus autem sic dilatatus et protensus nimio amore excedit, et hoc amore excessivo rapitur supra semetipsum et fertur in ecstasim et penetrat et intrat, quo vis intellectiva non attingit, immo affectu ingrediente, intellectus foris remanet. Unde Hugo tractans illud 7. cap. Angelicae Hierarchiae [1] de Seraphim: « Mobile eorum semper circa divina et incessabile et calidum et acutum et superfervidum », dicit: « Dilectio supereminet scientiae, et maior est intelligentia. Plus enim diligit [2] quam intelligit, et intrat dilectio et appropinquat, ubi scientia foris stat. Nec mirum, quia semper dilectio amplius praesumit et ingerit se sine cunctatione. Propterea acutum habet et liquidum, penetrans omnia et impetum sequens ardentis desiderii, nec dissimulare valens, donec ad amatum perveniat ». Dionysius etiam docet de Mystica Theologia [3] « *ignote* ascendere », quia amor excedit intellectus naturam.

Quinta ratio sumitur ex parte *finis*. Raptus enim videtur ordinari ad duo, scilicet ad cognitionem, non tantum speculativam et visualem, sed practicam et experimentalem, et ad degustationem et quandam praelibationem divinarum dulcedinum et ad experiendum aliquid illius futurae felicitatis, quietis et *pacis, quae exsuperat omnem sensum*, ad Philippenses 4 [4]. Introducitur enim mens in sanctuarium [5], in cubiculum et thalamum sponsi, ubi astringitur castissimis eius amplexibus et *degustat, quam suavis est Dominus*, atque *inebriatur ab ubertate domus* Dei, ut raptim quasi praelibans et degustans vehementius et ardentius feratur in amorem et desiderium aeternae beatitudinis, quia illa dulcedo similis illi est et illius generis. In istius autem designationem non tantum fuit raptus Paulus usque ad tertium caelum, id est intellectualem visionem, sed etiam in paradisum, id est in illam ineffabilem divinae dulce-

---

[1] Libr. 6. Exposit. Caelest. Hierarch. circa medium.

[2] Editio habet *diligitur* et post *intelligitur*.

[3] Cap. 1. § 1.

[4] Vers. 7: Pax Dei, quae etc.

[5] Ita hoc verbum male scriptum interpretati sumus; deinde in margine secunda manus addit *Domini*. — Sequuntur Ps. 33, 9. et Ps. 35, 9.

dinis degustationem. Unde potest dici raptus, vel quia raptim et quasi momentanee afficiens mentem, nec ibi potest diu immorari, vel quia non virtute propria, sed in superiori, id est divina, trahitur et elevatur supra semetipsam. Et hoc dicit Augustinus XII. super Genesim cap. 11 [1]: « Porro [autem, si] quemadmodum raptus est a corporeis sensibus, ut esset in illis similitudinibus corporum, quae spiritu videntur, ita [et] ab his rapiatur, ut in illam quasi regionem intellectualium visionum subvehatur, ubi sine corporis similitudine perspicua veritas cernitur ». Et post: « Una ibi et tota virtus est amare quod videas et summa felicitas habere quod amas. Ibi beata vita in fonte suo bibitur, unde aspergitur aliquid modicum huic humanae menti ». — Sed omni auctoritate et ratione circumscripta, experientia docet hoc idem. Experiuntur enim Sancti elevati et exercitati, his mentalibus sursum-actionibus se magis elevari et mente excedere secundum affectum quam secundum intellectum. Docet nihilominus experientia, quod viri contemplativi interdum elevantur, rapiuntur et alienantur non solum a sensibus, sed imaginatione, nec tamen in illa elevatione aliquam novam suscipiunt revelationem, sed tamen experiuntur et degustant divinae bonitatis dulcedinem; et dum redeunt, dicunt, se nihil vidisse, sed tantum fuisse absorptos quadam suavitate.

Propterea dico indubitanter, quod raptus, prout provenit ex vehementia devotionis, non tantum pertinet ad intellectum, sed potius et principalius et perfectius ad affectum, non solum per casum aut per concomitantiam aut redundantiam, sed per essentiam.

Ad 1. argumentum in contrarium dicendum, quod quidquid sit illud quod in raptu infunditur, vel habitus vel quidquid sit, non tamen accommodatur ad expeditionem et elevationem intellectus, sed affectus, et magis. Et propterea actus vel motus ille non tam ad intellectum pertinet quam ad affectum. — Quod obiicit de Hugone, quod « oculus contemplationis est excaecatus »; dico, quod sicut oculus intellectus est excaecatus, ita pes affectus est obliquatus et incurvatus, et ideo sicut intellectus indiget illuminatione, ita affectus rectificatione et inflammatione et elevatione.

---

[1] Potius c. 26. n. 54.

Ad 2. dicendum, quod, ut dictum est, raptus in spiritualibus non dicit motum violentum et contra vel praeter inclinationem naturae, sed supra. Elevatur enim mens ad illud, ad quod naturaliter inclinatur. Sed quia non potest per se et ex sua virtute, ideo vi potentiae superioris adiuvatur et attollitur sive assumitur, et hoc est rapi.

Ad 3. dicendum, quod Augustinus loquitur pro statu indevotionis et infirmitatis. Voluntas enim, eo quod est principium et causa peccati, ex peccato magis est infirmata quam aliae potentiae rationales. Et ideo contingit interdum, quod intellectus videt, quid faciendum sit, sed voluntas infirma et tepida non desiderat quod videt agendum vel diligendum. Tamen voluntas de natura sua magis est nata moveri in Deum quam ratio vel intellectus, et ideo spiritus fervore concepto, multo altius quam intellectus elevatur, ut visum est. Tamen perfecta illuminatio intellectus non est sine perfecto amore, sicut nec obscuritas aëris illuminatur, donec calor solis vapores consumat.

Ad 4. patet responsio per Hugonem. Nam quamvis non possit aliquid diligi nisi cognitum, hoc est, nisi aliquo modo cognitum, non tamen oportet, in via saltem, quod tanta sit cognitio quanta dilectio, quoniam dilectio semper magis praesumit et ingerit se sine cunctatione. — Alias potest dici, quod *minor* est falsa, quoniam sicut nihil diligitur nisi cognitum, ita nihil cognoscit vel cogitat anima, nisi velit cogitare et nisi voluntas imperet, quae imperat omnibus, secundum Anselmum [1], ac per hoc, sicut nihil voluntas diligit nisi intellectu dirigente, ita nec intellectus aliquid actu intelligit nisi voluntate movente et imperante.

Ad 5. dicendum, quod intellectus et affectus simul currunt, et quamvis intellectus praeeat et affectus sequatur, tamen intellectus non intrat, immo foris remanet. Affectus autem, ostenso sibi et indicato obiecto diligibili, praecedit, immo excedit intellectum et penetrat, ingreditur et unitur dilecto. Unde dicit Apostolus ad Philippenses 4 [2]: *Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum;* ideo docet beatus Dionysius « ignote ascendere », et

[1] De Conceptu virg., c. 4.

[2] Vers. 20.

beatus Antonius [1] dicebat, quod monachus non bene orat, si semetipsum intelligit. — Vel dico, quod, quamvis intellectus sit dux affectus quantum ad cognitionem speculativam, quia necessario cognitio speculativa amorem praecedit, tamen affectus est dux intellectus quantum ad cognitionem practicam, quia affectus necessario praecedit experientiam.

Ad 6. dicendum, quod non est simile de visu et tactu corporali et spirituali. Cuius ratio est, quoniam obiectum tactus corporalis est corporale et ideo materiale, obiectum autem visus immaterialius est. Propterea tactus depressior est quam visus.

Sed obiectum tactus spiritualis et intellectualis, maxime circa bonum summum, ita est immateriale, sicut obiectum visus et intellectus. Et quoniam ulterius magis intus penetrat et intimatur et adhaeret, propterea efficacius et elevatius movetur. Unde affectus animae dicit illud Canticorum 1 [2]: *Osculetur me osculo oris sui.*

Ad 7. patet responsio, quoniam Apostolus utrumque circumlocutus est, et quod fuit ex parte intellectus, scilicet revelationes, visiones et his similia, et quod fuit ex parte affectus et gustus, ut paradisum; sed de hoc minus locutus est, quia indicibilius est et plus experitur, quam possit cogitare vel exprimere.

Ad 8. dicendum, quod Glossa illa, licet ponat inspirationem vel revelationem, quae respicit intellectum, tamen non excludit devotionem, degustationem vel exsultationem, quae respiciunt affectum.

Ad 9. dicendum, quod argumentum illud supponit falsum, scilicet quod non sit nisi duplex actus voluntatis, scilicet appetitus, qui est non habiti, et delectatio vel complacentia, quae supponit iam habitum et obtentum. Quoniam principalis actus voluntatis est amare, qui est alius a desiderio et delectatione, quoniam amor est causa delectationis, unde habent se sicut causa et effectus. Et hoc actu voluntas pertingit ad finem et consequitur, unitur et adhaeret ei perfectius quam per intellectum, immo nec actus intellectus potest esse perfectus circa

---

[1] Vide Cassian., Collat. 9. c. 31.

[2] Vers. 1.

Deum vel circa finem, nisi compleatur per actum affectus. Unde dicit Augustinus 83 Quaestionum, q. 35[1]: « Bonum, quod non amatur, nemo potest perfecte habere vel nosse. Quis enim potest nosse, quantum bonum sit, quo non fruitur? Non autem fruitur, si non amat, nec habet igitur quod amandum est qui non amat ». Ac per hoc ista consecutio vel obtentus summi boni inchoatur in cognitione, sed perficitur in amore.

Ad 10. dicendum, quod, ut iam dictum est[2], in omni actu adiuvant se et invicem subministrant intellectus et affectus, et secundum diversam rationem utraque potentia se habet aliquo modo per modum moventis et motae. Nam intellectus movet affectum per modum luminis dirigentis, sed affectus movet intellectum per modum domini imperantis et per modum ponderis inclinantis.

Ad 11. dicendum, quod, ut visum est[3], magis assimilatur Deo mens per affectum quam per intellectum, quia habet affectus vim non tantum assimilativam, sed transformativam. — Ad auctoritatem Philosophi dico, quod, cum dicit Philosophus: « Non est ei nobilitas, nisi quia intelligit », *nisi* potest teneri consecutive vel exceptive. Si consecutive, tunc propositio est vera, et est sensus: non est ei nobilitas, nisi quia intelligit, id est: si non intelligeret, non esset ei nobilitas. Si autem exceptive, tunc est propositio falsa; est enim sensus: non est ei nobilitas, nisi quia intelligit, id est, solum per hoc et propter nihil aliud est ei nobilitas, et sic propositio falsa est, quia in primo diligere est actus nobilis sicut intelligere. Et est simile: si ego dico: creatura rationalis non est imago Dei, nisi quia intelligit; si *nisi* accipiatur consecutive, sensus est: si non intelligeret, non esset imago Dei, et istud est verum: quia si non intelligeret, nec diligeret nec reminisceretur. Si autem exceptive, sensus est: non est imago Dei propter aliquid aliud, sed solum propter hoc quod intelligit; hoc autem est falsum, quia alii actus sunt de ratione imaginis, scilicet meminisse et amare.

Ad 12. dicendum, quod illa argumentatio in Deo non habet locum, neque pro illo statu, quoniam ibi est perfecta noti-

---

[1] Num. 1.

[2] Supra pag. 404 ad 4. seqq.

[3] Supra pag. 403, nota 3. et 4.

tia sine errore et perfecta laetitia sine tristitia, perfecta nihilominus laetitia sine errore et perfecta notitia sine tristitia. Et ideo non concludit, quod vera notitia summi boni sit magis appetenda vel eligenda, quam eiusdem perfecta laetitia, quae est actus voluntatis.

Ad 13. dicendum, quod voluntas magis alienatur quam intellectus, quoniam per actum voluntatis quasi inebriatur mens et alienatur a semetipsa. — Quod obiicit: voluntas separat et coniungit intellectum cum suo obiecto, dico, quod non quaelibet separatio est alienatio vel facit raptum. In illa autem separatione, qua intellectus ab omni corpore et corporea similitudine alienatur, quae est proprie raptus, ita alienatur affectus ab omni amore carnali et temporali. Et istud est non tantum alienari, sed etiam spiritualiter mori, secundum Augustinum [1]. Non nego tamen, quin ex parte voluntatis sit causa raptus, quoniam « ecstasim facit divinus amor », secundum Dionysium [2].

Ad 14. dicendum, quod beatitudo inchoatur, ut dictum est [3], in actu cognitionis. Unde concedenda est illa propositio Avicennae, quae dicit, quod « intellectus est inquisitivus purae bonitatis », sed tamen consummatur in actu amoris, ut dictum est. Quod ergo dicit Avicenna, quod « perfectio animae est, ut describatur in ea saeculum intelligibile »; dico, quod saeculum intelligibile vocat bona intelligibilia, prout complectuntur et bona pertinentia ad intellectum, ut cognitio Dei et substantiarum separatarum, et nihilominus dilectionem et amorem verae pulcritudinis, sicut et intellectus aliquando nominat potentiam distinctam contra voluntatem, aliquando totam regionem superiorem, prout distinguitur contra partem sensitivam et non complectitur intellectum et voluntatem. Vel dico, quod philosophi, quia nihil habuerunt de amore divino nec aliquid gustaverunt spiritualium et affectualium consolationum, aliquid autem habuerunt de cognitione divinorum, propter hoc nullam fecerunt mentionem de felicitate affectiva, sed tantum speculativa.

Ad 15. dicendum, quod *minor* illius argumenti est falsa. Non tantum enim abstrahitur intellectus, ut dicit, a phantasma-

---

[1] XII. de Gen. ad litt., c. 27. n. 55. et Epist. 147. (alias 112.), c. 13. n. 31.

[2] De Div. Nom., c. 4. § 13.

[3] Supra pag. 408 ad 10.

tibus, sed abstrahitur affectus a carnalibus et mundialibus, quae non tam abstractio quam avulsio potest dici.

Ad 16. dicendum, quod, cum dicit Augustinus: « Visio est tota merces », visio non accipitur praecise, sed prout complectitur et habet dilectionem annexam. Nam, ut dicit Augustinus I. de Trinitate cap. ultimo [1], illud est tale bonum, quod non potest videri et non amari. Ideo autem magis attribuitur visioni quam dilectioni, quia est actus primus et praeambulus, ad quem alii actus sequuntur; et quia visio sola est propria illius status, dilectio autem est communis statui viae et patriae. Sed hic inchoatur, ibi perficitur; unde fides evacuabitur, sed caritas semper manebit, I. ad Corinthios 13 [2]. — Alias potest dici, quod visio dicitur tota merces non per exclusionem amoris, sed visionis et cognitionis aliarum rerum quarumcumque, quae non facit bonum nec beatum. Unde Augustinus V. libro Confessionum cap. 3 [3]: « Nunquid, Domine Deus veritatis, quisquis novit illa iam placet tibi? Infelix homo, qui scit illa omnia, te autem nescit. Beatus autem, si te scit, [etiam] si illa omnia nesciat. Qui autem te et illa novit, non propter illa beatior, sed propter te tantum beatus ».

## QUAESTIO X.

**Decimo quaeritur, utrum intellectus quantum ad suum actum ligetur per corporis infirmitatem et ineptitudinem.**

*Quod non, ostenditur:*

1. Quoniam, si ligatur, nonnisi ex duplici causa potest contingere: aut quia concernit phantasma aut propter curam corporis; sed non quia concernit phantasma, quoniam aliqua intelligit sine phantasmate, ut semetipsam et habitus, qui sunt in ea; ergo saltem quantum ad illa non impeditur. Nec propter curam corporis, quia virtus etiam sensitiva non debilitatur ex corporis defectu. Unde dicit Philosophus [4]: « Si senex acci-

---

[1] Vide supra pag. 377, notam 3.

[2] Vers. 8; Vulgata: Caritas nunquam excidit, sive prophetiae evacuabuntur etc.

[3] Potius c. 4. n. 7.

[4] I. de Anima text. 65. (c. 4.).

peret oculum iuvenis, ita videret sicut iuvenis »; ergo multo minus debilitatur virtus intellectiva. Ergo nullo modo intellectus quantum ad actum suum ligatur per corporis infirmitatem vel ineptitudinem.

2. Item, sensus est vis magis concreta et alligata corpori quam intellectus; sed sensus non ligatur per corporis infirmitatem vel laesionem; quod apparet, quia quantumcumque phraenetici et furiosi habent usum et actum sensuum: ergo multo minus ligatur intellectus.

3. Item, illud quod vigorat et roborat intellectum, intellectum non impedit, sed magis expedit in actu suo, quia quanto potentia est validior, tanto in agendo efficacior; sed infirmitas corporis vigorat et corroborat mentem: ergo etc. *Probatio minoris* est per Apostolum, qui dicit II. ad Corinthios 12[1]: Quando infirmor, tunc fortior sum; et certum est, quod loquitur de infirmitate corporali et fortitudine spirituali: ergo etc.

4. Item, illius potentiae, cuius actus impedit actum intellectus, defectus actus non impedit, sed expedit; sed actus potentiarum sensitivarum impedit actum intellectus: ergo defectus actus illarum potentiarum expedit actum intellectus. *Probatio minoris* est per Augustinum VII. super Genesim[2], ubi dicit, quod, quando mens vult aliquod verum pure intelligere, avertit se a sensibus corporis tanquam non sibi adiumento, sed impedimento existentibus; et Dionysius de Mystica Theologia in 1. cap.[3] docet contemplativos relinquere sensus et sensibilia: ergo etc.

5. Item, inter passiones sensitivae partis somnus maxime videtur impedire actum intellectus; sed somnus non impedit: ergo etc. *Probatio minoris* est per Augustinum de Immortalitate animae cap. 13[4], qui volens ostendere, quod anima est immortalis et a corpore non dependet, accipit ex hoc argumentum, quod in somnis aliqui contexerunt veras rationes, et licet sint falsae circumstantiae, ut locus et persona, cum qua disputatur, tamen verae sunt rationes; sed rationes contexere est

---

[1] Vers. 10, ubi Vulgata: Cum enim infirmor, tunc potens sum.

[2] Cap. 14. n. 20.

[3] Paragr. 1.

[4] Cap. 14. n. 23.

actus intellectus; ergo actus intellectus in somnis non impeditur.

6. Item, triplex est gradus potentiarum secundum magis et minus materiae corporali colligatarum et a corpore dependentium, scilicet sensus, imaginatio et intellectus; et sensus, quia maxime alligatus est materiae, ideo propter corporis vel organi laesionem totaliter impeditur in actu suo; imaginatio, quia minus est alligata et magis elongata est a corporali materia, minime impeditur: ergo cum intellectus nullo modo a corpore dependeat, nullo modo per corporis infirmitatem impeditur.

7. Item, maior est colligantia et dependentia imaginationis ad sensum quam intellectus ad imaginationem; sed imaginatio propter impedimentum sensus nullo modo impeditur, immo tunc magis viget: ergo intellectus minus impeditur ex impedimento imaginationis.

8. Item, quia dicebatur, quod phantasia non impeditur, quia retinet speciem imaginabilem, corrupto organo sensus, obiiciebatur secundum doctrinam Augustini III. de Trinitate cap. 21 [1]: « In homine est quaedam memoria, quam pecora non habent, et in ea res intelligibiles continentur, quae nullo sensu in eam venerunt »; et 5. cap. [2] eiusdem libri dicit, quod memoriae tribuimus omne, quod scimus, si inde non cogitamus, intelligentiae vero ipsam actualem considerationem. Igitur si imaginatio, quia habet species praesentes apud se, potest habere actum suum: ergo multo magis potest habere intellectus.

9. Item, quia respondebatur, quod, licet memoria habeat et retineat species intelligibiles factas per lumen intellectus agentis intellectas in actu, tamen oportet aspicere phantasma et comparare et conferre speciem rei exteriori; opponebatur, quoniam secundum Augustinum [3] aliqua sunt in anima per essentiam, quae per nullum corporis sensum in animam intraverunt, ut patet in auctoritate praeallegata. Et hoc idem dicit X. Confessionum [4]. Unde dicit, quod grammatica et logica sunt in

---

[1] Potius lib. XV. c. 23. n. 43.
[2] Cap. 21. n. 40.
[3] XV. de Trin. c. 10. n. 17. et c. 12. n. 22. et VIII. c. 6. n. 9.
[4] Cap. 9. n. 16; c. 10. n. 17; c. 11. n. 18.

anima per essentiam suam nec per aliquem sensum in animam venerunt. Ergo illa nullum habent phantasma nec est aliqua res extra, cui oporteat comparari, respicere autem eas in phantasmate alieno potius esset via erroris quam cognitionis. — Rursus, species abstracta a phantasmatibus verius repraesentat rem quam phantasma, ergo inde oportet aspici phantasma. — Ulterius, aspiciendo phantasma aut abstrahitur species aliqua, aut non. Si non, non plus cognoscis mediante phantasmate quam sine phantasmate. Si iterum abstrahitur species, hoc falsum est, quia species inde abstracta est, et secundum doctrinam Augustini [1], « ex illa quae est in memoria gignitur simillima in acie cogitantis », et intellectus non ad phantasma se convertit, sed ad speciem, quae est in memoria: ergo potest sine phantasmate intelligere.

10. Item, si intellectus ligatur ex corporis infirmitate, hoc non est, nisi quia est perfectio corporis; sed non est perfectio corporis: ergo etc. *Probatio minoris* est, quoniam, si est perfectio corporis: aut essentialiter aut accidentaliter; non accidentaliter, quia tunc forma humana esset forma accidentalis, quod falsum est. Si essentialiter, ergo si desinit esse perfectio, desinit esse, quia dependet a suo perfectibili; hoc autem falsum est, quia anima est immortalis nec perit, pereunte corpore: ergo non est perfectio corporis: ergo etc.

11. Item, potentia, quae nullum organum seu partem corporis perficit, nullum impedimentum recipit propter organi alicuius laesionem; sed intellectus nullum organum seu partem corporis perficit: ergo etc. *Probatio minoris* est per Philosophum III. de Anima [2], qui dicit, quod intellectus nullius partis corporis est actus.

12. Item, actum, qui est in potestate et virtute animae, anima potest per se exercere sine corpore, ita quod impedimentum corporis nullum sibi praestat impedimentum; sed actus intelligendi est in potestate et virtute animae: ergo etc. *Probatio minoris* est per Avicennam V. Metaphysicae cap. 2 [3]; qui dicit, quod « intelligere est in virtute animae ».

---

[1] XV. de Trin. c. 27. n. 50; cfr. etiam ibid. XI. c. 3. n. 6.

[2] Vide pag. 286, notam 2.

[3] Post medium.

13. Item, non plus dependet potentia animae a corpore quam essentia; sed essentia animae propter corporis infirmitatem non impeditur a corporis perfectione: ergo minus impeditur potentia ab operatione. *Maior* videtur manifesta; *minor* probatur sic: quoniam certum est, quod homo infirmus non minus est homo quam homo sanus: ergo essentia animae non minus perficit corpus infirmum quam sanum.

14. Item, secundum Augustinum [1], anima habet duplicem portionem, scilicet inferiorem et superiorem, ita quod secundum superiorem est Dei imago; sed ratio imaginis consistit in actibus memoriae, intelligentiae et voluntatis: ergo secundum illam partem semper est in actu: ergo si nunquam propter infirmitatem aliquam desinit esse imago, ergo secundum illam partem propter nullius corporis infirmitatem vel laesionem desinit memorari, intelligere et velle.

15. Item, si intellectus ligaretur propter corporis infirmitatem vel ineptitudinem, maxime ligaretur propter senium, quae est maxima infirmitas; sed propter senium non ligatur: ergo nec propter aliquam aliam infirmitatem. *Probatio minoris* est per Scripturam sacram, Iob 12 [2]: *In antiquis est sapientia et in multo tempore prudentia.*

16. Item, esse et operari consequuntur se: ergo quod non dependet ab alio secundum esse non dependet ab alio secundum operari. Sed anima secundum esse a corpore non dependet: ergo nec secundum operari. Ergo actus eius propter corporis ineptitudinem non impeditur.

17. Item, debilitatio et mortificatio corporis valet ad vivacitatem ingenii et intellectus: ergo debilitas vel infirmitas corporis non impedit actum intelligendi. *Consequentia* plana est; *probatio antecedentis* patet per Commentatorem super X. Ethicorum [3]; qui dicit, quod sapienti sufficiunt aqua et olera; ergo abstinentia valet ad sapientiam. Sed certum est, quod abstinentia debilitat organa corporis: ergo etc.

18. Item, quod impedit aliquid per sui dispositionem vel totaliter illud tollit vel saltem magis impedit per sui corru-

[1] Lib. XIV. de Trin. c. 8. n. 11; lib. XI. de Trin. c. 5. n. 8; lib. XVIV. contra Faust. Manich. c. 2.

[2] Vers. 12.

[3] Cfr. c. 8. et 9, ubi probat, sapienti pauca sufficere.

ptionem; ergo si corpus non tollit aut impedit, immo potius expedit, ergo nec indispositio impedit. Sed corporis corruptio tota non tollit nec impedit, immo expedit actum intelligendi: quoniam anima separata vivacius et efficacius intelligit: ergo infirmitas corporis actum intelligendi non impedit.

19. Item, ad actum intelligendi non plus requiritur quam quod plantasma moveat intellectum, et per lumen intellectus agentis abstrahatur species intelligibilis, qua formetur intellectus possibilis; sed nulla aegritudo impedit, quin phantasma moveat intellectum: ergo nulla aegritudo impedit actum intelligendi.

CONTRA:

1. Algazel tractatu 4 [1]. suae philosophiae dicit, quod virtus intelligibilis impeditur ab apprehendendo propter infirmitatem, quae est in complexione corporis, quia anima occupatur circa curam eius et retrahitur a parte intelligibilium: ergo etc.

2. Item, Philosophus I. de Anima [2]: « Intellectus corrumpitur, quodam interius corrupto »; et certum est, quod non quantum ad essentiam, quae incorruptibilis est, et hoc idem dicit Philosophus [3]; ergo quantum ad actum intelligendi: ergo propter corruptionem organi phantastici corrumpitur actus intelligendi.

3. Item, tres distinguuntur cellulae cerebri a medicis et ab illo auctore de Differentia spiritus et animae [4]: anterior, quae deservit imaginativae sive phantasiae, et dicitur phantastica; posterior, quae deservit memorativae sive memoriae, et dicitur memorialis; media, quae deservit rationali, et vocatur logistica. Si igitur rationalis habet organum determinatum in media parte cerebri: ergo per laesionem et infirmitatem illius organi impeditur ab actu suo.

---

[1] Ita in libro « Destructio destructionum philosophiae Algazelis », auctore Averroe Cordub., parte II. in Physicis, disputat. 2, Ratione 8.

[2] Text. 66. (c. 4). — Vide etiam Bonav., tom. II. d. 19. a. 1. q. 1. ad 3.

[3] Loc. cit. et III. de Anima text. 14. seqq. 15. 20. (c. 4. seq.).

[4] Cap. 2. circa finem. Cfr. Bonav., tom. I. pag. 204, nota 4. et August., VII. Gen. ad litt., c. 18. n. 24.

RESPONDEO:

Dicendum, quod de intellectu possumus loqui duobus modis: vel *derelicto* suae naturali virtuti vel *assumto* ab aliqua virtute supernaturali. Si assumto ab alia virtute supernaturali angelica, non est necesse, eum ligari quantum ad actum suum per aliquam corporis ineptitudinem vel indispositionem; facile enim est Angelis, non solum bonis, sed etiam malis, commixtione sui cum spiritu nostro quadam sua praepotenti virtute sua visa nobis communicare [1]; et modus alias explicatus est. Facile est etiam assumere spiritum nostrum ad videnda visa corpori similia, et si ad hoc bonus arripuerit spiritus, facit fideles mysteria loquentes, aut accedente intelligentia, veros prophetas; si autem malus, arreptitios vel falsos prophetas. Sed cum animus assumitur ad talia videnda, ut non corpus, sed corporum similitudines vel visa simillima corporibus se noverit cernere, divinae admonitionis indiget adiutorio. Deo autem multo facilius est animam ipsam elevare non tantum ad regionem corporalium visionum, sicut vidit Moyses *rubum ardere et non comburi*, Exodi 3 [2], nec tantum usque ad regionem visionum imaginariarum, sed spiritualium, sicut Petrus vidit animalia in disco, Actuum 10 [3], vel Ioannes vidit illas figuras in Apocalypsi, sed etiam sublimare mentem usque ad regionem visionum intellectualium, qua ipsae res intelligibiles intellectualiter pura intelligentia videantur, sicut fuit raptus Paulus usque ad tertium caelum, quo vidit *facie ad faciem* [4] divinam essentiam. Et de his est doctrina Augustini XII. super Genesim fere per totum [5]. Istae autem revelationes magis solent in somnis fieri, in quo regulariter solet intellectus ligari, quam in vigilia, forte propter quadruplicem rationem. Una est propter *animae ad interiora recollectionem;* secunda, propter *sui occultationem; qui posuit tenebras latibulum suum* [6]; tertia

[1] Cfr. supra pag. 355, nota 3, pag. 358 ad 14. et pag. 360 ad 3.
[2] Vers. 2.
[3] Vers. 11. seq. et dein Apoc. 4, 1-7.
[4] I. Cor. 13, 12.
[5] Cfr. c. 6. n. 15. seqq.; c. 12. n. 25. seqq. et c. 26. n. 53. seqq.
[6] Ps. 17, 12.

est propter *animae supra se ipsam sublimationem;* in somno enim magis agitur homo quam agat; in tali enim revelatione natura magis se habet in ratione patientis quam agentis; quarta est propter *quandam mortis imaginem;* somnus enim, dum medium tenet inter mortem et vitam, similis est morti, in quo est quasi quidam recessus a vita huius mundi, de qua dicitur Exodi 33[1]: *Non videbit me homo et vivet.*

Si autem loquamur de intellectu suae propriae naturali virtuti derelicto, sic manifestum est, quod ligatur in actu suo et impeditur ex corporis ineptitudine, laesione vel mala dispositione, et hoc docet experientia. Sed tamen modum et causam videre difficile est valde et occultum. Quamvis autem multi modi et causae a diversis assignentur, possumus tamen ad praesens quadruplicem assignare rationem. Quoniam actus intelligendi est actus *intimus* et *unitus*, est actus *tranquillus* et *quietus*, est actus *certus* et *discretus;* quia est actus *intimus* et unitus, ideo impeditur propter animi distractionem et quasi extraneam occupationem; quia est actus tranquillus et quietus, ideo impeditur propter animi perturbationem; quia est actus certus et discretus, ideo impeditur propter phantasmatum obnubilationem et confusionem. Animus autem distrahitur, perturbatur et inquietatur, obnubilatur phantasmatibus ex corporis ineptitudine et indispositione vel propter corporalis organi laesionem propter animae et corporis naturalem colligantiam et unionem ad hominis constitutionem.

Prima igitur ratio est ex eo, quod actus intellectus est *intimus et unitus*, et ad quem maxime necessaria est animae intentio, et ideo impeditur propter distractionem et extrinsecam occupationem. Ex corporis autem indispositione necessario mens distrahitur et occupatur circa corpus et circa corpus ferri potest tanta intentione, tantum distrahi et occupari, ut sui et suorum interiorum oblita, actum intellectus nec etiam in sui cognitione possit habere. Unde Augustinus XIV. de Trinitate cap. 5.[2] admiratur et in admirationem inducit de animabus parvulorum « in tanta dimersorum rerum ignorantia, ut, etsi se nosse credendi sint, tamen se cogitare non possint ». Cuius

[1] Vers. 20.
[2] Num. 7.

ratio est, ut ibidem dicit, « propter nimiam intentionem in res corporeas, quas tanto maiore quanto noviore coepit delectatione sentire ». Signum autem est huius intentionis, quod « sic avida est in sui novitate istius lucis hauriendae, ut [1] si infans iaceat, ubi possit lumen nocturnum aliquod intueri, vix inde cervix possit inflecti, et ex hoc fiunt pueri frequenter strabones ». Sic igitur, ut ibidem dicit, non solum in hunc, sed « in alios sensus ita se coarctant animae parvulorum, ut quidquid per carnem aut offendit aut allicit, hoc solum abhorreant aut appetant; sua vero interiora non cogitent ». Huius etiam signum est, quod frequenter ratio vehementia doloris aut delectationis adeo absorbetur, ut in actum exire non possit; et hoc apparet in delectatione carnali, quae est in actu coniugali, ubi ratio omnino absorbetur.

Secunda ratio sumitur ex eo, quod actus intellectus est actus *quietus et tranquillus*, et ideo impeditur propter animi perturbationem et inquietationem. In sedendo enim et quiescendo fit anima sciens et prudens. Ex infirmitate enim et laesione vel passione seu turbatione corporis tanquam naturalis et proprii organi et instrumenti anima perturbatur adeo, ut actum illum tam tranquillum omnino exercere non possit. Hoc apparet in parvulis propter cerebri fluxibilitatem, hoc in dormientibus propter turbationem cerebri ex fumositatibus et vaporibus ad cerebrum ascendentibus; apparet maxime in furiosis, in quibus propter cerebri laesionem et turbationem anima adeo turbatur, ut ab actu intelligendi omnino impediatur. Hoc ostendit elegantissime Augustinus VII. super Genesim cap. 6. [2] dicens: « Cum afflictiones corporis moleste sentit, actionem suam, qua illi regendo adest, turbato eius temperamento, impediri ostenditur [3]; et haec offensio dolor vocatur »; et post: « Denique cum haec eius tanquam ministeria vitio quolibet seu turbatione omnino deficiunt, desistentibus nuntiis sentiendi et mi-

[1] Textus originalis melius sic continuat: « si quisquam minus cautus aut nesciens, quid inde possit accidere, nocturnum lumen posuerit, ubi iacet infans, in ea parte, ad quam iacentis oculi possint retorqueri, nec cervix possit inflecti, sic eius inde non moveatur aspectus, ut nonnullos ex hoc etiam strabones fieri noverimus ».

[2] Potius c. 19. n. 25.

[3] Editio habet *offenditur*.

nistris movendi, tanquam non habens cui [1] adsit, abscedit. Si autem non ita deficiunt, ut in morte assolet, turbatur eius intentio tanquam conantis reintegrare labentia nec valentis. Et in quibus rebus turbatur, inde cognoscitur, quae pars ministeriorum in causa sit, et si potuerit, medicina succurrat ». Hanc eandem rationem ponit Algazel tractatu 4. [2] suae philosophiae, ubi dicit, quod occupata circa curam corporis infirmi retrahitur a parte intelligibilium, et ideo impeditur in actu intelligendi. Si autem quaeratur, quare magis ex laesione cerebri quam alterius membri turbatur, ratio est, quoniam cerebrum est nobilissimum membrum et instrumentum motuum et actionum animalium.

Tertia ratio sumitur ex eo, quod actus intellectus est actus *certus et discretus,* et ideo impeditur propter phantasmatum confusionem et obnubilationem. Est autem certus actus intellectus; ut dicit Augustinus 83 Quaestionum, quaest. 34 [3], « quisquis aliquam rem aliter, quam ea res est, intelligit, non intelligit »; et hoc ipso discretus est. Nam si non est discretus, non est certus. Nullus enim cognoscit rem *quid est,* nisi sciat pariter, *quid non est.* Ex dispositione autem corporis phantasmatibus perturbatis et confusis, versatur anima circa phantasma et adeo confunditur et obnubilatur, ut discernere nequeat similitudines rerum a rebus nec species a corporibus, immo omnino accipiat similitudines et species pro rebus. Et hoc dicit Augustinus X. de Trinitate cap. 6 [4]: « Viget quippe in ea iudicium discernendi corpus, quod foris relinquit, ab imagine, quam de illo secum gerit, nisi cum ita exprimuntur [eaedem] imagines, tanquam foris sentiantur, non intus cogitentur, sicut dormientibus vel furentibus accidere solet ». In dormientibus enim ac furiosis adeo exprimuntur ex memoria species sive imagines rerum et sic expressae obiiciuntur animi aciei, « ut nec ratio eas discernere sinatur, utrum foris corpus ipsum videatur, an intus tale aliquid cogitetur », ut dicit Augustinus XI. de Trinitate cap. 4 [5]. Rationem autem istius assignat Augustinus eleganter ibi-

[1] Edit. habet *cur.*

[2] Vide supra pag. 415, notam 1.

[3] Verius q. 32.

[4] Num. 8.

[5] Num. 7.

dem et XII. super Genesim cap. 8 [1]. Quamvis enim talis deceptionis « causa sit a corpore, tamen non ea corpus exhibet, nec enim habet vim, ut formet aliquid spirituale, sed sopitis viis intentionis vel ab interiori compage turbatis seu etiam interclusis per somnum vel per aliquam laesionem cerebri, viis, inquam, intentionis dirigentis motum sentiendi, ut ad exteriora sentienda ferri non possit; quoniam anima a motu suo cessare non potest nec amittit vim suam, tanta expressione format sibi similitudines corporum et adeo super ipsas corporum imaginationes convertitur, ut non possit discernere species a rebus, immo similitudines et rerum species pro rebus accipiat et dormiens vigilare sibi videatur ». Quare autem magis cum sopitis sensibus, ut oculis, quam exstinctis vel clausis ita exprimuntur huiusmodi imagines, et intentio sic convertitur super ipsas, ratio est, quam Augustinus assignat ibidem, quoniam in vigilante, quamvis oculi sint exstincti vel clausi, et ideo non patet aditus ad exteriora sentienda, « sola impeditur corporalium perceptio », et « quia non intercluditur via sentiendi, quae a cerebro dirigitur usque ad oculos, quia non est causa in sede cerebri, cum usque ad loca oculorum pervenerit, quia non exeritur foras, ibi remaneret, ita ut vigilare se sentiat »; et ideo non impeditur iudicium discernendi speciem a re neque imaginem corporis a corpore, et idcirco « cogitantur imagines corporum, sed nullo modo pro eis habentur corporibus, quae exterius per oculos sentiuntur. In dormiente vero, quia via sentiendi in cerebro consopitur, quae intentionem ducit ad sensum, ideo [2] in aliud aversa et in species sive similitudines rerum corporalium vehementer conversa, tanquam species corporales assumit, ut sibi dormiens vigilare videatur et similitudinem a re vel speciem a corpore non possit discernere ». Ita impeditur et confunditur iudicium discernendi, et inde est, quod magis dormientes quam vigilantes vident; ergo, ut dicit Augustinus ibidem [3], dupliciter potest esse in corpore et ex corpore impedimentum corporalia sentiendi. « Si enim non sit nisi in ipsis aditibus et quasi ianuis sensuum, velut in oculis, in auribus ce-

[1] Cap. 20. n. 42. seq. — Sequentes loci Augustini habentur ibid., sed multis omissis et transpositis.

[2] Editio legit: *ideoque ipsa intentio in aliud* etc.

[3] Num. 43 ubi pro *sit* editio legit *fit*.

terisque sensibus, sola impeditur perceptio [corporalium], non autem sic avertitur, ut pro corporibus habeantur imagines corporum; si autem causa est intus in cerebro, unde diriguntur viae ad ea quae foris sunt sentienda, ipsius intentionis sopiuntur, turbantur vel intercluduntur viae, quibus nititur anima in ea quae foris sunt intuenda vel sentienda, quam vim, quoniam anima non amittit, tanta expressione format sibi similia, ut imagines corporum vel rerum corporalium a corporalibus discernere non valens, utrum in illis, an in istis sit, nesciat. Tantum valet ipsa animae intentio, utrum perducatur usque ad sensus, licet clausos, an in ipso cerebro, unde in hoc nititur anima, alia causa existente, in aliud avertatur ». Eadem ratio et causa est in phraeneticis et in dormientibus, et similes sunt visiones phraeneticorum et somniantium. Nam utriusque causa in cerebro est, licet diversimode.

Quarta ratio est propter *naturalem animae et corporis unionem* ad hominis constitutionem, et ista est causa radicalis et originalis omnium aliorum. Ideo enim anima ex dispositione corporis aut distrahitur, aut turbatur, aut confunditur, aut obnubilatur phantasmatibus, quia ad corpus naturaliter inclinatur, cum quo constituit vere unum, quod est unum per essentiam; propter quod omnes operationes sunt coniuncti, licet aliquae conveniant coniuncto ratione alterius partis. Quaedam enim conveniunt homini ratione animae, sicut ratiocinari, intelligere et his similia; quaedam ratione corporis, sicut uri, secari, augeri, non enim augetur nisi corpus; quaedam ratione utriusque, ut sentire. Nam, ut dicit Augustinus XII. super Genesim cap. 10 [1], « sentire non est animae vel corporis, sed animae per corpus ». Illas igitur operationes, quae sunt coniuncti ratione utriusque partis, ita anima exercet in corpore, quod nonnisi in corpore et per corpus; ideo corpori communicantur. Unde dicimus: oculus videt, et auris audit, et manus tangit; illas vero operationes, quae sunt coniuncti ratione alterius partis, ut animae, sicut ratiocinari et intelligere, non communicantur corpori, et sic anima exercet eas in corpore, quod non per corpus sive per organum corporeum, et ideo sine corpore. Unde homo intelligit [2]

---

[1] Rectius lib. III. c. 5. n. 7.

[2] Codices *intelligat*.

et anima, non corpus. Tamen quia, ut dictum est [1], anima corpori unitur ut substantialis perfectio, ad quod naturaliter inclinatur, cum quo facit et constituit vere unum, cuius sunt omnes operationes, sicut esse pendet ab utroque, sic et operari. Quamvis igitur esse animae a corpore simpliciter non dependeat, tamen esse in corpore, cum quo unum facit, ex corpore dependet, quoniam exigit debitam dispositionem ex parte corporis, utpote debitam harmoniam et complexionem, qua soluta et corrupta, anima abscedit et desinit esse homo. Ita quamvis intelligere non dependeat simpliciter ex corpore, quia non per corpus, immo sine corpore praedictam exercet operationem, tamen quamdiu anima est in corpore, faciens et constituens cum corpore vere hominem, qui intelligit, requirit et exigit debitam dispositionem; qua corrupta vel turbata, desinit intelligere, ut, sicut congrua dispositio respondet existentiae, ita debita dispositio respondeat operationi intellectuali. Illa autem dispositio consistit et attenditur quantum ad nobilissimos spiritus, qui sunt in organis nobilissimis corporis, cuiusmodi est cerebrum, quod, ut praedictum est, est instrumentum omnium actionum et motuum animalium, et sicut prius est esse quam operari, et prius aliquid desinit operari quam esse, ita prius est dispositio in corpore ad esse quam ad operari, et prius solvitur dispositio ad operari quam ad esse. Prius enim anima est in corpore, quam intelligat, sicut prius est homo quam intelligens, de lege communi, et prius desinit intelligere, quam desinat esse homo, quia prius solvitur dispositio ad operari quam ad esse, sicut apparet in infantibus et senibus. Quod autem actus intelligendi exigat dispositionem ex parte corporis, signum est, quoniam secundum corporis dispositiones et aptitudines diversas et maxime cerebri sunt homines expeditiores et impediti-ores in actu intelligendi et hebetiores et acriores, obtusiores et perspicaciores. Et propterea, ut dictum est, propter ineptitudinem vel infirmitatem corporis et laesionem, maxime cerebri, et perturbationem impeditur et ligatur intellectus quantum ad operationem suam intellectualem, prout dispositio congrua tollitur ad illum actum vel simpliciter vel ad tempus, quod contingit in parvulis, dormientibus, furiosis, phraeneticis.

[1] Supra pag. 286.

His visis, patet responsio ad argumenta pro magna parte; sed tamen in eorum solutione declarabitur melius veritas quaestionis.

Ad 1. dicendum, quod, ut dictum est, istud impedimentum vel ligatio non contingit propter concretionem vel aspectum ad phantasmata, quia intellectus habet actum aliquem sine phantasmatibus, nec propter debilitationem virtutis intellectivae, sed propter distractionem, occupationem, perturbationem et obnubilationem ex corporis infirmitate et phantasmatum deordinatione.

Ad 2. dicendum, quod *minor* argumenti illius est falsa; sensus enim ligatur ex laesione organi, sicut visus, oculo eruto vel exstincto; quantum ad sensum tactus redditur homo stupidus ex laesione humorum. — Vel dicendum, quod hoc non est solum propter potentiae alligationem, sed propter operationis perfectionem. Quanto enim operatio perfectior, tanto facilius recipit impedimentum, et quia operatio intellectus perfectior est quam sensus, ideo citius impeditur, suppositis causis praedictis.

Ad 3. dicendum, quod spiritus roboratur ex corporis infirmitate per accidens; nam corpore manente in naturali dispositione, quanto fortius, tanto aptius ad operationes animae. Sed quia, ut dicit Apostolus ad Galatas [1], *caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem, et haec sibi invicem adversantur*, eo quod ex debilitate corporis enervatur et remittitur concupiscentia, quia debilitatur caro, quae est hostis spiritus. Per accidens dicitur spiritus roborari, et huic attestatur Avicenna [2] et Algazel [3], qui dicunt, quod « post quadraginta annos vigorantur vires intellectuales ». Sed hoc est propter diminutionem passionum, quae, quia abundant in iuvenibus, impediunt actum intelligendi.

Ad 4. dicendum, quod actus virium sensitivarum et sunt *adiumento* et sunt *impedimento:* adiumento quidem in via acquisitionis; sine actu enim illarum virium nullam notitiam acquireret in corpore existens; impedimento autem in perfecta operatione, quia actus virium illarum distrahunt et obnubilant mentis serenitatem. Et tunc dico, quod defectus potest duobus

---

[1] Cap. 5, 17.

[2] VI. Natural. sive de Anima, tr. 5. c. 2.

[3] Loco supra pag. 415, nota 1. citato.

modis contingere: aut virtute mentis, utpote quando vigore quodam assurgit et attollit se usque in apicem sui, et iste defectus expedit; alio modo contingit ex laesione vel infirmitate organi corporalis, et hoc modo impedit, quoniam anima, quae est perfectio corporis, necessario intendit corpori infirmo, et ideo distrahitur et perturbatur et propterea impeditur.

Ad 5. dicendum, quod in somno ligatur actus intellectus, propter quod nihil imputatur dormienti, ut vult Augustinus XII. super Genesim [1]. Sed aliquando contingit, quod homo non plene dormit, nec viae intentionis a cerebro ad sensus plene sunt consopitae, et tunc, sicut potest quis, licet non plene, habere actum sensuum, sicut dicit Philosophus de Somno et vigilia [2], quod in somnis aliqui audiunt, sic habent semiplene actum intellectus. Aut si ponamus, eos plene dormire, quod contexant veras rationes et versus conficiant, hoc non est ex actu deliberato, sed vel ex naturali inclinatione vel casu; quod apparet, quoniam si aliquando veras rationes et versus edant, tamen frequenter deficiunt.

Ad 6. dicendum, quod argumentum illud deficit in pluribus: primo, quoniam sicut sensus est virtus alligata organo et ab eo dependens, ita et imaginativa; secundo, quoniam sicut ex laesione organi impeditur actus sensus, ita et actus imaginationis. Unde sicut corrupto organo sensus, sensus totaliter impeditur; laeso, aliquo modo impeditur: ita corrupto organo imaginativae, omnino amittitur usus imaginationis, si esset possibile; manente vita tamen, aliquo modo impeditur ex organi laesione, et quamvis videatur habere aliquem actum, ille actus est confusus et inordinatus nec debet nomine actus censeri. Tertio, quoniam non est simile, dato quod ita esset; eo enim quod actus intellectus est perfectior, facilius impeditur, ut dictum est.

Ad 7. posset responderi, quod non est tanta colligantia imaginationis ad sensum, quanta intellectus ad imaginationem. Quamvis enim imaginatio nihil possit imaginari, nisi quod ac-

[1] Cap. 15. n. 31.

[2] Cap. 3. (2.), ubi dicit: « Moventur autem quidam, dum dormiunt, et faciunt multa, quae vigilantium sunt, non tamen absque phantasmate et aliquo sensu ».

cepit per viam sensus aut quantum ad totum aut quantum ad partes, quoniam, ut dicit Augustinus VI. Musicae [1], impossibile est, quod caecus fingat imaginem coloris, tamen quia organum phantasiae est instrumentum omnium actionum et motuum animalium, et in quo est dispositio, quae requiritur ad esse animae et operari in corpore, propterea secundum hunc respectum magis colligatur intellectus imaginationi quam imaginatio sensui. — Vel posset dici, quod, quamvis imaginativa nihil possit imaginari, nisi quod per corporis sensum recepit, tamen, quia habet vim retentivam specierum, absente re, potest negotiari circa illas, quantumcumque sensus laedatur.

Ad 8. dicendum, quod re vera secundum doctrinam Augustini oportet ponere memoriam intellectualem, in qua species intelligibiles continentur, et corpore existente bene disposito, anima per illas species potest intelligere sine recursu ad phantasmata. Dum ex illis gignuntur simillimae in acie intelligentiae, unum verbum formatur, quod ad nullius linguam pertinet; tamen, quia, ut praedictum est, illo organo laeso et phantasmatibus perturbatis, eo quod phantasmata importune ingerunt se intellectui confuse et inordinate, anima etiam propter curam corporis et occupationem, quia necessario intendit in corporis passionem, retrahitur a parte intelligibilium, non potest habere iudicium discretum nec actum completum.

Ad 9. patet responsio. Concedo enim, quod sine phantasmate potest intelligere, postquam species intelligibiles factae intellectae per lumen intellectus agentis, repositae sunt in memoria intellectuali; nihilominus tamen impeditur in actu intelligendi, quoniam non est illa ratio impedimenti, quia intellectus non intelligit sine phantasmate, sed aliae, quae assignatae sunt.

Ad 10. dicendum, quod intellectus est perfectio corporis essentialiter. Sed tunc distinguo, quod perfectio essentialiter potest duobus modis intelligi: *uno modo* essentialiter, id est, quia non habet esse nisi ex eo, quod corpus perficit, sicut animae brutorum, quae cum corpore prodeunt et cum corpore intereunt; et hoc est falsum. Nam anima rationalis immortalis est, nec secundum essentiam a corpore dependet. Alio modo di-

[1] Vide supra pag. 345, notam 1.

citur esse perfectio essentialis, eo quod per ipsam suam essentiam est perfectio corporis non per aliquod accidens; et sic est verum. Propterea argumentum non valet; in *maiori* enim accipit essentialiter primo modo, in *minori* secundo modo, et ideo non sequitur *conclusio*. — Vel potest dici, quod essentialis perfectio est et essentialiter nec desinit esse perfectio. Quamvis enim actu non perficiat, tamen semper habet essentialem inclinationem ad perficiendum, ideo separata non habet perfectum naturae suae modum, immo propter istam inclinationem retrahitur, « ne totaliter feratur in ipsum summum caelum », ut dicit Augustinus XII. super Genesim in fine [1].

Ad 11. dicendum, quod verbum Philosophi intelligendum est, quod « intellectus nullius partis corporis est actus », id est, non habet determinatum organum aliquod in corpore tanquam instrumentum, per quod operetur, immo habet operationem absolutam; tamen, quia est perfectio corporis, cum quo facit vere unum, ac per hoc operatio est coniuncti, exigit debitam dispositionem ex parte corporis secundum spiritus nobilissimos, qua impedita vel turbata, necessario impeditur actus intellectus, ut visum est.

Ad 12. dicendum, quod actus intelligendi ita est in virtute animae, quod, licet non exerat illum per organum corporale, tamen, eo quod anima est perfectio corporis, ad quod naturaliter inclinatur, necessario recipit impedimentum ex corpore propter curam, propter occupationem, propter turbationem et propter indispositionem, ut praedictum est.

Ad 13. dicendum et respondendum est per *interemptionem maioris;* quia enim ista tria, secundum Dionysium 5. [2] cap. de Angelica Hierarchia, se habent per ordinem: substantia, virtus et operatio, et unum addit ad aliud, ideo plura requiruntur ad operationem, quam ad potentiam, et ad potentiam quam ad essentiam, et ulterior et amplior dispositio requiritur ad operari quam ad perficere; et ideo, illa dispositione turbata aut impedita, sic impeditur in operatione, quod non in perfectione.

Ad 14. dicendum, quod ratio imaginis radicaliter et originaliter consistit in potentiis, promovetur in habitibus, com-

---

[1] Cap. 35. n. 68.

[2] Cfr. c. 11. § 2.

pletur in actibus; tamen non in actibus, ut actus sunt tantum, sed in ordine potentiarum ad actus; et quoniam, quantumcumque anima turbetur vel impediatur ab actibus, semper remanet ordo et aptitudo ad actus, semper remanet ratio imaginis.

Ad 15. dicendum, quod immo in senibus ligatur et debilitatur actus intelligendi; quod patet, quia sunt multo hebetiores et fiunt aliquando omnino immemores. Incipit autem ista debilitatio in senio circa quadragesimum quintum annum. Quod autem dicit Iob, senes et antiquos esse sapientes, hoc non est propter vigorationem virtutis aut actus intelligendi, sed magis propter sedationem passionum et propter longiorem experientiam.

Ad 16. potest duobus modis responderi: primo, quia, ut dictum est, operari addit ad esse, plus requiritur ad operari quam ad esse; secundo, quoniam, sicut operari animae in corpore dependet a corpore, eo quod in corpore exigit debitam dispositionem, ita et esse requirit, qua soluta, abscedit a corpore, et sicut separata habet esse, ita habet operationem.

Ad 17. dicendum, quod ceteris paribus, quanto corpus sanius et fortius et robustius, tanto aptius est, quantum est de se, ad operationes animae; cuius signum est, quia in patria erit aptissimum et nullum praestabit animae impedimentum. Potest tamen contingere propter passiones, quae regnant in statu naturae corruptae magis in corpore sano et forti, quod impeditur anima in actibus intellectualibus, et ideo temperata abstinentia, quia valet ad exstirpandas passiones et concupiscentiam enervandam, per accidens valet ad actum intelligendi, abstinentia tamen immoderata, quia debilitat organa sensitiva, impedit actum intelligendi; unde vidimus, propter immoderatam abstinentiam aliquos incurrere amentiam et factos furiosos.

Ad 18. dicendum, prout dictum est, quamdiu anima est in corpore, sicut esse eius a corpore dependet et exigit in corpore debitam dispositionem, qua soluta, abscedit, tunc et habet esse sine corpore, ita operatio animae, quamdiu est in corpore, quia est coniuncti, exigit in corpore debitam dispositionem, qua sublata, operari non potest; si autem totaliter corrumpatur, quia separatur a corpore secundum esse, separatur secundum operari, et tunc operatur sine corpore.

Ad 19. dicendum, quod, quamvis phantasmata importune se ingerant et offerant intellectui in aegritudine vel organi laesione, tamen confuse et inordinate; et quia impeditis viis, quibus intentio dirigitur ad exteriora sentienda, aversa anima ab exterioribus tanta conversione convertit se super phantasmata, ut non possit discernere species vel similitudines a rebus: ideo impeditur iudicium, nec potest habere actum discretum et certum, et ideo nec actum intelligendi proprie, qui non est sine discretione.

# APPENDIX

## TRACTATUS [1]

*de aeterna processione Spiritus sancti a Patre et Filio per triforme testimonium, auctoritatum scilicet, rationum et revelationum, septiformiter comprobata* [2].

1. Recusant Graeci confiteri cum Ecclesia Latinorum, quod Spiritus sanctus aeternaliter procedat a Filio, confessionem huius-

[1] Tractatus de processione Spiritus sancti, primo a nobis editus in parvo fasciculo an. 1895, propria auctoris manu scriptus est in fine Commentarii ipsius in I. librum Sententiarum, cuius *autographum* conservatur *Tuderti* in bibliotheca praeclara S. Fortunati, nunc ad Municipium pertinente, et ibi signatur n. 122. Huius codicis primum folium in parte anteriore postea tegumento affixum fuit, ubi legitur ab antiqua manu scriptum: *Primus fr. Matthaei manu sua.* Hoc chirographum litteris cursivis et valde contractis exaratum est lectu difficillimum, et ultima eius pagina, quae finem tractatus exhibet et tegumento postea affixa fuit, ita decolor facta est, ut non exigua pars legi omnino nequeat. Sed valde opportunum fuit, quod P. Fidelis a Fanna b. m. in Hispania (*Hispali,* bibliotheca Columbina, cod. membr. fol. parv. saec. XIII in fine, sign. E. Y. tab. 130. n. 40. et incipit fol. 159. v.) huius tractatus satis bonum apographum (cod. B.) invenerit et sua manu descripserit, quo illi defectui et paucis aliis in scribendo originali erratis suppleri potuit. E converso plures errores et quandam lacunam illius apographi correximus ex codice Tudertino.

In locis Patrum Graecorum citandis auctor utitur antiquis versionibus Latinis plerumque valde duris et saepe obscuris, cum textum Graecum fere de verbo ad verbum transferre soleant. Eandem versionis formam observavimus in alio antiquo tractatu de processione Spiritus sancti in illis non paucis locis, qui utrique opusculo sunt communes (uterque enim habet alias auctoritates sibi proprias). Hic quem memoravimus tractatus habetur apud Migne (Patrolog. Graeca tom. 140 col. 485) cum titulo: *Pantaleonis C. P. diaconi tractatus contra Graecorum errores.* Sed prima operis pars attribuenda est fratribus Ordinis Praedicatorum. Nam in fine (col. 540) legitur: « Haec autem scripta sunt anno Domini 1252 in civitate Constantinopolis a fratribus Praedicatoribus ad aedificationem Ecclesiae et profectum animarum, ad laudem et gloriam Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen ».

[2] Haec inscriptio habetur in solo B; loco ipsius in autographo est spatium vacuum; sine dubio tribuenda est ipsi auctori.

modi abhorrentes, tanquam non *innixam auctoritati* nec *consonam rationi.*

## Obiectiones Graecorum.

Cum, ut aiunt, fides sufficienter expressa sit in Scripturis sanctis, et declarata sit in Conciliis, nec Scripturae hoc usquam in veteri vel novo testamento inveniantur exprimere, nec Concilia definire; absurdum videtur et contra consuetudinem universalis Ecclesiae, confessionem huiusmodi inter articulos fidei recitari, praecipue cum a sanctis Patribus [1] sit decretum, quod de supersubstantiali et sancta Deitate nihil audendum est dicere praeter ea quae nobis ex sacris Eloquiis claruerunt, sit etiam nihilominus a sacris Conciliis [2] definitum, quod, si quis illorum definitionibus ausus fuerit addere vel mutare, anathematis sententia feriatur. Igitur si confessio huiusmodi nec a Scripturarum nec a Conciliorum auctoritate accipit firmitatem, nequaquam locanda est inter fidei solidissima fundamenta, quin potius eadem potest facilitate respui qua probari.

2. Insuper tanquam *rationi dissona* praedicta confessio eis respuenda videtur. Cum enim *processionis* vocabulum translatum sit a creaturis ad Creatorem, et in creaturis processio dicatur motus progressivus ab uno in alterum; si Spiritus sanctus procedit a Filio aeternaliter, aut procedit in Patrem, aut in Spiritum sanctum, aut in aliquem alium. Non in Patrem, quia nihil accipit Pater a Filio; non in Spiritum sanctum, quia nihil procedit in se ipsum; non in aliquem alium, quia non est quarta in Trinitate persona. Restat ergo, quod impossibile est intelligere, Spiritum sanctum a Filio aeternaliter procedere.

3. Amplius, nomina *verbi* et *spiritus* ab imagine creata transferuntur in Deum; sed videmus in creatura, quod spiritus est vehiculum verbi, medium tenens inter cor et verbum expressum, ita quod nullo modo ipse spiritus originatur a verbo. Secundum hanc transsumtivam similitudinem nullatenus videtur posse intelligi, quod Spiritus sanctus a Filio aeternaliter procedat, cum ex ratione Spiritus a Patre in Filium tendat.

---

[1] Cfr. Dionys., de Divin. Nom. c. 1; Damasc., l. de Fide orthod. c. 2.

[2] Cfr. Chalcedon. IV, Concilior. tom. VIII. edit. Paris. pag. 355.

4. Arguunt etiam, quod impossibile est [1], Spiritum sanctum a Patre et Filio simul emanare. Aut enim imperfecte manat a Patre, aut perfecte. Si imperfecte: ergo imperfectus est Deus Pater, imperfectus Deus Spiritus sanctus. Si perfecte, et quod additur ad perfectum superfluum est: ergo superflue ponitur emanare a Filio. Sed in illa beatissima Trinitate nihil potest intelligi nec esse superfluum: impossibile est igitur, quod aliquis recta ratione intelligat, quod Spiritus sanctus a Patre et Filio aeternaliter procedat.

5. Insuper, si Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio, aut procedit ab eis, in quantum sunt unum, aut in quantum sunt plures. Si in quantum sunt unum; nec sunt [2] unum nisi natura, in qua Spiritus sanctus est unum cum Patre et Filio: ergo secundum hoc Spiritus sanctus procederet a se ipso. Si vero procedat, in quantum sunt plures: ergo alia processione ab uno, alia ab alio: ergo vel Spiritus sanctus est plures personae, vel una persona composita; quae duo adeo sunt absurda, ut ab omni prorsus et rectitudine rationis et pietate fidei videantur aliena.

6. Quodsi forte dicat Latinus, hoc se non percepisse auctoritate nec ratione, sed potius revelatione; cum una sit columba et unus Spiritus sanctus, *apud quem non est acceptio personarum* [3], ut quid ille Spiritus veritatis, desertis Graecis, se transtulit ad Latinos? Qui potius, si Spiritus *veritatis* fuit in Latinis ad confessionem huiusmodi faciendam, debuit pariter esse et Spiritus *caritatis* et amor fraternae salutis. Ut quid ergo Graecos non vocaverunt ad id pariter confitendum? Non videntur ergo Latini in hoc ambulasse secundum *caritatem*, ac per hoc nec habuisse Spiritum *veritatis*, sed arguendos et respuendos iuste fore a Graecis tanquam schismaticos et erroneos et anathematis vinculo innodatos.

## Responsio Latinorum per triplex testimonium.

7. Ad haec respondet Latinus, ad huiusmodi confessionem faciendam non solum inductum [4], verum etiam necessitate com-

---

[1] B addit *intelligere*.

[2] B *cum non sint* pro *nec sunt*.

[3] Coloss. 3, 25.

[4] B addit *fore* (melius *fuisse*).

pulsum, irrefragabili veritate triplici sibi testimonio, *auctoritatis* videlicet, *rationis* et *revelationis*, indubitabiliter attestante.

### Primum testimonium, scilicet auctoritatis multiplicis, et primo Scripturae cum expositione Patrum.

Nam quod Spiritus sanctus aeternaliter emanet a Filio, multiplici confirmatur *testimonio Scripturarum*. Dicit enim Filius [1] de Spiritu sancto: *Cum autem abiero, mittam eum*, scilicet Spiritum sanctum, *ad vos;* sed in divinis nulla persona dicitur *mitti* ab alia, nisi quia originatur ab ea; unde « Pater nusquam dicitur *missus* », quia a nullo producitur. Si ergo Spiritus sanctus mittitur a Filio, necesse est, quod manet et producatur ab ipso. — Quodsi dicat, eum manare et a Filio procedere non ab aeterno, sed *ex tempore;* necessario sequitur, quod simul Spiritus vel Filius est mutatus. — Quodsi iterum addat, hoc intelligi de Spiritu sancto ratione *effectus* seu *influentiae* charismatum divinitus infusorum; cum huiusmodi dona sint a tota Trinitate, non solum a Patre et Filio, verum etiam a Spiritu sancto; tunc Spiritus sanctus temporaliter mitteretur et procederet a se ipso; quod est contrarium tam verae fidei quam Scripturis. Restat igitur, quod *mitti* dicitur Spiritus sanctus a Filio, quia ex tempore manifestatur, quod aeternaliter manat ab ipso. — Unde et Gregorius Papa in homilia illa [2]: *Cum sero esset* etc.: « Eo ipso, ait, a Patre Filius *mitti* dicitur, quo a Patre generatur. Nam Spiritum quoque sanctum, qui, cum sit coaequalis Patri et Filio, non tamen incarnatus est, idem se Filius mittere perhibet dicens: *Cum venerit Paracleius, quem ego mittam vobis.* Si enim *mitti* solummodo *incarnari* deberet intelligi, sanctus procul dubio Spiritus nequaquam diceretur *mitti*, quia nequaquam incarnatus est, sed eius missio ipsa processio est, qua de Patre procedit ex Filio. Sicut itaque Spiritus *mitti* dicitur, quia procedit, ita non incongrue Filius *mitti* dicitur, quia generatur ».

8. Amplius, Ioannis decimo sexto [3]: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis.* Constans est au-

---

[1] Ioan. 16, 7. Verba: Pater etc., sunt August., II. de Trin. c. 5. n. 8.
[2] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 2, ubi citatur Ioan. 15, 26.
[3] Vers. 14.

tem, quod Spiritus nihil accipit particulare, nihil accidentale, nihil ex tempore; si ergo accipit de Filio, necessario oportet, quod totam essentiam ab ipso ab aeterno accipiat: ergo aeternaliter manat ab ipso. — Quodsi dicat Graecus: *De meo*, hoc est *ex Patre* debere intelligi; tunc pari ratione versa vice posset et Spiritus sanctus dicere de Filio, quod accipit ab eo, quia generatur a Patre. Sed et Athanasius ad Serapionem in Epistola de Spiritu sancto [1] huic expositioni manifeste contradicit. Ait enim: « Spiritus ex Filio accipit. *Ex meo*, inquit, *accipiet et annuntiabit vobis* ». Et Epiphanius in libro, qui *Ancoratus* [2] dicitur: « Spiritus sanctus, Spiritus Dei ens cum Patre et Filio, non est alienus a Deo. A Deo autem ens, a Patre procedit et a Filio accipit ». Idem in eodem: « Filius revelat Patrem, dicens: *Nullus novit Patrem nisi Filius, et nullus novit Filium nisi Pater*. Audeo autem dicere: nec Spiritum quis novit, nisi Pater et Filius, a quo procedit et a quo accipit ». Quid his expressius dici potest?

9. Amplius, idem Filius in Ioanne [3] dicit de eodem Spiritu: *Non loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur*. Constans est, inter audientem et eum qui auditur, necessario intervenire locutionem seu sermonem: ergo si Spiritus sancti est audire, et *auditus est per verbum* [4], neque Spiritui sancto aliud est *audire* quam *esse;* necessario sequitur, quod Spiritus sanctus manat a Patre per Verbum. — Et super hoc dicit Augustinus [5]: « Cur non credamus, quod a Filio procedit Spiritus sanctus, cum similiter ab eo loquatur »? — Et Basilius in sermone de Trinitate [6], qui sic incipit: *Cognitio Patris:* « Antiquitus Deitatis Trinitas non ignorabatur. *Verbo* enim, inquit, *Dei caeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum* etc. Non alio verbo quam Filio, nec alio spiritu quam Spiritu sancto; unus enim est Spiritus, et sicut ex ore Dei proveniens est per Filium, sic Trinitatem Verbo unit et

---

[1] Epist. 1. n. 20.

[2] Num. 96; sequens locus ibid. n. 73, ubi respicitur Matth. 11, 27.

[3] Cap. 16, 13.

[4] Rom. 10, 17.

[5] In Ioan. Evang. tract. 99. n. 7.

[6] Hic sermo nunc non invenitur in Operibus S. Basil. Cfr. Homil. de Spiritu S. (inter Opera ipsius). Allegatur Ps. 32, 6.

antiquitus et nunc ». Idem in eodem [1]: « Naturalis bonitas et quae secundum naturam sanctificatio et regalis dignitas ex Patre per Unigenitum ad Spiritum sanctum pervenit ». Sed naturalis bonitas non est aliud quam essentia, nec naturalis bonitatis perventio aliud quam Spiritus sancti processio. Igitur si naturalis bonitas a Patre per Unigenitum ad Spiritum pervenit, Spiritus sanctus a Patre per Filium ab aeterno procedit.

10. Item, Ioannis quinto [2]: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso.* Sed *vitam habere in semetipso* non est aliud quam Spiritum vitae habere in semetipso. Si igitur Pater sic Spiritum vitae habet in semetipso, quod in ipso est et ab ipso manat et iugiter ab ipso procedit, et eodem modo dedit Filio vitam habere in semetipso: ergo sequitur, quod Spiritus sanctus, qui est Spiritus vivificans, et in Filio maneat et ab ipso procedat. Et hoc est quod Athanasius asserit in sermone contra Arianos [3], cuius initium est: *Qui maliliose*, ubi in fine sic dicit: « David psallens Deo ait: *Quoniam apud te est fons vitae.* Sciebat enim, apud Patrem esse Filium fontem Spiritus sancti; sicut etiam per Ieremiam Filius dicit: *Me dereliquerunt fontem aquae vivae* ».

11. Amplius idem Filius, Ioannis vigesimo [4], post resurrectionem apparens discipulis, insufflavit in eos dicens: *Accipite Spiritum sanctum.* Si ergo insufflatio corporalis signum fuit spirationis sempiternalis et vere utique repraesentativum; sicut flatus ille corporalis, in quo innuebatur Spiritus sanctus, ex tempore procedebat a Christi humanitate; sic et Spiritus ille supersubstantialis necessario oportet quod procedat ab ipsa Dei Verbi aeterna plenitudinis immensitate.

12. Unde et Augustinus super Ioannem [5]: « Si Spiritus sanctus a Filio non procederet, non post resurrectionem, se repraesentans discipulis, insufflasset eis dicens: *Accipite Spiritum*

---

[1] Potius in libr. de Spirit. S. c. 18. n. 47.

[2] Vers. 26.

[3] De Incarnatione Verbi contra Arianos, n. 9. 10, ubi respiciuntur Ps. 35, 9. et Ier. 2, 13.

[4] Vers. 22.

[5] Tract. 99. n. 6, ubi allegantur Ioan 20, 22. et Luc. 8, 46.

*sanctum* ». Unde super illud Lucae: *Ego sensi, virtutem de me exiisse,* Augustinus [1]: « Nomine *virtutis* Spiritus sanctus intelligitur. Sic et Lucae primo: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* ». — Et Anastasius Antiochenus Patriarcha in sermone de recta veritate dogmatum [2]: « Etenim Dominus ipsum Spiritum ex se ostendens existere, insufflans discipulis aiebat: *Accipite Spiritum sanctum* ». — Beatus Cyrillus in libro de Thesauris [3]: « Spiritus sanctus in nos veniens conformes nos ostendit Deo; provenit autem ex Patre et Filio. Manifestum est, quia divinae essentiae est, essentialiter in ipsa et ex ipsa proveniens, velut ex humano ore excurrit insufflatio ».

13. Amplius, Apostolus ad Galatas [4]: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Si igitur Spiritus sanctus dicitur *Spiritus Filii sui in corda vestra,* aut dicitur esse eius per *inhaerentiam,* aut per *possessionem,* aut per *originationem,* aut propter *essentiae identitatem.* Non per *inhaerentiam,* quia Spiritus sanctus non est proprietas alicui inhaerens; non per *possessionem,* quia possidens est nobilius possesso; non per *essentiae identitatem,* quia tunc eadem ratione versa vice dici posset *Filius Spiritus sancti,* sicut dicitur *Spiritus Filii.* Ergo necesse est, quod dicatur per *originationem.*

14. Unde Augustinus [5]: « Cur non credamus, quod de Filio procedit Spiritus sanctus, cum sit Filii Spiritus »? Et beatus Cyrillus in Recapitulariis de Spiritus sancti demonstrationibus [6], XLVI. demonstratione sic ait: « In Evangelio Salvator sic ait: *Ego sum veritas.* Beatus autem Ioannes ex Patris essentia et Filii Spiritum ostendens, in Evangelio quidem ait: *Spiritus Veritatis, qui a Patre procedit* ». Concludit ergo, quod, quia Spiritus Veritatis, eo ipso quod Veritas est, sic profluit a Filio, qui est Veritas, sicut a Patre. Unde et idem in Epistola tertia ad Nestorium [7]: « Etsi est in hypostasi Spiritus propria et in-

---

[1] Ibid.; allegatur Luc. 1, 34. 35.

[2] Oratio 1. de Ss. Trin. n. 37, ubi citatur Ioan. 20, 22.

[3] Assert. 34.

[4] Cap. 4, 6.

[5] In Ioan. Evang. tract. 99. n. 7.

[6] Thesaurus, assert. 34, ubi citantur Ioan. 14, 6. et 15, 26.

[7] Nunc Epist. 17. (olim 15.) apud Migne, tom. 77. col. 118.

telligitur secundum se, secundum quod Spiritus est, et non Filius; tamen non est alienus ab ipso Filio: *Spiritus* enim *veritatis* nominatus est; et est Christus veritas et effunditur ab ipso, quemadmodum et utique ex Patre ».

15. Amplius, Ioannes in Apocalypsi [1] ostensum sibi dicit *fluvium splendidum tanquam crystallum procedentem de sede Dei et Agni.* Constans est autem, quod de sede Dei non procedit fluvius materialis; sicut igitur illa sedes Dei est stabilitas aeternitatis, sic necesse est, fluvium illum manantem profluentiam aeternam habere. Si igitur fluvius ille vivificus nihil aliud est quam Spiritus sanctus, qui omnibus, ad quos pervenit, donat vitam, sicut idem Ioannes in Evangelio [2] exponit, necessario sequitur, quod per revelationem Ioannes cognovit, Spiritum sanctum a Patre simul et Filio vere procedere, cum non sit aliud *sedes Dei et Agni* quam stabilita tranquillitas aeterni Patris et Unigeniti sui. — Quodsi dicat Graecus, per illum fluvium designari influentiam charismatum creatorum, advertat, quod non est donatio doni gratuiti et creati absque donatione Doni increati, iuxta quod dicit Apostolus ad Romanos [3]: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Non ergo dicitur ob aliud *fluvius procedere de sede Dei et Agni,* nisi quia Spiritus sanctus, in quo et per quem charismata omnia donantur, ex Patre Filioque ab aeterno procedit. — His igitur tanquam septem testimoniis irrefragabilibus Latina Ecclesia persuasa, indubitanter credit et asserit, Spiritum sanctum manare simul a Patre et Filio, non alio et alio emanandi modo. Sicut igitur emanatio Spiritus sancti ex Patre vere dicitur processio, sic et emanatio eiusdem a Filio vere et proprie processio nuncupatur.

### Secundo suffragatur auctoritas Conciliorum.

16. Supradictis autem Scripturarum testimoniis et ipsa Conciliorum suffragatur auctoritas. Nam in quinto sancto Concilio condemnatur Theodorus, qui ausus fuit contra beatum Cy-

---

[1] Cap. 22, 1.
[2] Cap. 6, 64.
[3] Cap. 5, 5.

rillum docentem, Spiritum sanctum aeternaliter manare a Filio, proterve consurgere. Definit enim quintum Concilium [1] sic: « Condemnamus et anathematizamus cum aliis condemnatis et anathematizatis a catholica et apostolica Ecclesia etiam Theodorum, qui fuit episcopus Mopsuestiae, et impias eius conscriptiones nec non et impia scripta a Theodoreto adversus rectam fidem et duodecim capitula patris nostri sancti Cyrilli et tertiae sanctae Synodi Ephesinae ». Et postea idem Concilium: « Ad hoc autem sequimur per omnia etiam sanctos Patres et doctores Ecclesiae: Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Ioannem Chrysostomum, Cyrillum, Leonem, Proculum et recipimus omnia, quae ab eis recta fide in condemnationem haereticorum edita sunt ». Cum igitur praefatus Theodorus condemnatus fuerit, quia opposuerat se beato Cyrillo, et doctrina beati Cyrilli et sanctorum Patrum praenominatorum sit per Concilium approbata, et contradicentes anathematizati; et emanatio Spiritus sancti ex Filio testimonium et firmitatem habeat a doctrina praefatorum Sanctorum: restat, quod hoc secundum auctoritatem Concilii quinti est credendum et confitendum. Et quicumque huic verae confessioni pertinaciter adversatur, est anathematizatus et haereticus iudicandus.

### Tertio, auctoritas Patrum Latinorum.

17. Quod autem haec sit communis doctorum tam Graecorum quam Latinorum sententia, manifestum est. — Et primum quidem, quia de testimoniis Latinorum copia multa redundat, sufficit tres tantum adducere testes. Et primo quidem inducetur testimonium Gregorii in auctoritate superius [2] annotata. — Secundo, Hilarii in duodecimo libro de Trinitate [3]: « Ante tempora Unigenitus tuus ex te natus manet, ita quod ex te, per te Spiritus sanctus tuus est. Quod etsi sensu non percipiam, tamen teneo conscientia. In spiritualibus enim tuis

---

[1] Concil. V, in Magna Collect. Concil. collat. 8. edit. Paris. 1643-44. tom. XII. pag. 230.

[2] Num. 7.

[3] Num. 56.

rebus hebes sum ». — Idem in eodem [1]: « Conserva hanc, oro, fidei meae religionem, ut quod in regenerationis meae symbolo professus sum semper obtineam, Patrem scilicet te, et Filium tuum una tecum adorem, Spiritum sanctum tuum, qui ex te per Unigenitum tuum est, promerear ». — Tertio Augustinus de Fide ad Petrum [2]; ait enim sic: « Firmiter tene et nullatenus dubites, eundem Spiritum sanctum, qui Patris et Filii unus Spiritus est, de Patre et Filio procedere. Dicit enim Filius: *Cum venerit Spiritus Veritatis, qui a Patre procedit.* In quo suum Spiritum esse docuit, quia ipse est *Veritas.* De Filio quoque procedere Spiritum sanctum, prophetica atque apostolica nobis doctrina commendat. Isaias enim dicit: *Percutiet terram virga oris sui et spiritu labiorum suorum interficiet impium.* De quo et Apostolus ait: *Quem interficiet Dominus spiritu oris sui.* Quem et ipse Unigenitus Dei Filius, Spiritum oris sui esse significans, post resurrectionem suam insufflans ait: *Accipite Spiritum sanctum* ». — Idem de Trinitate libro decimo quinto [3]: « In hac Trinitate non dicitur Verbum Dei nisi Filius, nec Donum Dei nisi Spiritus sanctus, nec de quo est genitum Verbum, et de quo procedit principaliter Spiritus sanctus, nisi Deus Pater. Ideo autem addidi *principaliter,* quia et de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit, non vero iam existenti et nondum habenti, sed quidquid unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo Donum commune procederet, et Spiritus sanctus Spiritus etiam esset amborum ». — Idem in eodem [4]: « Qui potest intelligere sine tempore generationem Filii de Patre intelligat sine tempore processionem Spiritus sancti de utroque. Et qui potest intelligere in eo quod ait Filius: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit Filio vitam habere in semetipso,* non sine vita iam existenti Filio vitam Patrem dedisse, sed ita eum sine tempore genuisse, ut vita, quam Pater Filio gignendo

---

[1] Num. 57.

[2] Cap. 11, n. 54. (auctor huius libri est S. Fulgentius), ubi citantur Ioan. 15, 26. et 14, 6; Isai. 11, 4; II. Thess. 2, 8. et Ioan. 20, 22.

[3] Cap. 17. n. 29.

[4] Cap. 26. n. 47, ubi allegatur Ioan. 5, 26.

dedit coaeterna sit vitae Patris, qui dedit, — intelligat, sicut Pater habet in semetipso, ut de illo procedat Spiritus sanctus, sic dedisse Filio, ut de illo procedat idem Spiritus sanctus et utrumque sine tempore; atque ita dictum Spiritum sanctum de Patre procedere, ut intelligatur, quod etiam procedit de Filio, de Patre esse Filio. Si enim quidquid habet de Patre habet Filius, de Patre habet utique, ut de illo procedat Spiritus sanctus ». — Et paulo post[1]: « Si de Patre et Filio procedit Spiritus sanctus, cur Filius dixit: *De Patre procedit?* Cur putas, nisi quemadmodum solet ad eum referre et quod ipsius est, et de quo ipse est; unde et illud est, quod ait: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* Si igitur hic intelligitur eius doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris, quanto magis illic intelligendus est et de ipso procedere Spiritus sanctus, ubi sic ait: *De Patre procedit,* ut non diceret: de me non procedit. A quo autem Filius habet, ut sit Deus — est enim de Deo Deus — ab illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus sanctus ». Haec Augustinus.

### Quarto, auctoritas Patrum Graecorum.

18. Ad hoc quoque faciunt etiam Graecorum Sanctorum auctoritates. Nam Didymus in libro de Spiritu sancto[2]: « Salvator, inquit, qui est Veritas, de Spiritu sancto loquens ait: *Non enim loquitur a semetipso,* scilicet [non] sine me et sine meo et Patris arbitrio, quia inseparabilis est a me et a Patris voluntate, quia ex se non est, sed ex Patre et me est. Hoc enim ipsum, quod subsistit et loquitur, a Patre et a me illi est ». — Item, Ioannes Chrysostomus in homilia quadam de expositione Symboli[3] sic ait: « Iste est Spiritus sanctus, procedens de Patre et Filio, qui *dividit dona propria, prout vult* ». — Item in alia homilia: « Credendum est, Spiritum sanctum Patris esse et Filii. Istum Spiritum sanctum dici-

---

[1] Cap. 27. n. 48, ubi citantur Ioan. 15, 26. et 7, 16.

[2] Num. 34, ubi citatur Ioan. 16, 13.

[3] Haec homil. non exstat in recentibus edd., sed in antiqua, Venetiis 1583, fol. 149. Vide Bonav. opera omnia, tom. I. pag. 208, notam 8. Sequens locus est ibi in homil. 2, ubi respicitur I. Cor. 15, 33.

mus Patri et Filio coaequalem et procedentem de Patre et Filio. Hoc credite, ne *colloquia mala corrumpant bonos mores* ». — Item, Epiphanius in sermone de perfecta emanatione Verbi Dei [1]: « Pater erat semper, et Filius erat semper, et Spiritus sanctus ex Patre et Filio erat semper ». Si igitur Spiritus sanctus erat semper a Patre et Filio nec ab eis erat nisi per processionem: ergo Spiritus sanctus aeternaliter ab utroque processit. — Unde et Hilarius [2]: « Sicut virtute naturae in eandem naturam nativitatis subsistit Filius, sic virtute naturae in eandem naturam processione subsistit Spiritus sanctus ». — Item, Epiphanius in libro, qui *Ancoratus* [3] dicitur: « Spiritus Deus est et Spiritus Patris et Spiritus Christi non secundum aliquam compositionem, quemadmodum in nobis anima et corpus, sed in medio Patris et Filii, ex Patre et Filio ». — Idem quoque Sanctus in libro de Una Deitate [4] ait: « Ait ergo Petrus his qui circa Ananiam: *Ut quid tentavit vos satanas Spiritui sancto mentiri? Non mentiti estis homini, sed Deo.* Ergo Deus ex Patre et Filio Spiritus, cui mentiti sunt qui de pretio defraudaverunt ». — Item, idem in eodem [5]: « Vita totus Deus est; ergo vita ex vita Filius. *Ego,* inquit, *sum via, veritas et vita.* Spiritus vero sanctus ex ambobus, Spiritus ex Spiritu ». — Idem in eodem [6]: « Pater, cum Filii sit Pater, lumen totus, Filius Patris, verum lumen ex lumine non utique facta vel creata sola appellatione, et Spiritus sanctus Spiritus Veritatis est, lumen tertium ex Patre et Filio ». Quid hoc expressius dici potest?

19. Item, Cyrillus, exponens illud in Actibus [7]: *Ministrantibus illis dixit Spiritus Iesu: Segregate mihi Barnabam et Saulum,* ita dicit: « Si igitur, vocante illos in apostolatum Spiritu Iesu, ab ipso vocatos esse dicunt, ostenditur manifeste,

---

[1] Sive Ancoratus, n. 73.

[2] Libr. V. de Trinit. n. 37, sed ultima verba sunt Magistri Sentent. lib. 1. d. XVIII. cap. 3.

[3] Num. 8.

[4] Vide Ancorat. n. 69, ubi citatur Act. 5, 3. seq. — Sequens locus desideratur in B.

[5] Num. 70. Citatur Ioan. 14, 6.

[6] Num. 71.

[7] Cap. 13, 2.; Thesaur., assert. 34.

quod non alienum est ab essentia Filii Spiritus sanctus; sed in ipso et ex ipso quasi operatio quaedam naturalis, omnia potens explere, quaecumque vult ». Et paulo post [1]: « Et ipse Spiritus, *sensus* existens eorum iuxta Apostolum dicentem: *Nos sensum Christi habemus,* illa prorsus ratiocinabitur et ordinabit, quae et ipse, cuius est sensus; propter hoc nihil ex se ipso Spiritum locuturum affirmavit, quasi diceret: *Ego sum qui loquor*, velut si et qui in homine est sensus dicat de procedente ex ipso ratione: non loquetur ex se ipsa aliquid, sed quaecumque audiet loquetur ». — Et statim paulo post interposita aliqua verba addit: « Talem quidem intellectum oportet recipere de Spiritu sancto. Cum enim existat sensus Christi, omnia, quae ipse loquitur discipulis, non inseparata quadam voluntate ab eo, in quo et ex quo est, loquitur, sed tanquam ex essentia eius naturaliter procedens et totam eius voluntatem habens sicut et operationem ». — Idem, super illud: *Nemo potest dicere Dominus Iesus nisi in Spiritu sancto* [2]: « Manifestum est, quod qui participat Spiritum sanctum novit Dominum Iesum; qui autem non participat ignorat. Sicut qui de melle gustaverunt sciunt, quod dulce est mel, sic et spiritus particeps: ergo ex essentia Filii Spiritus sanctus, qualitas quaedam, ita dicamus, Dominatoris omnium Dei ». *Qualitatem* autem vocat Spiritum sanctum, non simpliciter, sed *quandam,* ut ostendat, quod non est accidentalis proprietas, sed intimus amor, quo sentitur bonitas Patris et Filii, sicut per dulcedinem sentitur qualitas mellis.

20. Item, Basilius in libro de Spiritu sancto [3]: « *Ille me clarificabit,* inquit, *quia de meo accipiet et annuntiabit,* non sicut creatura, sed sicut Spiritus veritatis, aperte demonstrans in se ipso veritatem, et sicut Spiritus sapientiae *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* in sua magnitudine revelans, et sicut Paracletus characterizat eius qui misit ipsum bonitatem et in sua dignitate maiestatem demonstrat, unde et provenit ». Quod nihil aliud est dicere, quam quod procedit. — Idem contra Eunomium [4]: « Imago quidem Dei Christus est, qui est,

[1] Ibid., ubi citantur I. Cor. 2, 16. et Ioan. 4, 26.
[2] Ibid., ubi exponitur I. Cor. 12, 3.
[3] Cap. 18. n. 46; citantur Ioan. 16, 14. et I. Cor. 1, 24.
[4] Libr. V; respicitur Coloss. 1, 24.

inquit, *imago invisibilis Dei;* imago autem Filii, Spiritus ». — Idem in eodem [1]: « Sicut Filius se habet ad Patrem, sic Spiritus ad Filium ». Si ergo Filius, quia est imago Patris, naturaliter ex Patre producitur; necesse est, quod et Spiritus sanctus a Filio spiretur. — Idem quoque in sermone de Trinitate [2]: « Via ad Dei cognitionem est ab uno Spiritu per unum Filium ad unum Patrem, et e converso naturalis bonitas et quae secundum naturam sanctificatio et regalis dignitas a Patre per Unigenitum ad Spiritum provenit ».

21. Item, Athanasius in editione fidei [3], cuius initium est: *Credimus in unum unigenitum Deum,* parum ante finem: « Spiritus sanctus processura est Patris et ferventis Filii, per quem implevit omnia ». — Idem in Epistola ad Serapionem [4]: « Uno existente Filio vivente Verbo, unam oportet esse perfectam et plenam et sanctificativam vitam, quae est operatio eius et donum, quod ex Patre dicitur procedere, quia ex Verbo, quod ex Patre est, manifeste resplendet et mittitur et donatur ». — Idem in sermone de ea quae in carne est dispensatione Verbi [5]: « Ne quis putet, quod non habens Spiritum, ipsum tunc accepit Christus. Ipse enim ipsum de sursum mittebat ut Deus, et ipse ipsum deorsum recipiebat ut homo. Ex ipso ergo in ipsum descendebat, ex Deitate eius in humanitatem eius ». Si ergo apud eum erat, antequam descenderet; et hoc non erat nisi secundum processionem aeternam: ergo Spiritus ab ipso Filio naturaliter manat. — Idem in Epistola de Spiritu sancto [6]: « Sicut in propria imagine est Filius in Spiritu sancto, sic et Pater in Filio ». Et post modicum [7]: « Imago Filii dicitur et est Spiritus. *Quos praescivit,* inquit, *et praedestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui* ». Et in abbreviatorio sermone eiusdem Epistolae [8]: « Si autem *bonus odor* et forma Filii est, manifestum est, quod non est Spiritus crea-

---

[1] Ibid. et Lib. de Spiritu S. c. 17. n. 43.

[2] Libr. de Spiritu S. c. 18. n. 47.

[3] Expositio fidei, n. 4. Pro *processura* recens versio *processivum ens.*

[4] Epist. I. n. 20.

[5] De Incarnat. contra Arianos, n. 9.

[6] Epist. 1. ad Serapion. n. 20.

[7] Ibid. n. 24, ubi allegatur Rom. 8, 29.

[8] Nunc Epist. 4. ad Serapion. n. 3, ubi respicitur II. Cor. 2, 15.

tura ». Cum igitur imago naturalis et odor ab eo sit, cuius est imago, manifestum est, quod Spiritus sanctus procedit a Filio. — Et hoc est, quod ipse dicit in Symbolo [1], quod ipse confecit et in Ecclesia occidentali cantatur: « Spiritus sanctus a Patre et Filio, non factus nec creatus nec genitus, sed procedens ».

22. Item, Gregorius Nazianzenus in Sermone de Pentecoste [2]: « Erat semper Spiritus sanctus et est et erit, neque incipiet neque cessabit, sed semper Patri et Filio coordinatur et connumeratur, neque decebat, deficere vel Filium Patri vel Spiritum Filio ». Ergo sicut Filius semper fuit cum Patre et a Patre traxit originem, sic Spiritus sanctus semper fuit cum Filio et ab eodem manare non destitit nec incepit. — Item, Gregorius Nyssenus [3]: « Immutabilem vere eum confitentes, eam quae secundum causativum et causatum est differentiam non negamus; in quo solo discerni alterum ab altero comprehendimus; hoc quidem causativum credentes, hoc autem causatum ex causativo; et eius, quod ex causativo est, aliam iterum differentiam intelligimus. Hoc enim proxime de primo, hoc autem per proximum de primo ». In hoc manifeste ostendit, quod Spiritus sanctus a Patre procedit per Filium. — Idem in libro contra Eunomium [4]: « Sicut copulatur Patri Filius, et ex ipso esse habens, non est posterior secundum existentiam; sic iterum et ab Unigenito habetur Spiritus sanctus, intellectu solo secundum causae rationem praespeculatam, Spiritus hypostasis ». Ex quo colligitur, quod non solum emanatio est ipsius Spiritus sancti a Filio, verum etiam inter ipsos naturalis ordo.

23. Item, Anastasius, Antiochenus Patriarcha, in sermone quodam [5]: « *Spiritus oris eius*, videlicet Dei, dicitur Spiritus sanctus, *ore* existente Unigenito, et *Spiritus* iterum ab ipso procedens et missus non solum a Patre, sed etiam a Filio ».

---

[1] In Symbolo vulgo dicto Athanasiano.

[2] Orat. 44. n. 13.

[3] Quod non sint tres dii, ad Ablabium, circa finem.

[4] Libr. I. in fine. Ultima verba in Graeco haec sunt: ἐπινοίᾳ μόνῃ κατὰ τὸν τῆς αἰτίας Λόγον προθεωρουμένου τῆς τοῦ Πνεύματος ὑποστάσεως (recens interpretatio: in sola principii ratione Filius prius quam Spiritus sancti hypostasis concipitur).

[5] Oratio I. de SS. Trinitate, n. 22, ubi respicitur Ps. 42, 6.

— Item Tarasius, Patriarcha Constantinopolitanus, in expositione Symboli [1]: « Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem et in unum Deum Iesum Christum, natum ex Patre sine tempore, et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, ex Patre per Filium procedentem ». — Item, in Epistola Dionysii [2]: « Credo in Spiritum sanctum, Deum et vivificum, ex Patre per Filium procedentem ». Sed non dicitur aliquid *manare per Filium*, nisi manet a Filio: ergo si procedit a Patre per Filium; necesse est, quod procedat a Filio. Haec enim praepositio *per* non potest importare vel notare causae *diversitatem*, nec habitudinem *instrumenti*, et ideo notat *auctoritatem* et principalitatem in Patre et *subauctoritatem* in Filio.

24. His bis septem Doctorum auctoritatibus manifestis cum universitate Doctorum Latinorum, qui omnes id ipsum consona voce clamant, psallit Ecclesia, Spiritum sanctum procedere a Patre et Filio, virorum sublimium, tam Graecorum quam Latinorum, doctrina pariter concinente. Et ideo tam praefatis Scripturarum quam Sanctorum auctoritatibus fultum generale Concilium apud Romam veterem celebratum [3] sic definivit: « Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus est solus et verus Deus, aeternus Pater a nullo, Filius a Patre solo, ac Spiritus sanctus pariter ab utroque, absque initio semper ac fine: Pater generans, Filius nascens, Spiritus sanctus procedens, consubstantiales, coaequales et coomnipotentes et coaeterni ». — Huic autem Concilio praeiudicare non potuerunt Concilia prius in Graecorum Ecclesia celebrata, quia nihil huic definierunt contrarium, et semper posteriora Concilia super priora aliquid addiderunt. Alioquin frustra essent celebrata, quia sic oportebat, fidem magis ac magis explicari ad haereticorum perfidiam elidendam. Romano etiam Praesuli, apud quem plenitudo residet potestatis, ad explicationem veritatis fidei via praecludi non potuit, nec auctoritas minui, nec a praelatis inferioribus nec a suis praedecessoribus, quia nec inferior arctat superiorem, nec habet imperium par in parem.

---

[1] Epist. 5.

[2] Videtur esse Dionysius episc. Alexandrinus; non exstant nisi fragmenta scriptorum eiusdem.

[3] Concilium Lateranense IV. c. 1.

## Testimonium secundum, scilicet rationis theologicae, ex septem suppositionibus deductum.

25. Iam utrarumque auctoritatum testimonio pro fundamento posito, ad rationum testimonium nostrae mentis aedificium erigentium in sublime pro nostrae capacitatis modulo spiritualibus oculis intendamus. — Et primum quidem attendendum, quod perspicacis rationis illustratus oculus per sancti Spiritus influentiam radiosam intelligit et fatetur, quod in illa summa et beatissima Trinitate est vera *distinctio*, et cum distinctione *ordo*, ne sit ibi confusio; et cum distinctione et ordine *summa connexio*, et cum his tribus summa *communicatio, condilectio et similitudo*, et in his omnibus est summa *perfectio*. Ex quibus omnibus necessario convincitur, quod Spiritus sanctus vere et proprie profluat seu procedat a Patre simul et Filio.

26. Primo quidem, si in divinis personis est vera et perfecta *distinctio* — et hoc ibi esse non potest secundum diversitatem essentiarum, vel proprietatum accidentalium — necesse est, quod sit secundum distinctionem provenientem ex origine et mutua relatione, quam vocat Gregorius Nyssenus [1] *distinctionem causati et causativi*, et Latini doctores *producentis et producti*. Cum ergo Filius non sit a Spiritu sancto nec referatur ad Spiritum sanctum; si Spiritus sanctus non refertur ad Filium nec spiratur a Filio, iam non erit inter huiusmodi personas vera distinctio. — Quodsi dicat Graecus, huiusmodi personas distingui, quia diversis emanationibus et relationibus oriuntur et referuntur ad Patrem; cum perfectius distinguerentur, si unus eorum oriretur ab altero et referrentur ad invicem: manifestum est, quod perfectiori modo in eis distinctio ponitur, si Spiritus sanctus procedat a Patre et Filio, quam si procedat a Patre solo. Si igitur omne, quod est perfectius, Deo est attribuendum [2]; necessaria ratione convincitur, quod Spiritus sanctus a Filio producatur.

27. Secunda rationis suppositio est, quod in illa beata personarum pluralitate cum vera distinctione est verus *ordo;* alio-

---

[1] Vide supra num. 22.

[2] Secundum Anselmum, Monolog. c. 15.

quin esset ibi confusio. — Sed non est ibi ordo *superioris* et *inferioris*, nec *prioris* et *posterioris*, quo alter sit sic excellentior, alter minor, alter prior, alter posterior: ergo necessario est ibi ordo *originis* vel naturae, quo alter ex altero. Sed Filius non est ex Spiritu sancto, cum Spiritus sanctus tertium lumen sit, ut dicit Epiphanius [1], et in confessione verae fidei tertio ponatur in loco: ergo necesse est, quod Spiritus sanctus manet a Verbo.

28. Tertia suppositio verae rationis est, quod in illis divinis personis est summa *connexio*. Sed si Filius et Spiritus sanctus ab uno procedunt principio diverso emanandi modo, ita quod neuter ab altero; minime connectuntur ad invicem; sicut apparet in creatura in prole generata et forma per artem impressa, quae minime sibi cohaerent. Igitur secundum hoc Filii ad Spiritum sanctum minima connexio foret. Si igitur maior et perfectior connexio est, quo ambo manent ab uno, et unus manet ab altero; et necesse est, ibi summam et perfectam connexionem ponere: necesse est, unum ab altero emanare. Sed non emanat a Spiritu sancto Filius: ergo necesse est, quod a Filio manet Spiritus sanctus.

29. Quarta suppositio verae rationis est, quod in illis divinis personis sit summa *communicatio*. Igitur Pater communicat Filio quidquid communicari potest. Nil autem impedit, quin possit ei communicare spirationem, ut sit cum Patre unum principium Spiritus sancti, sicut et ei communicat, quod sit una cum eo unum principium creaturae. Igitur aut necesse est, quod Pater Filio sua omnia non perfecte communicet — quod est contra verbum Filii dicentis [2]: *Omnia, quaecumque habet Pater, mea sunt* — aut quod Filius una cum Patre Spiritum sanctum spiret.

30. Quinta suppositio est per se nota, quod in divinis personis est summa *condilectio*. Sed Spiritus sanctus est amor Patris et Filii, sicut dicit Gregorius in Homilia Pentecostes [3]: « Ipse namque Spiritus sanctus amor est; unde Ioannes dicit: *Deus caritas est* ». Et quod hoc de Spiritu sancto intelligat,

[1] Supra num. 18.

[2] Ioan. 16, 15.

[3] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 1; deinde allegantur I. Ioan. 4, 8. et 16.

Augustinus [1] probat per hoc quod paulo ante praemittit: *In hoc cognovimus caritatem Dei, quia de Spiritu suo dedit nobis.* Si igitur perfectior est condilectio, qua diligentes mutuo se diligunt, quam quod unus solus per amorem tendat in alterum; aut igitur Spiritus sanctus non est summa condilectio, aut necesse est, quod sit amor manans simul a Patre et Filio, ut sit perfectus eorum nexus atque complexus, quo Pater et Filius simul se diligunt, et singulus eorum est diligens et dilectus.

31. Sexta suppositio est, quod in divinis personis est summa *similitudo* seu repraesentatio; propter quod et in auctoritatibus praemissis asseritur, quod Filius est imago Patris, et Spiritus sanctus imago Filii. Est autem imago expressa similitudo. Si igitur Filius dicitur imago Patris magis quam Spiritus sanctus, et Spiritus sanctus imago Filii et non Patris; et hoc non possit esse per maiorem assimilationem in aliquo essentiali, quia omnino sunt idem in essentia: necesse est, quod sit maior assimilatio secundum rationem alicuius originationis et relationis. Sed huiusmodi assimilatio esse non potest, nisi ut Filius essentialiter producat cum Patre et aeternaliter producatur cum Spiritu sancto. Si igitur Filius nullum potest aeternaliter producere nisi Spiritum sanctum, necessario oportet, Spiritum sanctum aeternaliter a Verbo manare, iuxta quod in superioribus auctoritatibus praemissum est, ut Filius sit fons Spiritus sancti, sicut Pater est fontalis origo Filii.

32. Septima suppositio est necessario praemissis annexa, quod in divinis personis est *perfectio* summa. Sed in Trinitate non est vera perfectio, nisi sit reperire perfectam rationem *primi, medii* et *ultimi.* Sed in Patre est perfecta ratio *primi principii,* quia aeternaliter producit et non producitur; in Spiritu sancto vera [2] ratio *ultimi,* quia aeternaliter producitur et aeternaliter non producit: ergo in Filio erit perfecta ratio *medii,* quia aeternaliter producitur et producit. Sed non est dare alium, quem producat aeternaliter, nisi Spiritum sanctum; nec illum producit alio modo quam Pater, nec secundum aliud et aliud, sed secundum idem et eodem modo: ergo necesse est, quod sicut Spiritus sanctus procedit a Patre, sic et procedat a Filio.

---

[1] In Epist. I. Ioan. tract. 7. n. 6, ubi citatur I. Ioan. 4, 13.

[2] Cod. B *est perfecta.*

33. His septem suppositionibus et rationibus quasi septem luminibus Latinorum doctorum oculus illustratur, Spiritum sanctum a Filio procedere; ac non solum ex auctoritate, sed etiam ex certa ratione in divina sublimatus, Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere, libera voce confitetur, quamquam et aliae inveniri possent, quibus ad praesens brevitatis causa supersedendum censeo, ne legentibus vel audientibus fastidium generetur.

### Testimonium tertium, scilicet revelationis.

34. Sed iam tertio veniamus ad testimonium tertium, divinae scilicet *revelationis, ut, sicut tres sunt, qui testimonium dant in caelo* [1], sic et tria sint vera testimonia fidei huius in corde nostro. Et quemadmodum testimonium *auctoritatis* correspondet Patri, et *rationis* Verbo, sic et *revelationis* Spiritui sancto.

Dico igitur primo, quod tam Ecclesiae Graecae quam Latinae earumque doctoribus huius veritatis revelatio facta est, sicut ex praemissis auctoritatibus evidenter apparet, fuitque in primitiva Ecclesia idem in fide sensus idemque in confessione consensus. Verum postquam, omnibus tam Graecis quam Latinis paulative a spiritu ad carnem declinantibus — iuxta quod Galatarum stultitiam reprehendit Apostolus [2], quod, *cum spiritu coepissent, carne consummarentur* — Graeci plura interposuere velamina inter se et Spiritum sanctum, quominus ipsius processionis veritas eis innotesceret, vel potius apud eos maneret agnita veritas, quam Latini.

### Septem rationes, cur Latini prae Graecis in hoc illuminati fuerint.

35. Et primum quidem ac velamen praecipuum fuit *minor reverentia ad Sedem Vicarii Iesu Christi*, Apostoli videlicet Petri, cui dictum est a Domino [3]: *Beatus es, Simon*

---

[1] Epist. I. Ioan. 5, 7. et 8. — Termino *revelationis* in sensu largo utitur etiam Bonav., I. Sent. d. 11. q. 1.

[2] Galat. 3, 3.

[3] Matth. 16, 17. et Luc. 22, 32.

*Bar-Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in caelis*; *et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, sicut legitur in Matthaeo; et in Luca legitur: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus. confirma fratres tuos.* Et cui magis conveniens erat revelari veram Spiritus sancti processionem et eius confessionem, nisi ei qui tenet caput in universali Ecclesia, ut, *sicut unguentum in capite*, sic et eiusdem Spiritus sancti suavis notitia redolensque confessio *descendat in barbam, barbam Aaron*, usque *in oram vestimenti* [1], corporis videlicet Christi mystici, usque ad fines orbis terrae protensi?

36. Secundo addo, quod hoc promeruit *Latinorum humilitas*, qui dicta Conciliorum et sanctorum Doctorum, non solum Latinorum, sed etiam Graecorum, humiliter susceperunt, non attendentes, quis qua lingua loqueretur, sed Spiritum sanctum, qui loquebatur in Patribus. Quodsi Graeci Doctorum Graecorum et Latinorum dicta humiliter et reverenter voluissent perspicere, cum omnes aut pene — quod dico propter Damascenum [2] — in id ipsum, quod Spiritus sanctus aeternaliter manet a Filio, concorditer consenserint; nunquam hoc attendissent [3], nequaquam huiusmodi veram de Spiritu sancto confessionem fateri formidassent.

37. Tertio subdo, quod, quia Ecclesia Latinorum praeelegit *spiritum munditiae et castitatis*, ne uxorum et filiorum amor eos enervaret ad carnem; ideo, quia contempta carne, adhaeserunt spiritui, digni fuerunt, de vera processione Spiritus sancti ab ipso Spiritu illustrari, magis quam hi qui, contempto spiritu, adhaeserunt carni. Hoc autem de bonis intelligimus, cum nonnulli fuerint et sint inter Latinos, qui carnem praetulerunt spiritui, munditiam polluentes castitatis. Et absit, quod per tales veritatis et sanctitatis Spiritus sui ipsius processionem veram manifestaverit, quia *in malevolam animam non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis* [4].

---

[1] Psalm. 132, 2.

[2] Verba eius (I. de Fide orthod. c. 8.) vide apud Bonav., I. Sent. d. 11. q. 1. 9. ad oppos. cum solut. ad 9. Iam Scotus (I. Sent. d. 11. q. 1.) et multi recentiores orthodoxiam Damasceni quoad hanc rem vindicant.

[3] Ita codd.; fortasse substituendum *attentassent*.

[4] Sap. 1, 4.

38. Quarto subiungo, quod Latini ad intelligentiam productionis aeternae usi sint *manuductione sublimiore*, sumta similitudine a processione in creaturis. Cum enim processio sit *progressus localis* et *egressus originalis* seu causalis — procedere enim dicitur et quod localiter movetur, et quod ab aliqua causa causatur, et primo modo processio est progressus ab uno loco in alium, secundo modo est egressus ab aliquo vel ab aliquibus — et quia Graeci usi sunt processione translata a *primo modo*, qui magis est pedestris et materialis: ideo semper intelligunt, quod Spiritus sanctus, quatenus procedit, procedat ab uno in alium. Et quia non est ab aeterno ponere aliquod susceptivum, in quod procedat a Filio; ideo non potuerunt sublimari ad intelligendum, qualiter Spiritus sanctus per processionem ab ipso Dei Filio aeternaliter habeat exoriri. Latini vero similitudine utentes altiori, videlicet de processione *effectus a causa*, potuerunt intelligere, quod, sicut una flamma procedit a duobus lignis, sic et unus amor, unus ignis sancti Spiritus a duabus personis. Et haec quidem similitudo intimius competit Spiritui sancto. Cum enim Spiritus sanctus amor sit et donum sit, sicut dicit Gregorius[1]; non ideo amor est, quia donum, sed ideo donum est, quia amor, pro eo quod amor est donum, in quo omnia dona donantur. Verum quidem est, quod in quantum donum ab aliquo donatur alicui, et ideo hoc modo recte dicitur a Patre procedere et in Filio permanere, vel a Filio procedere et in humanitate assumta vel in corpore mystico quietari; sed in quantum amor spiratur et procedit, procedit ab amantibus tanquam nexus amborum, a quibus procedit et in quibus etiam requiescit. Et ideo, quia altiori et intimiori similitudine usi sunt Latini, ideo meruerunt ad altiora provehi et ad profundiora introduci.

39. Quinto subinfero, quod Latini *spirituali similitudine verbi* et *spiritus* usi sunt ad intelligendum Trinitatis mysterium. Si enim quaeratur Trinitatis imago, non invenitur nisi in suprema facie mentis nostrae, ubi est *imago* Dei scripta in *memoria, intelligentia* et *voluntate*, vel *mente, notitia et amore*, sicut asserit Augustinus[2]. In *corde* vero, *spiritu* et

[1] Vide supra num. 30.

[2] Libr. XV. de Trinit. c. 20. n. 39; cfr. Bonav., I. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 1. et a. 2. q. 1. De differentia inter *vestigium* et *imaginem* cfr. ibid. p. I. q. 2. in fine.

*verbo vocali* non invenitur nisi Trinitatis *vestigium*, non imago, tanquam in corporalibus. Hac autem ultima similitudine usi sunt Graeci et eorum doctor et manuductor Damascenus. Ideo semper imaginantur Spiritum sanctum quasi medium inter Patrem et Filium, cum tamen nullo modo dici possit, quod Filius sit a Spiritu sicut verbum vocale a flatu. Ideo per exemplum Damasceni [1] depressi fuerunt potius quam evecti, quia ibi non similitudo Spiritus et Verbi increati, sed potius incarnati, quod unitur carni per operationem Spiritus sancti, sicut verbum mentale per corporalem spiritum iungitur voci. Latini vero cum Augustino usi sunt similitudine intellectuali; ideo, sicut amor procedit a mente et notitia, quia nunquam procedit a mente nisi per notitiam — « invisa enim possumus diligere, incognita vero nequaquam; quod enim nullo modo cognoscitur nullo modo amatur [2] » — ideo tanquam spiritualiori similitudine, *spiritualiter spiritualia contemplantes* [3], ad hoc meruerunt per revelationem perduci, ut intelligerent, quod Spiritus sanctus tanquam verus amor Patris et Filii a Patre Filioque procedit.

40. Sexto superaddo, quod rationem *principationis magis proprie acceperunt* in Deo moderni Latini quam moderni Graeci, cum idem fuerit antiquorum sensus hinc et inde, pro eo quod, sicut Pater est unum principium Filii, et Pater et Filius et Spiritus sanctus, tres unum principium creaturae sunt; et in medio duo sunt principium unius Spiritus sancti tanquam una virtute et una spiratione unum Spiritum sanctum pariter inspirantes, pariter producentes. Unde sicut non sequitur: Pater sufficienter creat, ergo Filius non creat, vel superflue creat, quia una creatione cum Patre creat; sic et de processione intelligendum est. Nam sicut unus est amor, qui procedit a mente et mentali notitia sive verbo, sic et unus est Spiritus sanctus, qui procedit a Patre et Filio.

41. Septimo subiicio, quod hoc *altitudine divini consilii* seu iudicii contingit, ut sicut *ex parte contingit caecitas in populo Israel, ut plenitudo gentium intraret*, testante Apo-

---

[1] Vide supra num. 36, notam 2.

[2] August., X. de Trinit. c. 1. n. 1. seqq.

[3] Epist. I. Cor. 2, 13.

stolo [1], sic et obscuratio partim accidit in populo Graecorum circa spirationem Spiritus sancti, ut, clarificato Spiritu sancto in Ecclesia Latinorum, suo tempore claresceret perfecta clarificatione in Ecclesia Graecorum; ut, sicut Elias *venturus est, ut convertat corda patrum ad filios* [2], hoc est Iudaeorum ad Christianos; sic et Spiritus Veritatis in spiritualibus viris per Eliam designatis, convertat cor Graecae Ecclesiae ad Latinam. Et sicut notitia Deitatis a Iudaeis venit ad Graecos et per Graecos transit ad Latinos — quod insinuat titulus crucis scriptus *Hebraice, Graece et Latine* [3] — sic et a Latinis redeat ad Graecos et per Graecos et Latinos tandem perveniat ad Hebraeos, et sic *fiet unum ovile et unus pastor.*

## Epilogus.

42. Unde si quid videtur Graecis a Latinis fuisse omissum, quod ad huiusmodi confessionem faciendam minime fuerunt vocati; non debent propter hoc contra sanctam matrem Romanam Ecclesiam indignari — cum certa et nota veritas esset, non esset revocanda in dubium — sed potius imputare peccatis suis; quia de inquisitione huiusmodi veritatis, ut debuerunt, non fuerunt solliciti; et divina iudicia venerari, exclamantes cum Apostolo [4]: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius;* ut sic agnoscentes reatum suum et magnificantes Deum, humilitatis concepto spiritu, una nobiscum illuminari mereantur, non subtrahentes nec reticentes nobilissimam laudem Filio Dei, qua scilicet asseritur esse principium Spiritus sancti, quod maius est quam omnia creata originare; nec ipsi Spiritui sancto auferentes nobilissimum actum, qui est clarificare Filium per hoc, quod ab eodem aeternaliter accipit esse divinum. Summa enim laus et clarificatio Filii in hoc *esse* dignoscitur, quod est origo Spiritus sancti. In quo etiam aeterni Patris summa liberalitas declaratur, quia communicat Filio vir-

---

[1] Rom. 11, 25.
[2] Luc. 1, 17.
[3] Luc. 23, 38; deinde respicitur Ioan. 10, 16.
[4] Rom. 11, 33.

tutem productivam, non solum ex tempore, sed etiam ab aeterno. Sicque optamus, ut in hac confessione non solum honorificent, verum etiam glorificent totam beatissimam Trinitatem; et sic in confessione eiusdem verae ac sempiternae Trinitatis nobiscum effecti unanimes, repleri mereantur cum matre omnium Ecclesiarum dono sancti Spiritus septiformi, *Spiritu* videlicet *sapientiae et intellectus, Spiritu consilii et fortitudinis, Spiritu scientiae et pietatis ac timoris Domini* [1]. Qui quidem septiformis Spiritus haberi non potest nisi in unitate et pace, iuxta quod dicit Apostolus ad Ephesios [2], *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis;* quod eis et nobis praestare dignetur ipse Deus trinus et unus, cui est omnis honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

[1] Isai. 11, 2. seq.
[2] Cap. 4, 3.

# I. INDEX

## TEXTUUM SACRAE SCRIPTURAE

### IN HOC VOLUMINE CITATORUM.

(Ubi habetur *, textus est a Vulgatae textu diversus).

---

## A. VETUS TESTAMENTUM.


| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Gen. | 1, 1. | *pag.* | 137 | Ps. | 18, 7. | *pag.* | 32 |
| | 9, 6. | | 142 | | » 10. | | 32 172* |
| | 24, 50. | | 167 | | 32, 6. | | 433 |
| | 24, 57. | | 112 167 | | » 7. | | 2 |
| | 3, 2. | | 416 | | 33, 9. | | 404 |
| Exod. | 33, 11. | | 374* | | 35, 9. | | 12 404 434 |
| | » 13. | | 374* | | 42, 6. | | 443 |
| | » 18. | | 373* | | 77, 1. | | 32 |
| | » 20. | | 27 365 370* 376 | | » 4. | | 32 |
| | | | 380 388 417 | | 83, 5. | | 35 |
| | 12, 6. | | 376 | | 88, 15. | | 35 |
| | » 7. | | 366* | | 90, 16. | | 397 |
| | » 8. | | 374 | | 93, 12. | | 22 |
| Num. | 20, 6. | | 13 | | 102, 5. | | 11 |
| Deut. | 4, 7. | | 80 107 | | 115, 2. | | 395 |
| | 6, 4. | | 137 | | 118, 18. | | 30 |
| | 28, 58. | | 31 | | » 20. | | 394 |
| | 30, 11. | | 62* | | » 142. | | 30 |
| | 33, 2. | | 32 | | » 165. | | 32 |
| 3. Reg. | 10, 8. | | 34 | | 132, 2. | | 449 |
| 4. Reg. | 5, 26. | | 303* | | 147, 2. | | 11 |
| | 20, 1. | | 109 | | 148, 11. | | 7 |
| Tob. | 13, 20. | | 34 | Prov. | 2, 4. | | 14 |
| Iob | 3, 9. | | 370 | | 3, 1. | | 31 |
| | » 21. | | 14 | | » 13. | | 25 |
| | 4, 12. | | 387 | | » 14. | | 25 |
| | 12, 7. | | 27 | | » 18. | | 35 |
| | » 12. | | 414 | | 6, 6. | | 28* |
| | 18, 21. | | 363 364 | | » 23. | | 30 |
| | 28, 13. | | 25 | | 8, 34. | | 25 |
| | » 18. | | 14 | | 21, 20. | | 15* |
| | » 21. | | 380 | | 26, 11. | | 16 |
| | » 28. | | 105* | | 31, 18. | | 15 |
| Ps. | 4, 6. | | 157 | Eccle. | 1, 8. | | 277 |
| | 16, 15. | | 365 | | 7, 25. | | 25 |
| | 17, 12. | | 416 | Cant. | 1, 1. | | 407 |
| | » 35. | | 28 | Sap. | 1, 4. | | 26 449 |

Sap. 6, 21. *pag.* 9
7, 7. 13 25
» 14. 2 13
» 26. 26
» 27. 26
9, 15. 56 355 370 393
10, 10. 10
12, 8. 28*
13, 5. 138
16, 20. 12* 36*
Eccli. 3, 22. 61 74*
15, 3. 13
18, 6. 3
19, 4. 60
24, 27. 32
27, 12. 27
43, 29. 32*
» 32. 32*
Isai. 7, 9. *p.* 24* 68* 214* 312*
9, 7. 11
11, 2. 453*
» 4. 438
38, 1. 109
Ier. 2, 13. 434
31, 18. 28
» 31. 17
» 33. 17
Thren. 1, 13. 29
Ezech. 1, 16. 3 20 78
8, 10. 276
10, 10. 3
Dan. 7, 14. 11
9, 23. 25
Ionas. 3, 4. 109 118
» 10. 109
Habac. 2, 4. 62 81


## B. NOVUM TESTAMENTUM.


Matth. 1, 23. 107
5, 8. 26
» 39. 80
» 40. 80
» 44. 87
6, 19. 87
» 21. 87
9, 22. 77
10, 41. 80
11, 25. 6 23
13, 43. 10
» 44. 25
» 52. 1 22
15, 24. 79 107
16, 17. 448
20, 1. 8
» 8. 8
» 11. 8
» 16. 9
22, 16. 30
» 36-40. 31
» 37. 304
25, 21. 12
» 23. 12
28, 20. 107
Marc. 1, 22. 30
» 27. 30
2, 14. 71
16, 20. 98
Luc. 1, 17. 452
» 34. 435
» 35. 435
2, 25. 24*
» 32. 11
6, 29. 87
Luc. 8, 46. 434
10, 23. 34
11, 23. 61
14, 11. 87
» 15. 12* 36*
17, 21. 87
18, 14. 87
22, 29. 12
» 32. 448
23, 38. 452
Ioan. 1, 1-5. 135
1, 3. 9 228
4, 26. 441
5, 26. 434 438
6, 64. 436
7, 16. 439
10, 9. 23
» 16. 452
13, 34. 16 304
14, 6. 435 438 440
» 13. 29
» 26. 29
15, 22. 79 106
» 26. 435 438 439
16, 7. 432
» 13. 433 439
» 14. 432 441
» 15. 446
20, 22. 434 435 438
Act. 4, 12. 81
» 32. 21
5, 3. 440
10, 11. 416
13, 2. 440
17, 28. 264

Rom. 1, 7. *pag.* 62
» 17. 81
» 20. 138 244
2, 12. 30
» 14. 75 98
» 22. 104
5, 5. 436
8, 2. 32
» 24. 195
» 29. 442
9, 20. 24
11, 25. 452*
» 33. 452
13, 8. 31
14, 17. 12
» 23. 76
1. Cor. 1, 20. 104
» 24. 441
2, 9. 69
» 10. 29
» 14. 6 26
» 16. 441
7, 7. 26*
11, 25. 17
12, 3. 441
» 10. 411*
13, 8. 160 410*
» 9. 50
» 10. 62 160 161 167* 184
» 12. 10* 34* 144* 149 153 157* 160 163 169* 182* 188* 212* 370 380 416
» 13. 160
15, 24. 9
» 33. 439
» 46. 18*
» 53. 56 370*
2. Cor. 3, 15. 157*
4, 18. 87
5, 6. 165 376* 380
10, 5. 132* 167* 194* 202*
» 5. 148
12, 1. 395
» 2. 383
» 4. 387 388
2, 20. 402*
2. Cor. 3, 3. *pag.* 448
4, 6. 435
Gal. 5, 6. 208*
5, 14. 31
» 17. 390 423
6, 8. 87
» 14. 27 380
Eph. 3, 10. 189
4, 3. 453
» 5. 81
» 11. 30
2, 6. 380
Phil. 2, 7. 23*
4, 7. 69 404* 406
Col. 3, 4. 170*
1. Thess. 2, 13. 116
2. Thess. 2, 8. 438
1. Tim. 1, 5. 142
2, 4. 100 151*
» 5. 10 99
6, 16. 369*
Tit. 2, 11. 30
Hebr. 1, 1. 29
9, 13. 17*
» 15. 17
10, 28. 31*
11, 1. 71 78 112 127 128 166 185 188 190*
11, 6. 62 138
Iac. 1, 5. 13
2, 19. 186 189
2. Petr. 1, 21. 2* 29
2, 22. 16
1. Ioan. 1, 1. 29
2, 15. 87
» 27. 29
3, 2. 10
4, 1. 60*
» 8. 446
» 13. 447
» 16. 446
» 18. 172
5, 7. 448
» 8. 448
Apoc. 1, 8. 83
4, 1-7. 416
21, 23. 35
22, 1. 436
» 12. 8

# II. INDEX ALPHABETICUS

(Continet etiam nomina auctorum).


Abaelardus — Vide V. *Petrus Baalardi.*
Abel 8.
Abraham 92 — Abrahae fides 119 sq.
Abstinentia an valeat ad actum intelligendi 427.
Abstractio a phantasmatibus 361.
Abstrahere 228. 231. 253. 287. 294. 306. 361.
Academicorum error 44 sqq.
Acceptum de condigno et de congruo 99.
Accidens verum et accidens secundum rationem 238. — De sua natura est, ut insit 149. — Accidentis ad subiectum adhaerentia 390. — non transcendit suum subiectum 148. — Eius forma 177. — Species accidentis 58 sq.
Actio 20. — Actio et contemplatio 378.
Actus est duplex 340. — omnis est circa singularia 306. — an semper sit attribuendus principaliter agenti 217. — Actus conveniens duobus potentiis magis pertinet ad perfectiorem 397.
Actus coniugalis — In eo ratio absorbetur 418.
Actuum liber 21.
Adaequatio 234.
Adam 17. — Eius peccatum 84. — Apparitio Angeli 358.
Adorationi non subest falsum 123.
Aegritudo 84.
Aegyptus 93.
Aenigma 182 sq. — Aenigmatis et velaminis oppositio ad fidem et visionem beatificam 178.
Aeternum esse num sit unum 54. — patet ut ratio cognoscendi *ibid.*
Affectus — Cfr. V. *Intellectus et affectus.*
Agens est praestantius patiente 280. 286. — patitur a patiente 295. — Num actus principaliter agenti attribuendus sit 217.
Alexander 349.
Algazel 278. 415. 519. 423.
Alpharabius 350.
Amare facit magis bonum quam intelligere 399.
Amari Deo magis placet quam cognosci 398 sq.
Ambrosius in I. Cor. 8, 2. (inter opera Ambr.) 206. — Comment. in Rom. (inter opera Ambr.) 102.
Amicitia 64.
Amor 43. — procedet a mente et notitia 451 sq. — excedit intellectus naturam 404. — est virtus unitiva 403.
Anastasius 435. 443.
Angeli forma 177. — Num Angeli et homines sint pares in natura 367. 378. — quomodo perfectionem acquirat 266. — Prima cognitio 193 sq. 197. 199. — utrum in primo statu habuerit fidem 181 sqq. — an credant 177. — utrum ab Ecclesia didicerint mysteria 198 sq. — Angelici intellectus proportio 268. — inferiores cognoscunt superiores per species 357. — potest plura simul considerare 390. — an videat cogitationes nostras 360. — Deum vident per habitum gloriae 378. — Cognitio eius ab intellectu coniuncto 353 sqq. — cognitus est in mente per speciem 356. — Eorum cogitationes non videmus de lege communi 360. — apparuerunt iniquis 358. — potest sua visa communicare 416. — non imprimit species in intellectum 360. — transformat phantasma 360. — movet phantasma 298. — quomodo illuminet mentem humanam 358 sq. — Quomodo Deus loquatur per ipsos 355 sq. — Angelis cadentibus numquam fuit gratia collata 197. — quomodo sit in corpore humano 359. cfr. V. *Substantia separata* et *Spiritualis substantia.*

Anima est perfectio corporis, ab eo dependet et in eo exigit dispositionem 335 sq. 421 sq. 425 sqq. — quo sensu sit perfectio essentialis corporis 425 sq. — Perficere corpus non est primum esse animae 392. — quomodo sit in corpore 286. 359. — quo mediante organo uniatur 293.
quamvis sit simplex est multiplex in virtute 336 — est mutabilis 257. — est immortalis 425.
Animae vires inferiores ministrant superioribus 295. 316.
Animae portio superior et inferior 250. 328.
non patitur a corpore 295. 297. — non patitur a rebus sensibilibus 287. — aggravatur corpore corruptibili 370 sq.
est nata ferri in Deum 401. — est imago Dei 426 sq.
creatur nuda 53. — sibi praesens est 330. — num sibi sit praesentissima 338. — num sibi similis 340. — sibi nota est habitualiter, sed non semper se cogitat actualiter 334. — se novit habitu, non semper actu 337 sq. — habet impressam naturae suae notitiam et impressam notionem boni 325 sq. — utrum cognoscat seipsam et habitus, qui in ea sunt, per essentiam suam, an per actus tantum 317 sqq. — Alia opinio 326 sq. — De hac cognitione duobus modis loqui possumus 329. — se cognoscit per suam speciem 322 sq. — per suam speciem se cognoscit formaliter, per suam essentiam obiective 331. 338. — Essentia animae est causa intelligibilis originalis 340. — Error circa eius naturam 335.
Anima parvulorum 417 sq.
separata non habet perfectum naturae suae modum 426. — separata operatur sine corpore 427.
Animalia quomodo perfectionem suam acquirant 267. — Animalia munda 15.
Anselmus: de Casu diaboli 100. 381.
de Conceptu virginali et originali peccato 84. 403. 406.
de Concordia gratiae cum libero arbitrio 204. 211. 387.
Cur Deus homo 112. 125. 140.
de Libertate Arb. 367.
Monologium 225. 284. 289. 322.
Proslogium 5. 10. 254. 299. 342. 369.
de Similitudinibus 397.
de Veritate 77. 110. 219. 224. 252.
Antichristus 20.
Antonius abbas 407.
Apocalypsis 21.
Apostoli eruditi sunt per internas unctiones 29. — fidem confirmarunt 20. — sunt exempla sanctitatis 88.
Apparere est duobus modis 145.
Appetere — quod est supra rationem 73 sq. — Appetere malum 218.
Appetitus 303. — Appetitus universalis naturae frustrari non potest 44.
Apprehensio 54. 59. 239.
Archesilaus 44. 45.
Arguitio manuductiva 325. sq 329. 353.
Argumentum quid 127.
Aristoteles 251. 262. 279. — Cfr. V. *Philosophus*.
Ars se habet ad opposita 115. — Relatio inferioris ad superiorem 225.
Artifex cognoscit eadem arte totum et partes, 302. — praecognoscit opus 225.
Aspiratio interna 193. sq. 196.
Assentire, num sit actus intellectus 210. sqq. 216.
Athanasius 433. 434. 442. 443.
Auctoritas divina 86. 113. — Auctoritati humanae et divinae assentiendum est 65 sqq.
Augustinus 136. 180. 237. 251. 268. 352. 379. — sequitur Tullium 45. — est doctor praecipuus 252.
Contra Academicos 39. 44. 46. 48. 52. 63. 65. 113.
Contra Adimantum 16.
De Agone christiano 88. 89.
De Civ. Dei 2. 4. 5. 6. 7. 10. 11. 12. 18. 22. 29. 32. 35. 42. 43. 44. 47. 50. 67. 70. 76. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 95. 98. 104. 105. 118. 121. 134. 138. 141. 143. 186. 187. 190. 191. 193. 208. 222. 247. 250. 256. 268. 306. 317. 393. 399.
Confess. 4. 53. 57. 64. 135. 176. 228. 229. 230. 232. 233. 248. 254. 276. 290. 330. 331. 337. 342. 354. 367. 382. 410. 412.
De Doctr. christ. 1. 14. 21. 24. 31. 116. 154. 160. 162. 167. 173. 184. 188. 212. 228. 249. 367.
Enarrat in Ps. 14. 81.
Enchirid. 60. 63. 76. 77. 102. 188. 190. 195. 207. 212.
super Epist. Ioan. Tract. 172. 174. 447.
Epistolae: ad Consentium 371. — ad Deogratias 75. 78. 99. 124. — ad Dioscorum 23. 352. — ad Italicam 370. — ad Macedonium 399.

— ad Marcellinum 85. 108. — ad Nebridium 51. 278. 284. 285. 298. 309. 311. 324. 352. — ad Nestorium 435. — ad Paulinam 129. 166. 193. 323. 327. 352. 372. 384. 388. 397. — ad Volusianum 3. 6. 68. 94. 95. 131. 385.
Contra Faustum 17.
De Gen. ad litt. 3. 6. 39. 41. 56. 117. 128. 165. 186. 194. 197. 198. 199. 220. 228. 229. 247. 250. 252. 270. 280. 290. 291. 301. 305. 320. 324. 330. 335. 346. 352. 353. 355. 370. 372. 374. 380. 381. 383. 384. 385. 388. 392. 401. 405. 409. 411. 416. 418. 420. 421. 424. 426.
De Immortalitate animae 232. 411.
in Ioan. Evang. Tract. 17. 61. 205. 215. 403. 433. 434. 435.
Contra Iulianum 115. 276.
De lib. Arb. 11. 43. 79. 132. 232. 259. 260. 281. 287. 325. 367.
Liber 83 Qq. 15. 39. 42. 111. 130. 139. 268. 273. 298. 301. 312. 344. 408. 419.
Lib. de Magistro 545.
Musicae 260. 271. 280. 290. 324. 345. 425.
De Natura et gratia 206. 217.
De Peccatorum meritis et remissione 139.
De Perfectione iustitiae 74. 166.
De Praedest. Sanct. 112. 120. 167. 186. 194. 204. 209. 210. 211. 304.
Retract. 50. 52. 72. 133. 136. 144. 152. 214. 233. 285.
De Sermone Domini in monte 13.
Contra Sermonem Arianorum 21.
Contra Simplicianum 157.
Soliloquia 143. 165. 183. 191. 220. 226. 258.
De Trin. 8. 10. 12. 15. 33. 42. 48. 50. 51. 52. 53. 55. 68. 69. 70. 88. 92. 103. 105. 109. 116. 122. 127. 131. 132. 134. 135. 139. 142. 143. 148. 153. 154. 160. 163. 168. 169. 181. 182. 185. 206. 207. 208. 212. 218. 222. 224. 227. 228. 243. 245. 246. 248. 252. 254. 255. 257. 260. 269. 270. 275. 276. 278. 281. 285. 286. 287. 289. 290. 291. 299. 301. 304. 310. 315. 317. 319. 320. 323. 325. 326. 328. 329. 330. 332. 333. 334. 335. 337. 338. 354. 359. 365. 366. 369. 374. 376. 377. 380. 382. 386. 387. 394. 396. 398. 403. 410. 412. 413. 414. 417. 419. 438. 439. 451.
In Ps. 118. 394. 400.
De Utilitate credendi 64. 65. 69. 72. 92. 109. 113. 134. 137. 202.
*De Vera Innocentia* 383.
De Vera Relig. 40. 51. 81. 83. 85. 87. 88. 89. 92. 124. 140. 146. 250. 257. 259. 260. 268. 284. 290.
*De fide ad Petrum* 158. 438.
*Hypognosticon* 82.
*Dialog. Quaest.* 65 *ad Orosium* 372.
*Sermones* 19.
Aurora 161.
Avari 87.
Avempace 350.
Averroes 350.
Avicennae errores 278 sq. 337. 345. 349.
Metaph. 40. 70. 220. 224. 227. 230. 278. 344. 346. 397. 413.
VI Natural. (sive de Anima) 286. 302. 318. 324. 341. 388. 423.
Balaam 358.
Balneum 340.
Basilius 433. 434. 441. 442.
Beati, quomodo Deum cognoscant 336. — quomodo videant passionem Christi 172 sq. — Deum non comprehendunt *ibid.* — num credant *ibid.* 197.
Beatitudo 33 sqq. 43. — Est finis creaturae rationalis 69. 83. — Eam omnes appetunt 49. 70. — Sola Scriptura ad eam perducit 2. Cfr. 9. sqq. — Beatitudinis inchoatio 198. — inchoatur in actu cognitionis, consummatur in actu amoris 409. cfr. 410. — magis consistit in actu amoris quam in actu cognitionis 399. — Quaenam virtutes in ea maneant 164 sq. — Cfr. V. *Bonum summum, Finis, Visio beatifica.*
Beda 71.
Benedictus (S.) 391.
Bernardus 15. 63.
Boethius 26. 33. 42. 43. 56. 82. 112. 118. 125. 164. 224. 281. 298. 305.
Bonum magis movet quam verum 402. — Ratio boni altior est quam ratio veri 403. — Bonum de quolibet est credendum 122. 125. — Ad rationem boni concurrunt omnes circumstantiae 103. — Bonum verum fides promittit 81.
Bonum summum sive perfectum 11 seq. — Huius consecutio 408. — Notitia eius non est magis appetenda quam laetitia 409. — Bonum summum videre, possidere, de eo gaudere 34 sq.

Caeli forma 293. — Caelum movetur ab Intelligentia *ibid.* — Caelum triplex 384. — Caelum tertium 27. 372. 388. 404. — Caelum nonum 360. — Regnum caelorum 9 sqq.
Caesar 108.
Cain 358.
Canticum Canticorum 20.
Cappadocia 67.
Caritas 125. — Caritas duplex 122 seq. — num malum illi subsit *ibid.* — non est sine fide 99. 116. 173 sq. — an stet cum timore servili, initiali vel casto 172. — num sit forma essentialis fidei 217. — est forma virtutum 178. 200. 217. — est principium merendi 378. — non evacuatur 162 sq. — semper manebit 160. 165. 167. 410. — Caritatis habitus, qui facit beatum 377.
Carnis oculus 66.
Castitas 26. — Castitatis spiritus in ecclesia latina 449.
Causae superiores et inferiores 117. — Causae primae et secundae influentia 389 sq. — Causae cognitio per effectum 353. 360. 378 sq. — Multi cognoscunt rem, quin cognoscant causam 316.
Causa prima est effectiva et conservativa 234. — Causae primae cognitio 59.
Causati et causativi distinctio 445.
Causis (Liber de) vide V. *Liber de Causis.*
Cerebrum est nobilissimum membrum 419 422. — In eo sunt tres cellulae 415. — Cerebri perturbatio 419 sqq.
Certitudo fidei et rationis 72. — Utrum aliquid possit certitudinaliter sciri 39 sqq. 62 sq. — unde veniat 269. — Quid ei opponatur 150.
Certiora 56.
Chaldaei 85. 92.
Charismata gratiarum 32.
Christiana religio divinitus tradita 86 sqq. — Signa *ibid.* — Christiana fides 75 sqq.
Christiani habent familiaritatem Dei et Christi 107.
Christus 93. 112. 117. 119. sqq. — In eo fuit unum suppositum et duplex natura 391. — fide non indiguit 105. — habuit notitiam omnium intelligibilium 351. — habuit visionem beatificam et operationes sensitivas 385. — est sanctitatis exemplum 87 sq. — Corporis Christi adoratio 123.
Chrysostomus 25. 67. 189. 439.
Cicero 49. 108. Cfr. V. *Tullius.*
Clementiae exemplum 19.
Cogitare est actus intellectus 210. 212.
Cogitatio actualis 332.
Cogitativa seu ratio particularis 308.
Cognitio sensitiva et intellectiva 56. — perfecta et imperfecta 174. 176. — Cognitio certa 104. — Cognitio quia et quid est 353. 356. — Cognitio propter quid et cognitio quia 316 sq. — Cognitio contuitiva 335. 354. — Cognitio corporeorum et incorporeorum 51. 264. 285 sq. 315. 328. — Cognitio cuius idem est obiectum et ratio obiecti 197. — Cognitio futuri 239. — Cognitio naturalium et supernaturalium 269. — Cognitio eorum quae sunt supra rationem 104. — Cognitio matutina et vespertina 175 sq. 194. — Cognitio aperta et aenigmatica 384. — Cognitio viae et patriae, cognitio in proprio genere et in Verbo, cognitio philosophica et prophetica, cognitio investigationis et revelationis 46. cfr. 251. 253. — Cognitio per arguitionem, investigationem, notionem impressam, lucis aeternae irradiationem 353 sq.
Cognitionis medium 151.
Non solus actus facit cognitionem 334. — Num ad cognitionem requiratur rei existentia 219 sqq. — Tria concurrunt ad cognitionem veritatis 294. — Ad actum cognitionis requiritur intentio voluntatis 386. 390. — Cognitio intellectualis non est sine actuali cogitatione 332.
Utrum cognoscens recipiat species a rebus 269 sqq. — Variae opiniones 278 sqq. — causatur a sensu 56 sq. — generatur in nobis via sensus 46. 253. — Corporalium notitia per sensus colligitur 336. — Quomodo 294 sq. — Cognitio certitudinalis est formaliter a creatura, a Deo effective 265.
Utrum quidquid cognoscitur, cognoscatur in rationibus aeternis 241 sqq. — Opiniones diversae 250 sq. — utrum opponatur cognitioni 171. 177. — In cognitionem alicuius ducere possunt res alterius naturae 295. — Cognitionis incomplexae et complexae ordo 199. — non evacuatur in patria 184. — Cognitio est operatio naturalis 265. — Cfr. V. *Notitia* et *Visio.*
Cognitio et dilectio perfecta et imperfecta 179. — Utrum tanta sit cognitio quanta dilectio 406.

Cognitum est in cognoscente 308.
Cognoscere per impressam notionem, per investigationem, per lucis aeternae irradiationem 325 sq. — Cognoscere contuendo et arguendo non se excludunt 337. — Cognoscere in Verbo est duobus modis 200 sq.
Cognoscendi medium multiplex 55 sq. — Cognoscendi medium est certum, omnibus commune, immutabile, infallibile 258 sq. — Cognoscendi ratio est animae indita 53. — Cognoscendi ratio materialis, formalis, completive 261. — Cognoscendi ratio est forma intellectui inhaerens 266. — Cognoscendi modus in gloria, in statu innocentiae, in statu miseriae 192 sqq.
Cognosci tripliciter contingit 325. — Plus ad illud requiritur quam ad esse 264.
Cognoscibilis est res eo modo, quo est 235. — Magis est cognoscibile quod habet magis de esse 263 — Movere in ratione obiecti cognoscibilis 340. — Rei cognoscibilis immutabilitas 256 sqq.
Color, num colori opponatur 171.
Commentator de Anima 58. 284. 287. 288. 302. 320. — super Ethic. 191. 225. 414. — super Metaph. 43. 44. 245. 321.
Commune, remoto proprio, remanet 176.
Communicatio in divinis 446.
Compositio 58.
Compositum habet formas diversas 176 sq.
Comprehensio 54. 59. 239.
Conceptio mentis 225.
Concilium Chalcedonense 430. — Concilium quintum 437. — Concilium lateranense IV. 444. — Concilia posteriora super priora aliquid addunt *ibid.*
Concordia 85. — est salus populi 108.
Condignum 99.
Condilecto in divinis 446.
Congruum 99.
Connexio in divinis 446.
Conscientia quid 106. — Contra conscientiam, secundum conscientiam 101 sq. — Conscientia errans 102.
Consensus dicitur pro assensu 216.
Constantiae exemplum 19.
Contemplatio 20. — Contemplatio et actio 378. — Contemplationis oculus 66.
Continentiae virginalis consilium 107.
Contingens 120. — Contingens absolute 125 sq. — Contingentia habent rationes necessarias 53 sq. — An probari possint 146.
Contingentia absoluta 118 sq.
Contractus 64.
Contradictoria 49.
Contrarium suo contrario subesse non potest 113.
Contuitive videre 354.
Cornelius 99. 121.
Corporalia 359. — an manuducant ad cognoscenda spiritualia 362.
Corporei actio in incorporeum 280.
Corpus aggravat animam 56. 143. — num impediat operationem animae 335 sq. — Utrum corporis infirmitas impediat intellectum 410 sqq. — Corpus fortius est aptius ad operationes animae 423. 427. — Eius infirmitas per accidens roborat spiritum 423. — Duplex status corporis humani 392.
Corrumpens 200.
Corruptio 123.
Creatio mundi an probari possit 140 sq. 144 — Principium creationis 451.
Creator est ratio cognoscendi creaturam et creatura ratio cognoscendi Creatorem 265.
Creatura omnis mutabilis 265. — omnis est coarctata, limitata terminabilis et mutabilis 259. — num sit medium cognitionis certitudinalis *ibid.* — Creaturae triplex gradus conformitatis ad Deum 255. — Creaturae triplex operatio *ibid.* sq.
Creatura rationalis est imago Dei 252. 408. — Principium eius et finis 83. — Finalis perfectio 69. — Deo debet subiici 68.
Credendi habitus 103.
Credendorum habitudo et connexio ad invicem 144.
Credentium tria genera 73. 134. — Credentium multiplicatio 94 sqq.
Credere quid 120. 167. 194. 215. 304. — duobus modis dicitur 195 sq. — est actus intellectus 73. — Creduntur absentia 193. — Cui credatur 71. — Num inter credere et discredere sit medium 195. — Credere non est supra nos 74. — an sit necessarium 60 sqq. — Credere et intelligere non opponuntur 145. — Num ea quae creduntur, intelligantur 312.
An credere sit levitatis cordis 71. — est laudabile 72 sq.
Credere sine ratione, contra rationem 72 sqq. — Credere quae sunt

ex ratione, secundum rationem, supra rationem 145 sq.
Credibile materiale et formale 124. — Duobus modis de credibilibus loqui possumus 137 sq. — Credibilia quae sunt quasi fidei fundamenta, quae pertinent ad propria in divinis, quae pertinent ad divina opera 138 sqq. 145 sq. — Credibilia transcendunt intellectum 148. — non sunt contra rationem *ibid.* — Credibile omne mente percipi potest 124.
Creditum 103. — Creditum secundum id quod est et ut est creditum 126. — Creditum secundum naturam suam absolutam et prout cadit sub fidei credulitate 114. — Creditum habens veritatem necessariam vel contingentem *ibid.* — Creditum de re sive divisim et de dicto sive coniunctim 119. — Credito intellectus non acquiescit nisi trahatur ab affectu 73. — Num idem possit esse creditum et scitum 136 sqq. 152. — Num creditum sit intellectum 214.
Crucis titulus 452.
Culpae remissio et gratiae introductio 174.
Curiosi 87.
Cyrillus 435. 437. 440.
Damascenus 449. 451. — de Fide orthod. 41. 43. 61. 65. 76. 132. 157. 205. 210. 274. 289. 364. 365.
Daemones utrum habeant fidem 198. — credenda non intelligunt 151. — Quid possint praedicere 90.
Damnatio 103.
Daniel (liber) 20.
Daniel, Danielitas 313.
Defectus naturalis 183.
Definitio quid dicat 149. — fit per superiora 256.
Delectationes carnales 26.
Delectationis vehementia 418.
Democritus 352.
Demonstrandi modi diversi 143 sq.
Demonstratio propter quid et demonstratio quia 146 sq. — Demonstratio ostensiva ducens ad impossibile 146.
Desiderium 11. — Desiderii aviditas facit idoneum discipulum theologiae 24 sq.
Desitio quid 175.
Deus 4 sqq. — sine motu acquirit perfectionem 266. — est incommutabilis veritas 260. — Dei veritas et bonitas 402. — excellentia 68. — immutabilitas 144. — sapientia 4 sq. 27. — Sapientia Dei in omni effectu imprimit sua vestigia 141 sq. — Deus cognoscit futura 239. — Praescientia divina 125 sq. — Dei auctoritas 4 sqq. — potentia 5 sqq. 371. 385. 391. — iustitia 7 sqq. — providentia 69. — voluntas salvifica 100.
Deus est principium et finis creaturae rationalis 83. — est causa rerum 237. — Relatio inter Deum et creaturas 238. — Dei in creaturis vestigium, similitudo, imago 255. — Actus divinae cognitionis et actus factionis 123 sq. — Dei cooperatio in triplici operatione creaturae 255 sq. — Cooperatio est naturalis 265. — Deus cooperatur secundum exigentiam naturae 262. — non facit contra naturam 393. — non subtrahit donum collatum sine causa 376.
cooperatur specialiori modo in omni opere naturae rationalis 262 sq. — Dei influentia in cognitione naturali 267. — quomodo sit medium cognitionis 55.
Deus est, intelligit, intelligi facit 258.
Deum videre seu cognoscere 182. — Deitatis notitia 452. — Intelligi potest quid sit Deus 353. 377. — quomodo 56. — Est cognoscibilis scientia apprehensiva 59. 239. — Quomodo Angelus et homo in primo statu Deum cognoverint 197. 199 sq.
Deus menti intimus 265 sq. — num sit praesentissimus animae 391. — Potentia cognoscendi Deum *ibid.* — De Deo quaedam cognoscibilia sunt per rationem, quaedam non 214. — Cognitio Dei per naturam et per gratiam 379. — Utrum intellectus in statu viae tantum elevari possit, quod videat Deum per essentiam 363 sqq. — Deus videtur a Beatis per speciem 357.
Deum esse unum et esse Creatorem potest intelligi et credi 137 sq.
Deus est Scripturae doctor 27 sqq.
Propria in divinis 138 sq. 145 sq.
Imago Dei vide V. *Imago.*
Deuteronomium 18.
Devotionis vehementia 402.
Didymus 439.
Differentia spiritus et animae (auctor de) 415.
Dilectio proximi 304. — Dilectio et cognitio perfecta et imperfecta 179.
Diligere 62. — Diligere Deum propter se et super omnia est supra faculta-

tem affectus 152. — Diligi non potest nisi cognitum 406.
Dionysius de Divinis Nom. 4. 103. 113. 115. 211. 223. 348. 363. 367. 398. 402. 403. 409.
De Myst. Theol. 14. 363. 386. 402. 404. 406. 411.
De Cael. Hier. 156. 249. 341. 342. 426.
Epist. ad Dorotheum 363.
Dionysius (Episcop. Alexandr.) 444.
Discere 65.
Discipulus theologiae 23 sqq.
Discordiosi 87.
Discretio 16.
Dispositio ad perfectionem 83. — Dispositio rerum fiendarum 227. — Num dispositiones maneant, re completa 392.
Distinctio causati et causativi seu producentis et producti 445.
Doceri 53. 65.
Doctor Scripturae 18. — Doctor theologiae 27 sqq. — Doctorum ministerium 30.
Doctrina 27.
Documentum omne evacuatur, si non creditur 65.
Doni creati et increati donatio 436.
Dormientes quare magis videant quam vigilantes 420.
Dubietas 150.
Dubitare 48 sqq. — Dubitare et existimare opponuntur 145.
Dubitatio 63.
Ecclesia 8. — Ecclesiae fides 116. — Ecclesia formatur ex Sacramentis 17. — Ecclesia triumphans 198.
Ecclesiastes 20.
Ecclesiasticus 20.
Ecstasis idem est quod raptus 398.
Effectus cognitio duplex 379.
Electio est actus voluntatis deliberativae 308.
Elementa superiora 267.
Elias 91. 452.
Eliseus 91. 303. 307.
Ens, quod primo intellectui occurrit 234. — Cognitio entis 256 sq.
Enuntiatio 240. — Enuntiationes 224 sq.
Epiphanius 433. 440. 446.
Errare num appetatur 218.
Error an sit in intellectu 212. 218. — circa quid contingat 106. 226. — num possibilis fuerit in primo statu 183 sq. — Error et fides opponuntur 113. 212. — Error in via salutis 104.
Epirus 67.
Epistolae Pauli et Epistolae canonicae 21.
Eruditio 27.
Erythraea Sibylla 90.
Esdrae libri 19.
Esse prius est quam operari 422. — Esse primum et secundum 293. — Esse triplex cuiuslibet rei 252. — Quid ad esse rerum sufficiat 263 sq. 339. — Quomodo cognoscatur esse rei singularis 310 sq.
Esse aeternum est unum 54. — patet ut ratio cognoscendi *ibid.*
Esther 19.
Eva 17.
Evacuatio quid 175.
Evangelia quare sint quatuor 21. — Evangelii confirmatio 373. — Contentum *ibid.* — differentia a Lege 16.
Eversio materialis et spiritualis 118.
Evidentia 49.
Exemplar aeternum 232 sq. — Exemplar artis aeternae 257 sq.
Existimare et credere opponuntur 145.
Existimatio est actus intellectus 212.
Exodus 18.
Experientia 15.
Extremum 353.
Ezechias 117.
Ezechiel (liber) 20.
Falli 48.
Falsificatio 123.
Falsum est in intellectu 123.
Familiaritas Dei 107.
Felicitas affectiva et speculativa 409.
Fides quid 71. 127. 215. — Fides duplex 122. 173. — aliquando dicitur pro veritate 181. — Fides prout assensus ex probabilitate rationum 126. — est una in genere, numero diversa 103. — Fides singularis et communis *ibid.* — non adest in omni statu, in quo aliquid exspectatur 195. — est inchoativa cognitionis, visionis, contemplationis 171 sq. — Fidei status inchoationis et profectionis 175. 179.
Fidei formale et materiale 200. — obiectum primarium 115. — obiectum formale 166. — obiectum materiale seu secundarium 116. — utrum obiectum sit tantum verum 109 sqq. — utrum sit circa verum incomplexum vel complexum 120 sq. 199. — in pluribus est circa singularia 304.
Fidei obscuritas 142 sqq. 164. 167. sq. — obscuritas stat cum apparentia rationum 145. — Utrum ea de

quibus est fides, possint ratione probari 128 sqq. — Quae sunt fidei habent difficultatem 147. — Fidei et opinionis oppositio ad scientiam et visionem beatificam 174. — Fides non impedit actum intellectus 214.

Fides non est mutata 121.

Fidei actus quid 167. 194. 211 sq.

Fides innititur divinae inspirationi 100. — est a Deo intus docente 209.

Fidei subiectum 170 sq. — Utrum fides sit in intellectu vel in affectu 202 sqq. — Opiniones diversae 209 sqq. — Error fidei oppositus an sit in solo intellectu 218.

Fidei veritas excedit rationem 72.

Fidei certitudo 44. 72. 150. — Undenam fides habeat infallibilitatem 127 sq. — Fidei et scientiae certitudo 126 sq.

Fidei libertas 100. 128. 167.

Fidei necessitas 60 sqq. 178 sq. 182 sq. 190 sq. — In sola fide christiana est salus 75 sqq. — Fides non est de salutis essentia 105. — Fides unius Mediatoris 104. — Fidei et spei ambitus 149 sq.

Fides ad duo ordinatur 183. — ordinatur ad visionem 212. — perficit intentionem et inchoat cognitionem 208 sq.

Fidei habitus 114 sq. — Fides est prima virtus 217. — est donum Dei 151. — infunditur in baptismo 210. — Habitus in intellectu et voluntate requisiti 211. 213. 215 sq.

Fides formata et informis quid 200. — Fides formata et informis in primo statu 200.

Fides informis 198. — In ea aliquid est ex parte voluntatis 215. — manet, caritate recedente 213. — habitudo ad caritatem 178. — Fidei forma essentialis non est caritas 217. — Fides operans per dilectionem 218.

Utrum homo vel Angelus in primo statu habuerit fidem 181 sqq. — Opiniones contrariae 190.

Fides evacuabitur in patria 153. sqq. 410. — Alia opinio 160 sqq. — per quamnam visionem tollatur 144 sq. 266. — evacuatur ex duplici parte 180.

Fidei testes 29.

Fieri duobus modis intelligitur 181.

Figura evacuatur, adveniente veritate 169. — Figurarum correspondentia 86.

Filius est imago Patris 447. — Filii Dei summa laus 452.

Finis notitia est necessaria 69. — Unitas ordinis principii ad finem 83. — Finis non ultimus recipit ab his qui sunt ad illum 295. — Finis creaturae rationalis 83. — Finis ultimus 82. — Finem ultimum voluntas consequitur perfectius quam intellectus 407.

Flagella 28.

Fluvius procedens de sede Dei et Agni 436.

Forma specifica et individualis 313. — Forma perficiens est duplex 314. — Formae diversae in composito 176 sq. — Forma corporis humani 161. — Formae introductio 175. — Forma accipit a materia 295. — Forma caeli et animae an terminet appetitum 293.

Fridericus II. imperator 83.

Gabriel apparuit in corpore assumto 355.

Garamantae 67.

Gaudium 12.

Genesis 18.

Gennadius 360.

Gentes 98.

Giezi 303. 307.

Gilebertus (inter opera Bernardi) 207. 209.

Gloria inanis 26.

Glossa 75. 76. 80. 98. 106. 112. 117. 157. 160. 161. 167. 185. 395. 397.

Graecorum minor reverentia ad sedem Vicarii Iesu Christi 448 sq.

Gratia naturam reformat et sanat 98. — supplere potest omnes defectus naturae 372. — sine fide esse non potest 99. — quomodo elevet 265. — Gratiae specialis influxus potest duobus modis intelligi 373 sq. — Gratiae donum 355 sq. 360. — Utrum per donum gratiae intellectus elevari possit ad videndum Deum per essentiam 363 sqq.

Gregorius Homil. 8. 15. 25. 78. 128. 166. 190. 432. 437. 446. 450.

Dialog. 382. 386.

Moral. 10. 14. 15. 117. 276. 355. 356. 363. 366. 370. 377. 378. 380. 387.

Gregorius Nazianzenus 443.

Gregorius Nyssenus 443. 445.

Gustus devotionis 72.

Habitus diversimode accipitur 180 sq. — in quanam sit potentia 208. 210. 211. — Habitus natura 147. — ma-

teria 210. — Habitus veridici 302. — Habitus infusus 177.
Henricus archiepiscopus Senonensis 63.
Heraclitus 63.
Hieronymus 19. 21.
Hilarius 203. 253. 437. 438. 440.
Homo quid 149. — quomodo perfectionem acquirat 267. — Hominis actus sunt coniuncti 336. 426. — Homo non potest plura simul actu considerare 390. — non fuit in gratia creatus 197. — recipit ab inferioribus 295.
Hugo 294. — de Arrha sponsae 403.
Didascalion 271.
Liber. Exposit. Caelest. Hierarch. 342. 404.
Homil. 277. 296.
De Sacramentis 50. 66. 73. 111. 127. 129. 130. 133. 134. 154. 169. 181. 182. 184. 187. 188. 191. 192. 193. 196. 203. 211. 241. 369. 394.
Humilitas 23.
Idumaea gens 99.
Ieremias (liber) 20.
Ierusalem spiritualis 99.
Ignorantia fidei 102. — Ignorantia excusans a peccato 218.
Ignorata sunt multa 50.
Illationum perceptio 257.
Illuminare phantasma quid sit 293.
Imaginatio 52. 57. — vehemens a corporis sensibus alienat 401. — Imaginationis ad sensum colligantia 424 sq.
Imaginativa 287. — alligata est organo 424. — In actibus eius requiritur voluntatis intentio 386. 389 sqq. — potest imaginari quod non est 225.
Imago quid 447. — Imago creationis, recreationis et glorificationis 178. — Imagines corporum 292. — Imago Dei 142. 255. 268. 333. 368. 372. 391. 408. 426.. — Imago et vestigium SS. Trinitatis 450.
Immutabile est quod certitudinaliter scitur 256 sq. — Immutabile verum an sit creatum 269.
Immutabilitas verorum 49.
Impetrare 217.
Incarnatio Christi 119 sqq. — an probari possit 140 sq. — Incarnationis mysterium 20.
Inchoatio 171 sq.
Incipere et proficere simul 175.
Incognita non possumus diligere 451.
Indi 85.
Indivisibilia 359.
Inferior operans per superiorem 218.
Infidelis 101.
Infidelitas est formaliter in intellectu 216.
Infinitum duobus modis dicitur 266. — quomodo cognoscibile 54.
Initiativum intra et extra 171 sq.
Innatum principium 53.
Innocens 178.
Innocentius papa 63.
Inquisitio 47. 148.
Inspectio contuitiva 325.
Insufflatio 434.
Intellectiva nullius partis corporis est actus 286. — Intellectivae virtutis debilitatio 423.
Intellectualis oculus quomodo sordidatur, obnubilatur, maculatur; purificatur, serenatur, tranquillatur 26.
Intellectum duobus modis dicitur 214.
Intellectus 52 sq. — quid significet secundum Avicennam 409. — Quidam distinguunt quadruplicem intellectum 350 sq. — Intellectus prout dicit notitiam demonstrativam et prout dicit apprehensionem 315. — Intellectus simplex, absolutus, concretivus, compositivus 229. sq. — Intellectus pars inferior et superior 354. 358.
creatur ut tabula, in qua nihil est depictum 281. — Intellectus perfectio 72. — aliter formam suam habet et recipit 340. — dupliciter potest esse in actu *ibid.* — Intellectus mensura sunt res 240. — Ens, quod illi primo occurrit 234 sq.
potest agere in phantasma 293. — Intellectus vis abstractiva 231. 253. — non patitur a rebus 315. — non mutatur de una dispositione in aliam 226. — Apud eum sunt rationes rerum aeternae et impermutabiles 225.
est perfectio corporis 425. — num nullius partis corporis sit actus 426.
Ei ministrant potentiae inferiores 289.
an sit infinitus 266. — Intellectus humani defectus 143. — Intellectus infirmitas 50. — Causa legationis intellectus 335. — cur impediatur propter impedimentum actuum inferiorum *ibid.* sq. — gravatur corpore 355. 360 sq. — utrum quantum ad suum actum ligetur per corporis infirmitatem 410 sqq. — De intellectu assumto ab alia virtute 416. — De intellectu suae virtuti derelicto 417 sqq. — per accidens roboratur ex corporis infirmitate 423. — in vita

ista nunquam perficitur omnibus intelligibilibus speculativis 361. — phantasmatibus obnubilatur et impeditur 417. 419. 428. — Intellectus ad imaginationem colligantia 424 sq. — Intellectus et imaginationis actus 390. — quomodo se habeat ad intelligibilia 302. — non laeditur ab intelligibili excellenti 362.

natus est ad intelligendum Deum 142. — utrum in statu viae tantum elevari possit, quod videat Deum per essentiam 363 sqq. — utrum elevari possit ad videndam divinam essentiam sine raptu 379 sqq.

Intellectus actualis informatio 339 sq. — informatur similitudinibus corporum 291. — quomodo informetur re intellecta 331 sq. — Logica et grammatica in eo sunt per suam essentiam 357.

Intellectus obiectum quid 226. 233. 235. 253. 306. — Obiectum non est tantum phantasma 328. — utrum intelligat singularia 298 sqq. — Opiniones de modo cognoscendi singularia 307 sqq. — utrum cognoscat substantias separatas 341 sqq. — Opiniones diversae 348 sqq. — Intellectus et obiecti proportio 54. — quomodo recipiat seipsum 315. — quomodo attingat lucem aeternam 254. 263. — non potest intelligere falsum 128.

Intellectus virtus et operatio 228 — actus 214. 296. — habet aliquem actum sine phantasmate 423. — Eius operatio est naturalis 262. — non semper actu intelligit 376. — Intellectus speculativi et practici actus 305 sq.

Num intellectui sit tantum nobilitas, quia intelligit 408. — Intellectus donum 142. 146. sq. 214. — Cfr. V. *Mens.*

Intellectus agens et possibilis 262 sqq. 287 sq. 292 sq. 297. 357 sq. 362.

Intellectus et affectus natura 122. — Eorum inclinatio in obiectum proprium 400. — Eorum habitus perfectivi 403. — ordo 194. — prioritas in ratione moventis et moti 218. — Eorum modus movendi 403 sq. Quisnam dirigat vel praecedat 406. — Unus est dux alterius 407. — movent alterutrum 408. — Eorum vis assimilativa 403. 408. — Assistentia superior eis necessaria 267. sq. — Voluntas est perfectior et liberior quam intellectus 397 sqq. — Affectus est nobilior et ulterior 402. — Voluntas finem perfectius attingit 407. — Voluntas magis nata est moveri in Deum 406. — Eorum infirmitas ex peccato originali 400. — Voluntas est magis infirmata 406. — Oculus intellectus est excaecatus, pes affectus obliquatus 405. — Intellectus indiget illuminatione, affectus rectificatione *ibid.* — Perfecta illuminatio utriusque 406. — Ad quemnam magis pertineat raptus 393 sqq. — Eorum abstractio seu alienatio in raptu 409.

Intellectus et sensus sunt potentiae connexae 389. — Mutatio in eis fit duobus modis *ibid.* — Eorum adhaerentia et dependentia 390. — in quo differant 330. — Sensus non habet vim conservativam specierum sicut intellectus 237. — Intellectus et sensus obiectum 313 sq. — Forma in sensu et intellectu 314. — Intellectus est perfectior 423 sq. — Intellectus facilius impeditur 424. — Sensus relatio ad intellectum 225. — An nihil sit in intellectu, quod prius non fuerit in sensu 52. 290. 315. — Sensus actus impedit actum intellectus 392 sq. — Actus virium sensitivarum intellectui sunt impedimento aut adiumento 423.

Intelligentia 330. — est constituta inter lucem et tenebras 291. — discernit imagines a rebus 292. — quomodo connexa sit cum memoria 337. — ordinatur ad Deum videndum 372. — Intelligentiae humanae defectus 66. — Intelligentiae donum 148.

Intelligere est quoddam pati 239. — est actus coniuncti 336. — Intelligendi actus a quonam sit principalius 339. — Intelligendi actus est actus intimus et unitus, tranquillus et quietus, certus et discretus 417 sqq. — Intelligendi actus est in virtute animae 426. — Intelligere non est per corpus 421. — ex parte corporis exigit dispositionem 422. — Nihil intelligitur nisi quod prius fuerit in memoria 296. — Intelligere sine phantasmate 361. 425. — Intelligere separata et non separata 362. — Intelligere eandem rem plus vel minus 316. — Intelligimus, quando volumus 237.

Intelligi duobus modis dicitur 311. — Quid ad illud requiratur 339. — Intelligi per se non excludit intelligi per speciem *ibid.*

Intelligibile dicitur duobus modis 124. — Intelligibilis causa formalis, efficiens, originalis 340. — Quaedam intelligibilia excedunt intellectum nostrum 362. — Intelligibilium rerum praesentia 49. — Obiectum intelligibile 331.
Intentio est in intellectu 208 sq. — Intentionis simplicitas 26.
Intentio intellecta in potentia 287.
Intuitio 326.
Investigatio subtilis 326. 353. — Investigatio curiosa 148.
Iob 19. 99.
Ioannes (Evangelista) 199. — Visio 371. 416. — Ioannis Evangelium 21.
Ioannes Bapt. 7.
Ionae prophetia 118.
Iosue 91. — Liber 19.
Iracundi 87.
Isaias (liber) 20. — Isaiae prophetia 117.
Isidorus 19.
Israel 107. — Ad Israel pertinentes carnaliter et spiritualiter 104.
Israelitae 98 sq. 107.
Iudaei dispersi 94. — sunt in statu damnationis 106.
Iudicandi potentia 49.
Iudicare de aliqua re duobus modis contingit 147 sq.
Iudicatorium naturale 53. 105 seq. 253. 263. 282.
Iudicium de aliqua re duplex 268. — Iudicium rectum 260 sq.
Iudicium ultimum 20.
Iudicum liber 19.
Iudith 19.
Iupiter 106.
Iustitia 81. — Iustitia regni Dei 12.
Lamentationes Ieremiae 20.
Latinorum humilitas et spiritus munditiae 449.
Leo 24.
Leviticus 18.
Lex iusta 8. — leges certissimae, altissimae, iustissimae 4. — Lex inferioris et superioris 102. — Lex naturalis 106. — Lex divina 30 sqq.
Legis antiquae confirmatio et contentum 373. — differentia ab Evangelio 16 sq.
Liberum arbitrium quid 209 sq.
Libri historiales veteris testamenti 19.
Liber de Causis 42. 281. 344. 379. Cfr. V. *Philosophus de Causis.*
Libri legales veteris testamenti 18.
Libri prophetales 20.
Libri sapientiales 20.
Locutio actualis non est sine verbi conceptione 332.
Lucae Evangelium 21.
Lumen 55. 262 sq. — utrum opponatur lumini 171. 177. — Lumen rationis et inspirationis 72. 115. — Lumen primum 52 — Lumen naturale et lumen divinum 294. — Luminis aeterni influentia est creatura 266. — Luminis increati irradiatio 234. — Lumen aeternum est ratio cognoscendi 46.
Utrum quidquid cognoscitur cognoscatur in lumine primae Veritatis 241 sqq. — Opiniones 250 sq. — Quomodo mens videat in lumine rationis aeternae 233. — Quomodo intellectus lumen aeternum attingat 254. 263.
Lumen gloriae 378. — Luminis gloriae introductio et fidei evacuatio 174 sq.
Lux corporalis et spiritualis quomodo videatur 331. — Lucis divinae assistentia 50.
Lux aeterna an sit genus 264. — Iudicium de luce aeterna 268. — Lucis aeternae irradiatio 326. 330. 354. — Lux aeterna est intelligibilis et spiritualis 264. — semper praesto est *ibid.* 269. — diversimode repraesentat res 269. — est proportionalis virtuti cognoscitivae et obiecto 268. — Luci aeternae propinqui 263. — Non omnes aequaliter se movent ad illam 267. — Quomodo in illa videamus 265.
Luxuriosi 87.
Machabaeorum libri 19.
Magister Sent. 119. 185. 194. 196. 199.
Mahomet 88. 107.
Malus nemo praesumitur 107. — Ad malum sufficit unius circumstantiae defectus 103.
Mandatum non est supra nos 74.
Marcellinus (contra Augustinum) 80.
Marci Evangelium 21.
Mariae fides 112. 119.
Martyres 19. — Martyrum constantia 90. — Martyrum testimonium 30.
Materia 179. — interire potest 257. — similitudo cum intellectu possibili 292 sq.
Materiale et immateriale quid 312. — Materialia non perfecte ducunt ad cognitionem immaterialium 374.
Matthaeus 71.
Matthaei Evangelium 21.
Maximus 98.

Mediator 99.
Medicina 84. 88.
Medium cognoscendi multiplex 55 sq. — Medium adminiculans et obumbrans 199 sq.
Memoria 333 sq. — quid sit 296. — Memoria intellectualis 425. — Memoriae actus 217. — Esse in memoria est duobus modis *ibid.* sq. — Memoria et intelligentia quomodo sint connexae 337.
Mendacium 102.
Mens est mutabilis 260. — Mentis habitus 261. — quomodo cognoscat habitum suum 337. — Mentis pars inferior et superior 255. — Solus Deus mentem informare potest effective 358. — Angelus eam illuminat manuductive *ibid.* — Mentis sublimitas 26.
Mensura et mensuratum 240.
Meritorius actus est a caritate 217.
Meritum 46. 103. — Meriti inchoatio et consummatio 217.
Miracula 28. 91 sq.
Mitti quid sit in divinis 432.
Mobilia an sint intelligibilia 311.
Moralia 104.
Mori spiritualiter 409.
Motores orbium 266.
Motus est propter perfectionem 266. — Motus uniformis et perpetuus 353.
Movere ut agens, ut finis, ut forma in ratione obiecti cognoscibilis 340. —
Moyses 91. — an Deum viderit per essentiam 371 sqq. — visio rubi 416.
Multiplicatio generis humani 107 sq.
Multiplicatio credentium 94 sqq.
Mundus intelligibilis et sensibilis 44 sq. — Mundi conflagratio per ignem 118.
Mutabilia habent rationes immutabiles 53 sq.
Mutabilitas rerum 50. 63.
Naaman 303. 307.
Natura 98. — non deficit in necessariis 136. 151. 264. — non potest errare 114.
Naturale duobus modis dicitur 265. — Naturalia an possint separari a materia 316.
Navis 179.
Necessarium 120. — est duobus modis 74. — Necessaria ad salutem 104.
Necessitas relata 118 sq. 126. 146. — Necessitas conditionalis et consequentiae 125 sq.
Negare et dubitare opponuntur 145.
Nehemiae liber 19.
Ninive 118. — Eversio eius materialis et spiritualis 118.
Nominales 121.
Nominum significatio 226 sq.
Non-ens duobus modis potest accipi 227. 231. — an sit obiectum intellectus 219 sqq.
Notio impressa 325. 353 sq.
Notitia genita 333 sq. — Notitia rerum corporearum et incorporearum 359. — Utrum notitia magis sit appetenda quam laetitia 409. — Cfr. V. *Cognitio.*
Numerorum liber 18.
Obedire 102.
Obscuritas duplex 183.
Oculus carnis, rationis, contemplationis 66. 182.
Operari animae in corpore pendet a corpore 427. — Ad operari plus requiritur quam ad esse *ibid.* — Prius solvitur dispositio ad operari quam dispositio ad esse 422. — Nemo operatur nisi cognoscens 227.
Operationes possunt duobus modis intelligi 376. — Plus requiritur ad operationem quam ad esse 426. — Operatio perfectior facilius recipit impedimentum 423. — Operationes sunt suppositorum 391. — in homine sunt coniuncti 421 sq. — Operatio perfectae virtutis 104.
Opinio quid 126. — Opinionis et fidei oppositio ad cognitionem, scientiam et visionem beatificam 174.
Oppositum 101. — Opposita habent fieri circa idem 103. — sunt in eodem subiecto 212. — non sunt in eodem subiecto respectu eiusdem 171.
Oracula 89.
Oratio 13. 20.
Ordo in divinis 445 sq.
Pagani 106 sq.
Paralipomenon 19.
Particulare 58. 316. — Cfr. V. *Singulare.*
Passiones 26. — impediunt actum intelligendi 423. 427. — Passio vehemens a sensibus alienat 401.
Passio Domini 20.
Patientiae exemplum 19.
Patris aeterni summa liberalitas 452.
Paulus (Apost.) 125. — Eius raptus 402. 404. 416. — an Deum viderit per essentiam 371 sqq. — Pauli Epistolae 21.
Pax 11 sq. 32. 85.
Peccatum 82. 101. sqq. — Peccatum actuale et originale 84.

Perfectio essentialis duobus modis potest intelligi 425 sq. — Perfectionem suam alia paucis, alia multis motibus acquirunt 266 sq. — Perfectiones ad invicem ordinatae 161. — Perfectio summa in divinis 447.
Petrus (Apost.) 8. 99. 116 sq. 371. 416.
Petrus Baalardi 63.
Phantasia 59. 291 sq. — Phantasiae organum 293. 425.
Phantasma 264 sq. 290. — non est in intellectu 308. — Phantasmatis necessitas ad intelligendum 330. 336. 361. — comparatio ad intellectum possibilem 288 sq. — Phantasmata obnubilant mentem 26. 290. 387. 417. 419. 428. — Phantasmatum deordinatio 423.
Phantastica cellula 415. — Phantastici organi corruptio *ibid.*
Philosophi perfectam cognitionem non habuerunt 104 sq. — Trinitatis mysterium cognoscere non potuerunt 150. — pro veritate mori non audebant 90 sq. — de felicitate effectiva mentionem non fecerunt 409.
Philosophus de Anima 40. 58. 60. 136. 159. 180. 222. 223. 226. 237. 241. 243. 247. 257. 264. 271. 273. 275. 278. 280. 281. 283. 286. 287. 288. 289. 299. 300. 301. 312. 318. 322. 326. 327. 343. 346. 347. 348. 357. 387. 410. 413. 415.
Caeli et Mundi 245.
Elench. 65.
Ethic. 2. 40. 61. 74. 82. 114. 115. 132. 157. 206. 209. 232. 299. 301. 306. 310.
Metaph. 44. 46. 63. 66. 78. 123. 138. 212. 219. 220. 221. 237. 242. 316. 345. 396.
De morte et vita 153.
Perihermn. 171. 224.
Physic. 41. 56. 59. 137. 138. 326. 345.
Poster. 40. 46. 53. 113. 130. 131. 135. 143. 251. 253. 282. 396.
De Praedicam. 103. 171. 223. 224. 226.
Prior. 143. 396.
De Problematibus 298.
De Sensu et sensato 39. 391.
De Somno et vigilia 424.
Topic. 101. 113. 133.
*De Causis* 155. — Cfr. V. *Liber de causis.*
Phrenetici 421.
Pietas 105.
Plato 44. 89. 233. 250. 278.
Platonici 135.
Poena aeterna 140.
Poenitentiae oppositio ad innocentiam 178.
Polemon 44. 45.
Populus quid 85.
Porphyrius 84. 134.
Posse 74.
Potentiae inclinatio in obiectum 400. — Ad potentiam plus requiritur quam ad essentiam 426. — Potentiarum animae connexio et ordo 249. 290. 305. — Potentia nobilior 402. — superior complectitur obiectum inferioris 313. — In quantum actus unius potentiae intenditur, nisi alteri subministrat, actus alterius potentiae remittitur 388. — Potentiae sensitivae non sunt tantum passivae 286.
Praeceptum divinum 304. — Praecepta perfectae iustitiae 7. — Praecepta timoris et amoris 16. — Praeceptorum honestas 86 sq.
Praecognitio 120.
Praedestinati 107.
Praedicare est actus animae 58.
Praedicatio 20.
Praemium 46.
Praescientia divina quomodo sit de ratione crediti 126.
Praescitum de re sive divisim et de dicto sive coniunctim 119.
Praeteritum an sit necessarium 120.
Praevisio futurorum 227.
Principatio 451.
Principia scientiae et fidei an demonstrentur 146 sq.
Principii ratio in divinis 451.
Principiorum notitia 53.
Privatio 256 sq.
Probabilitas 102.
Processio quid 430. 450.
Prodigia 27.
Producentis et producti distinctio 445.
Promissa veteris et novi testamenti 17.
Prophetae 29. — Prophetae veri et falsi 401. 416. — Propheta an sit recipiendus 107.
Prophetales libri 20.
Prophetiae non subest falsum 117. — Prophetia praedicationis et comminationis 118.
Prophetica illuminatio 227.
Proportio commutata 314.
Propositionum perceptio 257.
Proprio remoto, non remanet commune idem numero 176.

Proverbiorum liber 20.
Psalmi 90. — Psalmorum liber 20.
Pudicitiae exemplum 19.
Pueri cognitio 282.
Purus 25.
Quantitas non est de ratione substantiae 361.
Quantum fit de non quanto 296.
Quidditas generalis et singularis 313. — Quidditates rerum materialium et substantiarum separatarum 360. — abstrahit ab omni esse 228. 230 sq. 234. 238. 240. — est de vero necessario 232. — habet veritatem immutabilem 237. — an sit obiectum intellectus 233. 235 sq. 253. 294. — Quidditatis sufficientia ad se manifestandum 253. — Quidditas sine quantitate 361. — Cfr. V. *Species*.
Raptus quid 384. 400 sq. — quare sic dicatur 405. — De raptu duobus modis loqui possumus 385. — Utrum intellectus elevari possit ad videndum divinam essentiam sine raptu 379 sqq. — ad quamnam potentiam pertineat 393 sqq. — Aliquorum opinio 399. — ex triplici causa provenit 401 sq. — Raptus obiectum movens 402. — virtus mota *ibid.* — Ipsius motus 403. — modus movendi *ibid.* — finis 404. — non est contra naturam 393. 406.
Ratio humana et divina 73. — Rationis portio superior et inferior 378. — Aliqua sunt supra, aliqua infra rationem 262. — Rationis iudicio non omnia subsunt quae possunt probari 147. — Ratio ad examen fidei reformetur 209.
Ratio deliberativa 106.
Rationes factivae et factae 239.
Rationes aeternae. Cfr. V. *Lumen aeternum*.
Receptum est in recipiente per modum recipientis 357.
Recogitatio 16.
Recordatio praeteritorum 228.
Regnum caelorum 9 sqq.
Regum liber 19.
Relatio triplex 238. — Relatio realis 239.
Religio christiana divinitus est tradita 86 sqq.
Remissio peccatorum quomodo sit credenda 124.
Reparator 84.
Respublica 85. 108.
Resurrectio mortuorum 118. 140. — Resurrectio Domini 20.
Revelatio 28. — Revelationes cur in somno fieri soleant 416 sq.
Richardus de S. Vict. 72. 97. 137. 139. 140. 144. 150. 303. 313. 384.
Roma 97.
Romanus Praesul 444. 448 sq.
Romulus 97.
Ruminatio 16.
Sacramenta 32. 93. — Sacramenta veteris et novi testamenti 17. — Sacramentum altaris 149.
Saeculum intelligibile 409.
Salomon 16.
Salus excedit facultatem naturae 106.
Salvati extra vetus testamentum 104. — Per eandem fidem salvi fiunt quicumque salvantur 98 sq.
Sancti 9 sqq. — Sanctorum testimonia 29.
Sanctitas exemplorum 87 sq.
Sanctus 25.
Sanguis Christi 17.
Sapiens 47. 104 sq.
Sapientia 2. 13 sqq. — est a sapore dicta 15. — Sapientiae donum 25. — Sapientia divina vide V. *Deus*.
Sapientiae liber 20.
Saraceni 81. 88. 100 sq.
Scibile est mensura scientiae 240. — Relatio inter scientiam et scibile 238. sq.
Scientia quid 126. 181. — quomodo causetur a rebus 237. non est de ente per accidens 236 sq. — non est de contingentibus 53. 232. — non est de singularibus 311. — Scientiae non subest falsum 113 — num excludatur obscuritate vel dubietate 150. — Scientia et opinio de eodem 174. — Relatio inter scientiam et scibile 234. — Scientiae habitus est in memoria 337. — Scientia, quae alias praecellit 1 sq. — Scientiae studium 22.
Scripturae excellentia 1 sqq. — auctoritas 4 sqq. 71 — certitudo 4 sq. — altitudo 5 sqq. — rectitudo 7 sqq. — utilitas 9. — profunditas 13 sqq. — facilitas 16 sqq. — divisio 18 sqq. — studium 22 sqq. — continentia 30 sqq. — utilitas seu efficacia 33. — Scripturae doctor 18. — Librorum Scripturae numerus 21.
Scire quid sit 72. — duobus modis dicitur 152. 224 sq. — num idem possit esse scitum et ignoratum 214.
Schismata 85.
Secta 84 sqq. — non habent praecepta 7.

Sedes Dei et Agni 436.
Senes cur sapientes dicantur 427. — Senum debilitatio *ibid.*
Sensibile 45 sq. — Nullum sensibile excedit vires sensus 362.
Sensitivae operationes animae intentionem requirunt 392. — In actibus sensitivae requiritur voluntatis intentio 386. 389. — Defectus in actibus sensitivae duobus modis contingit 423 sq. — Sensitivae et intellectivae potentiae connexio 387 sq. — Actus sensitivae intellectui sunt adiumento aut impedimento 423.
Sensus 51. 56 sq. — est virtus alligata organo 424. — ligatur ex laesione organi 423. — Sensus perfectio 72. — Sensuum operatio 267. — apprehendit tantum singulare 311. — non sentit, nisi re praesente 237. — Per sensus homo acquirit notitiam singularis 310. — An nihil sit in intellectu, quod prius non fuerit in sensu 52. 290. 315. — Amittens sensum unum amittit scientiam, quae est secundum illum sensum 253. — Sensus et imaginationis actus animam inquietant 387. Cfr. V. *Intellectus et sensus.*
In sensibus est aliqua certitudo 48. — In sensu est species substantiae 59. — Sensus ex duplici causa potest impediri a cognitione 362. — impedimentum corporalia sentiendi 420. — Cadere aliquid in sensu est duobus modis 294.
Sensus communis 287.
Sentire est animae per corpus 421.
Servandus diaconus 391.
Sibylla Erythraea 90.
Siciliae 67.
Similitudo originativa rei et similitudo originata a re 290 — De similitudinibus corporum duobus modis loqui possumus 291. — Similitudo rei est forma intellectus et intellectus velut materiale 338 sq. — Similitudo Dei in creaturis 255.
Similitudo in divinis 447.
Simpliciter et secundum quid 240.
Sinai 374 sq.
Singulare 58. — Singularia sunt contingentia et transeuntia 311. — Singulare ut in re extra et ut in sensibus et phantasia 313. — Singularia spiritualia et corporalia 315. — Non omne, quod habet materiam, est singulare 316. — Num singulare per se sit obiectum sensitivae 313.
an sit forma sensus vel intellectus 314. — Singularia non sunt intelligibilia 124. — an demonstrari possint 146. — Utrum intellectus intelligat singularia 298 sqq.
Societatis vinculum 64.
Sodomitae 118.
Sol 293. — est, fulget, illuminat 258.
Somnus 416 sq. — In eo ligatur actus intellectus 424.
Species non manet, remota differentia specifica 164. 176.
Species a rebus acceptae 46. — De specie duobus modis loqui possumus 288.
Species vel similitudo est ratio cognoscendi 290.
Species intelligibilis et sensibilis 237. 294. — Species in intelligentia et in memoria 337. — Species intelligibilis vel imaginabilis quid repraesentet 228. 230 sq. 310.
Species sensibilis 52. — Species in phantasia an sit quanta, dimensa, corporea 296 sq.
Species natae, altera de altera 286 sq. 290.
Species intelligibilis 52. — Species in intellectu 55. — Speciei intelligibilis proportio ad phantasma 293. — Speciei intelligibilis necessitas 265 sq. 339. — Speciei abstractae necessitas 253. 352. — Speciei intelligibilis sufficientia 263. — Species in intellectu est abstracta a conditionibus individuantibus 308 sq. — num sit abstracta a conditionibus materialibus 312. — est quodammodo materialis 312. — est nobilior quam res ipsa 57. — non requiritur, ut rei repraesentatae adaequetur 357. — est causa intelligibilis formalis 340. — non prius est intellecta, quam est in intellectu 293.
Utrum cognoscens recipiat species a rebus 269 sqq. — Variae opiniones 278 sqq. — Anima non potest de novo formare species 284 sq.
Species singularis 313. — singularis et universalis 309 sq. 312. — Species substantiae et accidentis 58 sq. 294. 361. — Species quidditatis 294. — Species corporum et species caritatis 338. — Species rei a materia separatae *ibid.* — Species animae et habituum, qui sunt in ipsa 331 sqq. — Species Angeli 357. — Species expressa 333. — Species abstracta

a materia et species expressa ex ipsa rei materialis essentia 339 sq.
Species alterius generis non ducunt in cognitionem rei alterius generis 361. Cfr. V. *Quidditas, Similitudo, Verbum.*
Speculatio quidditatis 325.
Sperare 62.
Spes 105. 195 sqq. — non est sine fide 116 — Spei non subest falsum 123. — Fidei et spei ambitus 149 sq.
Spirituales substantiae in eodem corpore duae esse possunt 359.
Spiritus quomodo probentur 71. — Spiritus bonus vel malus arripiens 401. 416. — Similitudo spiritus et verbi ad intelligendum Trinitatis mysterium 450.
Spiritus septiformis 453.
Spiritus sanctus 93.
De aeterna processione a Patre et Filio 429 sqq. — Obiectiones Graecorum 430. — Responsio Latinorum 431. — S. Scripturae testimonium 432. — Auctoritas Conciliorum 436. — Auctoritas Patrum Latinorum 437. — Auctoritas Patrum Graecorum 439. — Rationes theologicae 445. — Testimonium revelationis 448. — Septem rationes cur Latini prae Graecis in hoc illuminati fuerint *ibid.* — Epilogus 452.
Quare dicatur mitti a Filio 432. — Quare dicatur accipere *ibid.* sq. — Ipsius naturalis bonitas 434. — est Spiritus vivificans *ibid.* — Spirationis sempiternalis signum *ibid.* — Nomine virtutis intelligitur 435. — dicitur Spiritus per originationem *ibid.* — est Veritas *ibid.* sq. 438. — est fluvius vivificus 436. — Quo sensu sit qualitas 441. — Inter ipsum et Filium est ordo naturalis 443. — manat a Filio 444. — est amor Patris et Filii 446 sq. 451 sq. — est amor et donum 450. — est imago Filii 447. — Ipsius processionis similitudo 450 — Ipsius actus nobilissimus 452.
Status beatitudinis 164. — Status viae 165. — Status patriae et status viae 375 sq. — Status primus Angelorum et hominum 190 sqq.
Studiosus 47.
Substantia an possit esse expers propriae operationis 376.
Substantia, virtus et operatio se habent per ordinem 426.
Substantia separata 359. — Substantiarum separatarum cognitio 341 sqq. — Opiniones diversae 348 sqq.
Superexistens est intelligibile 238 sq.
Superior operans per inferiorem 218. — an possit impediri ab inferiori 392.
Superiora recipiunt ab inferioribus 295.
Superstitiosi 87.
Supplicium 47.
Syllogismus non componitur a duabus potentiis 308.
Syllogizare 214. 305 sq.
Tactus 15. — Tactus corporalis et spiritualis 407.
Tarasius patriarcha Constantinopolitanus 444.
Tenere non solum actus memoriae 217.
Temporalia habent rationes aeternas 53 sq.
Temporum ordo, decursus et connexio 92 sqq.
Terminorum perceptio 256.
Terra non ordinatur ad perfectionem 267.
Testamenta duo 3. 16 sqq. 104. — quid contineant 373. — Testamenti utriusque confirmatio *ibid.*
Testamentum novum quare dicatur novum 16 sq. — Ipsius divisio 20.
Testamentum vetus est quadripartitum 18.
Testificatio 20.
Themistius 349.
Theodoretus 437.
Theodorus episcopus Mopsuestiae 436 sq.
Theologiae definitio 22. — discipulus 23 sqq. — doctor 27 sqq.
Timor servilis, initialis et castus 172.
Tobias 19.
Totum 262.
Tranquillus 25.
Transcendere per informationem et per operationem 148.
Transire in hoc duobus modis intelligitur 181.
Trinitatis mysterium an probari possit 138 sqq. 142. 144. 150 sqq. — In SS. Trinitate est distinctio, ordo, connexio, communicatio, condilectio, similitudo, perfectio 445 sq. — In ea reperitur ratio primi medii et ultimi 447. — SS. Trinitatis imago et vestigium 450 sq. — Ratio principii in SS. Trinitate 451.
Tullius 45. 70. 115.
Unctio interna 29. 71.
Ungulae fissio 16.

Unitas ordinis 83. — aegritudinis 84. — reipublicae 85. — Virtus unitatis 85.
Universale quomodo sit semper et ubique 54. — De eo triplici modo loqui possumus *ibid.* — quomodo sit in rebus et in anima 57. 58. — non concernit rem actu existentem 228. — est rei essentiale 58. — est principium artis et scientiae 46. 253. 311. — non potest esse obiectum sensus 313.
Vanitas 20.
Vegetativae potentiae actus 389.
Velaminis et aenigmatis oppositio ad fidem et visionem beatificam 178.
Verbum 332 sq. 339. 451. — Verbum verum concipere 240. — Verbi et spiritus similitudo 451.
Verbum incarnatum 29. — Verbi Dei similitudo 228. — Verbi increati et incarnati similitudo 451.
Verecundia 178.
Verisimile 47.
Veritas 20. — est una 81. — a superiori est lumen, ab inferiori tenebra 254.
est ratio cognoscendi 253.
Necesse est, esse veritatem 226.
De veritate loqui possumus tribus modis 252.
Veritas creata est expressio veritatis increatae 232. — Veritas in creatura est expressio exemplaris aeterni 258.
quomodo sit in rebus et in intellectu 234. 237. 240.
Veritatis notitia non concipitur a sensu, sed ab intellectu 52. — Nequiter viventes eam non cognoscunt 89.
in generali appetitur, in speciali ei obsistitur 100.
Veritas futuri, praesentis et praeteriti 229 sq.
Veritas prima 141. 234. — Veritati increatae non subest falsum 115.
Verum 47. 235. — est per se obiectum intellectus 306. — Omne ens est verum *ibid.* — se extendit ad ens et non-ens 226. — In quo fundetur verum necessarium 232. — Num verum immutabile sit creatum 269. — Verorum immutabilitas et evidentia 49. — Verum movens sub ratione veri 402.
Vestigium Dei in creaturis 255.
Videre per speculum et facie ad faciem 169. — Videre per speculum et in speculo 196. — Videre per speciem, per fidem, per contemplationem *ibid.* — Non omnis, qui videt aliquid, novit quidditatem 377. — Cfr. V. *Cognoscere.*
Violentum 401.
Virginalis continentia 107.
Virtus 43. — non potest errare 144 sq.
Virtutes in quanam sint potentia 209 sq. — quomodo sint in memoria 218. — quomodo sint in voluntate 216.
Virtutes verae 104.
Visio corporalis quomodo perficiatur 286. — Visionis corporalis trinitas 333 sq. — Quaenam requirantur ad visionem corporalem et spiritualem 264 sq. 329. 367 sq. 391. — Ad visionem corporalem requiritur distantia localis, non autem ad intellectualem 357 — Visio rei praesentis est in intellectu 212.
Visiones corporalium, imaginariae, spirituales, intellectuales 416. — Visiones phreneticorum et somniantium 421. — Visiones in somniis 298. — Visio imaginaria 28.
Visio evacuabit fidem 144. — quaenam tollat fidem 145. 266.
Visio aenigmatica et beatifica 34.
Visio Dei in patria et in via 375. — Visio Dei in patria est per lumen gloriae 378.
Visio beatifica 9 seqq. — Quomodo disponamur ad illam 390. — Quaenam dispositiones in illa maneant 392. — Quid in ea videant Beati 172 sq. — Visionis beatificae claritas 167. — quo sensu sit tota merces 410.
Visus indiget auxilio lucis 267. — Visus corporalis et intellectualis obiectum 377. 407.
Vitam habere in semetipso 434.
Voluntas 333 sq. — non potest velle malum ut malum 128. — Voluntatis actus principalis 407. — Voluntatis intentio requiritur in actibus sentiendi, imaginandi et cognoscendi 386. — Voluntatis intentio non requiritur in actibus vegetativae 389. — Cfr. V. *Intellectus et affectus.*
Zeno 45.

# III. INDEX TOTIUS VOLUMINIS

Praefatio. . . . . *pag.* v
Tractatus de excellentia sacrae Scripturae. . . . . » 1
Sermo de studio sacrae Scripturae . . . . . » 22

## QUAESTIONES OCTO DE FIDE.

Q. 1. Utrum aliquid possit certitudinaliter sciri. . . . . » 39
Q. 2. Utrum credere aliquid, quod nec sensu percipi, nec ratione convinci potest, sit necessarium ad salutem. . . . . » 60
Q. 3. Utrum sit salus tantum in una et sola fide et lege christiana. . » 75
Q. 4. Utrum obiectum fidei sit verum tantum, an fidei possit subesse falsum . . . . . » 109
Q. 5. Utrum ea, de quibus est fides, possint ratione probari . . . . » 128
Q. 6. Utrum fides manebit vel evacuabitur in patria. . . . . » 153
Q. 7. Utrum Angelus, vel homo in primo statu habuit fidem, aut fides pro illo statu fuit necessaria . . . . . » 181
Q. 8. Quaeritur, in qua vi animae sit fides, utrum in affectu, vel intellectu, aut in utroque . . . . . » 202

## QUAESTIONES DECEM DE COGNITIONE.

Q. 1. Utrum ad cognitionem rei requiratur ipsius rei existentia, aut non-ens possit esse obiectum intellectus . . . . . » 219
Q. 2. Utrum quidquid certitudinaliter cognoscitur cognitione intellectuali, cognoscatur in aeternis rationibus, vel in lumine primae veritatis. » 241
Q. 3. Utrum cognoscens accipiat seu recipiat species a rebus, an formet de se vel habeat in se . . . . . » 269
Q. 4. Utrum intellectus humanus intelligat singularia. . . . . » 298
Q. 5. Utrum anima cognoscat semetipsam et habitus, qui in ea sunt, per essentiam suam, an per actus tantum . . . . . » 317
Q. 6. Utrum intellectus coniunctus possit intelligere sive cognoscere substantias separatas . . . . . » 341
Q. 7. Utrum intellectus in statu viae possit tantum elevari per donum gratiae, quod videat Deum per essentiam . . . . . » 363
Q. 8. Utrum intellectus possit elevari ad videndam divinam essentiam sine raptu, sive alienatione ab actibus sensitivis . . . . . » 379

Q. 9. Quaeritur, ad quam potentiam magis pertineat raptus: ad intellectum vel affectum, et quae magis in raptu elevetur . . . . . *pag.* 393
Q. 10. Utrum intellectus quantum ad suum actum ligetur per corporis infirmitatem et ineptitudinem . . . . . » 410

## APPENDIX.

Tractatus de aeterna processione Spiritus sancti a Patre et Filio per triforme testimonium, auctoritatum scilicet, rationum et revelationum, septiformiter comprobata . . . . . » 429
Index textuum S. Scripturae . . . . . » 455
Index alphabeticus . . . . . » 459
Index totius voluminis . . . . . » 477

IMPRIMATUR.

Datum Florentiae ex Curia Archiepiscopali,
die 18 Ianuarii 1903.

Can. Maximilianus Novelli, *Vic. Glis*

---

Ex parte Ordinis nihil obstat, quominus imprimatur.

Romae ad S. Antonium, die 9 Septembris 1902.

Fr. David Fleming, *Vic. Glis O. F. M.*

## CORRIGENDA.

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Pag. | 28. | lin. | ultima | pro | Cap. 18. | lege | Cap. 12, 18. |
| » | 148. | » | penultima | » | 10, 6. | » | 10, 5. |
| » | 151. | » | 1. | » | Ad 5. | » | Ad 6. |
| » | » | » | 11. | » | » 6. | » | » 7. |
| » | » | » | 28. | » | » 7. | » | » 8. |
| » | 152. | » | 3. | » | » 8. | » | » 9. |
| » | » | » | 14. | » | » 9. | » | » 10. |
| » | 217. | » | 14. | » | artibus | » | actibus. |
| » | 220. | » | 13. | » | 2. | » | 5. |
| » | 222. | » | 18. | » | 15. | » | 14. |
| » | 251. | » | ultima | » | 92, 93. | » | 233. |
| » | 253. | » | » | » | 95. | » | 39. |
| » | 360. | » | 16. | » | Ad 1. | » | Ad 2. |
| » | » | » | 23. | » | » 2. | » | » 1. |
| » | 406. | » | ultima | » | Vers. 20. | » | Vers. 7. |
| » | 416. | » | 27. | » | in somnis | » | in somno. |

208.5
M 431
29604
MATHAEUS AB AQUASPARTA, O.F.M.
AUTHOR Quaestiones Disput. Selectae
Vol. 1
TITLE Quaestiones de Fide et
de Cognitione.

| DATE LOANED | BORROWER'S NAME |
| --- | --- |
| | STORAGE - CBPL |

2960